




SIGILL : COLL : HARVARD CANTAB : NOV : ANGL : 1650
CHRISTO ET ECCLESIAE
N. Hurd Sc.
BOSTON
2380







S. IVLII FRONTINI

LIBRI QVATVOR

STRATEGEMATICON

CVM SELECTIS

OVDENDORPII, SCRIVERII, TENNVLII

ALIORVMQVE NOTIS.

HIS ACCEDVNT

IO. FRIDERICI HERELII

ANIMADVERSIONES CRITICAE.

CVRANTE

NICOLAO SCHWEBELIO

QVI ET SVAS ADNOTATIONES ADIECIT.



LIPSIAE

SVMTV ENGELH. BENI. SVIKERTI

cIɔIɔcclxxii.

BENEVOLO LECTORI

S. P. D.

NICOLAVS SCHWEBELIVS.

Quamquam tantum non omnia veterum de re militari ſcripta, quae ad noſtram aetatem peruenerunt, prudentiſſimi viri, ob eximiam eorum vtilitatem, ſummis laudibus extulerunt: in iis tamen praecipue praedicari merentur, quae callida excellentium imperatorum conſilia ad poſteritatis memoriam propagarunt. Quamuis enim virtute militum, acieque bene prudenterque inſtructa, victoria vt plurimum comparari ſoleat: fortiſſimos tamen exercitatiſſimosque exercitus, ſollertibus ducum artibus, ſaepius fuiſſe perculſos atque proſtratos, priſca annalium monumenta ſatis teſtantur. Longum autem foret, et a praeſenti inſtituto alienum, ſi per ſingulas aetates rem exemplis probare vellemus. Quis eſt enim, vt alia non dicamus, qui neſciat, maximas, poſt hominum memoriam, cum terreſtres, tum nauales Xerxis co-

pias, consilio magis Themistoclis, quam armis Graeciae fuisse deuictas? Qua re eximiam strategematum in bellica re vtilitatem, antiquissimis iam illis et Heroicis aetatibus viri prudentiores cognitam perspectamque habuerunt. Vnde Troiam, illam fabulosis Graecorum carminibus inclutam vrbem,

Quam neque Tydides, nec Larissaeus Achilles,
Non anni domuere decem, non mille carinae,

Vlyssis vnius fraude captam euersamque fuisse, ingeniosa finxit antiquitas: id quod etiam diserte probat poetarum Princeps:

Σῇ δ' ἥλω βουλῇ Πριάμου πόλις εὐρυάγυια:

quibus verbis Heroes illi Graeci Vlyssi victoriam tribuere, eumque πτολιπόρθου nomine decorare non dubitarunt. Ipse quoque ab ingenii sollertia, qua omnes in Graecia natos tunc praestitit, maximam sibi laudem gloriamque vindicauit, his quidem verbis apud Poetam:

Εἶμ' Ὀδυσεὺς Λαερτιάδης, ὃς πᾶσι δόλοισιν
Ἀνθρώποισι μέλω, καί μευ κλέος οὐρανὸν ἵκει.

Quid? quod antiquiora multo in sacris litteris strategematum vestigia reperiuntur: quale fuit illud, quo Iosua diuino iussu, vrbem *Ai*, positis ab occidentali eius parte insidiis, memorabili victoria expugnauit. Quotquot

quot autem nullo non tempore exstiterunt magni copiarum duces, cum aequo Marte se pares non esse hostibus intelligerent, aliquid sibi noui consilii capiendum, doloque pugnandum existimarunt. Bene adeo sapienterque Vegetius, *Boni duces*, inquit, *non aperto Marte praelium, in quo est commune periculum; sed ex occulto semper attentant, vt integris suis, quantos possint, hostes interimant, vel certe terreant:* cuius vtilissimi praecepti vestigia in antiquissima Homeri Strategica reperiri, illa ἠὲ δόλῳ, ἠὲ βίηφι, nos dubitare haud sinunt. Qua re Onosonder, eumque secuti strategici scriptores, ob res improuisas, quae in bellis accidere solent, atque inopinatas, ducem νοερὸν, ἐπὶ πᾶν ἄττοντα δι' ὠκύτητος ψυχῆς, inprimis laude dignum iudicarunt. Quae cum ita sint, nemo, vt mea quidem fert opinio, dubitabit, *Frontini*, viri rebus et bello et pace gestis clarissimi, *strategemata*, quae de sollertibus excellentium, tam barbarorum, quam Graecorum Romanorumque imperatorum factis dictisque, ex optimis antiquitatis monumentis collegit, et quibus tamquam luculentissimis consilii et prouidentiae exemplis alios ad similia excogitanda et gerenda instruxit, inter praestantissima rei militaris scripta merito referri: id quod etiam de *Polyaeni*, Graeci scriptoris, strategematibus dudum eruditi viri recte iudicarunt. Qua de re non incommode me facturum existimaui, si post Vegetium, quem nuper emisimus, in praesenti haec *Frontini strategematica*, quibus legendis litterarum cultores, adcura-

* 3 tiori

tiori vocum militarium explicatione, orationem Latinam; rei autem militaris ſtudioſi bellicam ſcientiam efficient pleniorem, publicarem. Quamquam enim negari haud poteſt, eum hic illic humani quid paſſum, et ab aliis ſcriptoribus, qui eadem tradiderunt, diſcrepare; praeterea multa librariorum oſcitantia et errore inepte eſſe repetita, interpolata, corrupta: pleraque tamen ita ſunt comparata, vt, ſiue rerum copiam atque varietatem ſpectemus, ſiue dictionis ſimplicitatem puritatemque conſideremus, ab vtriusque, et togatae et ſagatae militiae, Palladis, inquam, et Martis cultoribus, non ſine magna voluptate vtilitateque legi poſſint. Nec vero ſine ratione dolendum eſt, quod eximia eiusdem *de ſcientia militari*, itemque *de Tactica Homeri tempore vſitata* ſcripta, quorum meminit Aelianus in Tacticis, per temporum iniuriam, communi litterarum iactura interciderunt. Fallitur enim *Stewechius*, qui quartum librum ſtrategematum eſſe opus illud *de re militari*, temere pronunciauit: nec minus *Barthius*, cum nos, quod ad ipſa haec ſtrategemata attinet, modo maioris operis habere epitomen, cui meliora detracta; deteriora vero a ludimagiſtro quodam adiecta fuerint, ſine ratione ſuſpicatur: vt poſt alios *Polenus* in elegantiſſima diſſertatione, in qua de *Frontini vita per Conſules diſtincta* exponit, quam nos huic editioni inſerendam curauimus, obſeruat. Quanti vero haec *Frontini ſtrategematica*, cum primum ea, proximis poſt feliciſſimam illam litterae-

terarum inſtaurationem annis, eruditis viris in lucem edita innotuerunt, fuerint habita, quamque communi applauſu excepta, exinde nullo negotio poteſt intelligi, quod ea, nondum elapſo ſaeculo decimo quinto, intra vndecim fere annorum ſpacium, quinquies typis excuſa prodierunt. Princeps enim editio, teſte Maittairio Annal. Typ. T. I. part. poſt. p. 479. lucem adſpexit Bononiae A. cIↄcDLXXXVI. Fol. Hanc proxime excepit, quae vna cum Vegetio et Aeliano impreſſa eſt per venerabilem virum Eucharium Silber, alias Franck, Romae A. cIↄcDLXXXVII. vbi notat, librum quartum tertio praeire. v. Idem l. c. p. 486. Tertia editio ex eadem officina emiſſa eſt A. cIↄcDXCIV. 4to. Quam ſecuta eſt quarta, cura Philippi Beroaldi, impreſſa Bononiae per Platonem de Benedictis A. cIↄcDXCV. Additus eſt Frontino Vegetius de re militari; Aelianus de informandis aciebus, Theodoro Theſſalonicenſi interprete; Modeſtus de vocabulis rei militaris A. cIↄcDXCVI. Fol. Quinta editio prodiit denuo cum aliis de re militari ſcriptoribus per Eucharium Silber Romae A. cIↄcDXCVII. 4to. Ex quibus patet, erraſſe, qui vel Romanam editionem A. 1494. vel Pariſienſem A. 1515. in 4to., omnium primas habuerunt. Nec vero proxime ſequenti ſaeculo defuerunt eruditi viri, qui, vt de aliis rei militaris ſcriptoribus, ita etiam de hiſce Frontini ſtrategematicis bene mereri, et contextum partim ingenio, partim MSS. Codd. ope priſtinae integritati reſtituere, locaque dubia doctiſſimis com-

mentationibus illuſtrare ſtuduerunt. Primus in hunc cenſum venit *Franciſcus Modius*, *Brugenſis*, qui tamen, quod libris vetuſtis deficeretur, pauca tantum timide, vt ipſius verbis vtar, aut ex diuerſis lectionibus, quae ad oram editionis Pariſienſis et Colonienſis adiectae leguntur; aut ex auctoribus, vnde exempla, de quibus agitur, ſumta videntur, notauit: cuius editio prodiit Coloniae A. C. cIↃIↃLXXX. in 8vo. Hunc proxime ſecutus eſt *Godeſchalcus Stewechius*, *Huſdanus*, qui et ipſe MSS. Codd. deſtitutus, ex ipſius ſcriptoris aeuo, ſtilo, inſtituto coniectanea confecit, primumque publicauit Antwerpiae A. cIↃIↃLXXXV. in 4to. Felicius vero ſidus affulſit Frontino, cum Petrus Scriuerius, vir acutiſſimi ingenii magnaeque doctrinae, ad Frontinum emendandum animum appulit, vt qui multa, deplorata fere et conclamata antea loca, non ſuopte ſolum ingenio, ſed ſeptem quoque MSS. Codd. ope, facta eorum cum editis diligenti comparatione, perſanauit: cuius operam tanti fecerunt Reipublicae litterariae principes, Caſaubonus et Grotius, vt maximum beneficium, cui vix gratia par referri queat, in rem litterariam ab eo collatum exiſtimarint. Illae breues, ſed bonae frugis plenae animaduerſiones, in *Vegetii*, *Frontini*, aliorumque aliquot veterum de re militari librorum collectione, cum Stewechii et Modii notis, primum ad marginem poſitae prodierunt Antwerpiae ex officina Plantin. A. cIↃDCVII. in 4to. quas poſt calcem eorundem rei militaris ſcriptorum, ex interuallo

xxv.

xxv. annorum, a se denuo recensitas et auctas, curauit recudendas Lugd. Bat. ex offic. Io. Maire A. cIↄDCXXXIII. in 12mo. Proximus huic tempore, non doctrina, nouam omnium, quae adhuc supersunt, operum Frontini editionem adgressus est Robertus Keuchenius, Professor Amstelodamensis, publicauitque Amstelodami A. cIↄDCLXI. in 8vo. cuius quidem notas maxima ex parte Scriuerio, Casaubono, Salmasio aliisque subreptas, vt in sua editione conspicerentur, non visum fuit operae pretium Oudendorpio. Ampliorem multo laudabilioremque operam in emendando illustrandoque Frontino praestitit Samuel Tennulius, qui Maecenatum et amicorum beneuolentia decem praestantes nactus MSS. Codd. quorum ope multa male affecta emendauit, locaque obscuriora elegantissimis multaque eruditione refertis notis illustrauit, in lucem publicam opus emisit Lugd. Bat. A. cIↄIↄCLXXV. in 12mo. Sed omnium quos hactenus diximus, interpretum Frontini laborem atque industriam longissime superauit Franciscus Oudendorpius, verum illud non patriae solum, sed omnis reipublicae litterariae ornamentum, qui magno animo insignique eruditionis adparatu nouam strategematum Frontini editionem adgressus est. Nam praeter adhibitos a Tennulio, et in secundis curis a Scriuerio MStos, quorum varia excerpta suo exemplari, quod ex Schalbruchiana auctione comparatum habebat, adleuerat, vndecim ipse MSS. Codd. magna cura excussit; insu-

perque doctissimorum virorum excerpta et collationes; nec non historicos, qui eadem strategemata commemorauerunt; denique antiquissimas non minus, quam optimas recentioris aetatis editiones, earumque commentatores studiose adcurateque in consilium adhibuit. Quibus praestantissimis subsidiis instructus contextum, quantum fieri potuit, emendatum edidit; plenissimamque editionem cum notis integris Modii, Stewechii, Scriverii, Tennulii, aliorumque ineditis obseruationibus, adiectis suis adnotationibus, cum erudito orbe communicauit Lugd. Bat. A. 1731. in 8vo.

Post breuem hanc praecipuarum editionum recensionem, quam in gratiam eorum adiicere visum fuit, qui variarum editionum notitia delectantur, reliquum est, vt paucis rationem, quam in curanda hac editione secuti sumus, declaremus. Ante omnia hic monendum esse puto, cum spe veterum Codd. consulendorum me deiectum viderem, animum diu ancipitem fluctuasse, susciperemne Frontini editionem; an id consilium in aliud tempus, quo fortuna huic magis ex voto adspiraret labori, differrem. Tandem vero, cum mecum cogitarem, litterarum cultoribus, si non omni ex parte, aliquantum tamen; certe rei militaris studiosis, criticarum deliciarum non aeque curio-

sis,

ſis, noua editione conſuli poſſe: initum ſemel conſilium nihilo ſecius perſequendum exiſtimaui; idque eo magis, quod doctiſſimorum virorum opera textum Auctoris, plurimorum codicum collatione, ſi non vbique, plurimis tamen in locis ſatis emendatum habemus. Nec mirabuntur adeo, vel vitio vertent aequiores rerum cenſores, ſi me veſtigia tantorum virorum, per quos multum me profeciſſe gratus profiteor, in notanda ſcripturae varietate ſecutum videbunt. Eaque de cauſſa Textum ad praeſtantiſſimam Oudendorpii ſupra laudatam editionem exprimendum curaui. In animaduerſionibus autem id mihi negotii datum exiſtimaui, vt in veterum librorum diſcrepantia, neglectis librariorum monſtris, vtiliores tantum et ad res, de quibus agitur, adcommodatiores lectiones ſeligerem; quae vero ad antiquitates, veteremque Strategicam pertinent, ex priſcorum Tacticorum comparatione, quantum ſatis videbatur, explicarem illuſtraremque. In primis autem grato mecum animo, beneuole Lector, agnoſces, quod doctiſſimus vir et promouendis elegantioribus ſtudiis natus, *Ioannes Fridericus Herelius*, Profeſſor Erfurtinus celeberrimus, pereruditas ſuas ingenioſasque in Frontinum coniecturas humaniter mecum communicauit: quas vt commodius ac ſine interpellatione perluſtrare poſſes, ſerie haud interrupta

rupta excudendas iudicaui. Denique copiosissimum indicem rerum et verborum, studio *Michaelis Benedicti* olim confectum, hic illic auctum, in communem litterarum vtilitatem, cui quisque sine inuidia consulere tenetur, adiiciendum constitui. Quos meos hosce conatus si eruditis lectoribus non penitus displicuisse intellexero, eorum humanitas animum ad continuandam, si Deus vitam ociumque concesserit, post *Onosandrum*, Graecorum Tacticorum editionem excitabit. Vale. Onoldi, v. Cal. April. A. clↄlↄccLXXII.

IOANNIS POLENI
AD
SEX. IVLII FRONTINI
COMMENTARIVM
DE AQVAEDVCTIBVS VRBIS ROMAE
PROLEGOMENA.

CAPVT I.

Sex. Iulii Frontini Vita per Consules distincta.

I.

Iulia Gens in Patriciam Maiorum Gentium, ac Plebeiam diuisa, plures habuit Familias, seu cognomenta. Patriciae quidem cognomina fuere Caesarum, Iulorum, Libonum, Mentonum: Plebeiae vero quae cognomina fuerint, non aeque certe constitui potest; cum de multis huiusce Familiae Viris, vtrum Patricii fuerint, an Plebeii, monumentorum inopia incertum faciat. Illud tamen verisimillimum reor, Iulios, qui Vespasiano Imperatore ac posterioribus temporibus floruere, ex antiquis Patriciis nequaquam fuisse; cum iam (teste Tacito in *Annal.* lib. x. cap. 25.) vel Claudii tempore pauci iam essent reliqui Familiarum, quas Romulus Maiorum, et L. Brutus Minorum Gentium appellauerant: quamobrem Claudius Caesar in numerum Patriciorum adsciuit vetustissimum quemque e Senatu, aut quibus clari parentes fuerant. Morem vero hunc secuti etiam alii Imperatores, ac Vespasianus (eodem Tacito in *Agricola* cap. 9. referente) Iulium Agricolam, praeter ceteros, inter Patricios cooptauit. Quod cum notauerit Antonius Augustinus in Opere *de Gentibus Familiis-*

militisque Romanorum, vbi Iulios Consules, etiam suffectos, post Caligulam ad Maximinum Imperatorem enumerat: miror sane, Iulium Frontinum nostrum fuisse ibi praetermissum. Quod vero Fuluius Vrsinus, Richardusque Streinnius in eiusdem argumenti Operibus nihil de Iulio Frontino nostro dixerunt, mirandum non est; cum ad Traiani tempora hi non descenderint.

II. Porro ex iis, quae paullo ante dixi, coniicio, Iulium Frontinum non fuisse ex veteri Patricia Familia; fuisse tamen Patricium; nimirum ex iis, qui aut ipsi, aut quorum parentes inter Patricios ab Imperatoribus fuerant adsciti. Cum enim diserte in Commentario *de Aquaeductibus* (Art. 1.) testetur, *Officium Aquarum administratum semper per Principes Ciuitatis Viros*, ipse vero id Officium administrauerit, atque ideo vel hoc nomine liqueat, eum inter Ciuitatis Principes fuisse: obtinuisse quoque locum inter Patricios, credibile prorsus est. Vtrum vero Iulii Frontini Vrbs Roma patria fuerit, an alia regione (vt Iulius Agricola Foroiuliensium Colonia, Tacito teste) ortus, non coniiciam: nihil enim vsquam, vnde coniecturas probabiles ordiri possem, inueni.

III. Nunc antequam annos propono, monebo, me in numerandis ab Vrbe Condita annis secuturum in vita hac scribenda supputationem Varronis, vt notiorem. Quod si ab annis, qui proponentur, duos detrahes, habebis annos secundum Frontinianam supputationem, quae in Annotationibus ad ipsum Frontini Commentarium necessario sequenda fuit.

ANNO AERAE VVLG. CHR. LXX.
VRBIS CONDITAE DCCCXXIII.
T. FLAVIO VESPASIANO AVGVSTO II.
T. FLAVIO CAESARE COSS.

IV. Vt patria, ita res quoque in obscuro sunt a Frontino gestae vsque ad Praeturam. Quod enim primum

primum de Frontino memoratur, id eſt, ab eo Vrbano Praetore Senatum fuiſſe vocatum. En verba Taciti, qui poſtquam in *Hiſtoriarum* l. IV. c. 38. narrauerat, Veſpaſianum iterum, ac Titum abſentes conſulatum iniiſſe, in cap. 39. ita pergit: *Kal. Ianuariis in Senatu, quem Iulius Frontinus Praetor Vrbanus vocauerat, Legatis exercitibusque, ac Regibus laudes gratesque decretae. Et Tertio Iuliano Praetura, tamquam transgredientem in partes Veſpaſiani legionem deſeruiſſet, ablata, vt in Plotium Griphum transferretur. Hormo dignitas equeſtris data. Et mox, eiurante Frontino, Caeſar Domitianus Praeturam cepit.* Eiurauiſſe autem Frontinum exiſtimo, vt Domitiano gratum faceret, qui non modo honorem Praeturae Vrbanae, ſed *honorem* (vt Suetonius in eius Vita cap. I. ſcribit) *Praeturae Vrbanae cum poteſtate conſulari ſuſcepit.* Credibile etiam eſt, ſtuduiſſe Frontinum, vt hoc facto Imperatorem ipſum Veſpaſianum Domitiani patrem demereretur. Hunc vero Frontinum noſtrum fuiſſe, qui *de Aquaeductibus* ſcripſit, neminem inueni, qui negaret.

V. Stephanus Vinandus Pighius (ad annum vltimum l. XVIII. *Annalium Romanorum*) ſuſpicatur, ſuperiore anno Praeturam geſſiſſe Frontinum, cum *Kal. Ianuariis* citati a nobis anni, *poſteaquam ipſe Senatum (aberant enim noui Conſules Veſpaſianus et Titus) conuocaſſet, abdicauerit:* pergitque Pighius ita: *alioquin vix vno die Praetorem fuiſſe dicendum erit, niſi forſan ante Kal. Ianuarias noui Praetores Magiſtratum tunc inibant; quod nusquam hactenus legi.* Sed, ubi Taciti verba conſidero, non poſſum non facere cum iis, qui rentur, Frontinum ante legitimum tempus depoſuiſſe Magiſtratum: quod non contigiſſet, ſi in ſuperiorem annum incidiſſet eius Praetura.

ANNO

ANNO CHR. LXXIII.
V. C. DCCCXXVII.
T. FLAVIO VESPASIANO AVG. V.
T. FLAVIO CAESARE III. COSS.

VI. Hoc anno, aut circa hunc annum, Consulem suffectum fuisse Frontinum, coniicio. Rationem coniecturae vt explicem, pro certo ponam, Frontinum Consulem fuisse, cum eum *consularem Virum* Aelianus, in Praefatione Operis *de instruendis aciebus*, perspicue nominet. Tum verisimillimum esse aio, eum in Britanniam iuisse Imperio Proconsulari, et Consulatu iam functum: nam ferme omnes, qui cum Imperio in eam Prouinciam mittebantur, Consulares erant, praetereaque Frontinus eo tempore (vt paullo infra dicemus) missus fuit, quo tempore viro forti, atque praedito dignitate auctoritateque opus erat in ea regione. Deinde pono, credibile esse, Frontinum profectum fuisse in Britanniam anno V. C. 828. (vt mox exponam) quamobrem probabile fit, eum anno ante gessisse Consulatum; quemadmodum constat contigisse Iulio Agricolae Frontini successori, qui ad Britanniam regendam profectus est anno Consulatum ipsius insecuto. Adde, hoc anno V. C. 827. non alium reperiri suffectum Consulem praeter Caesarem Domitianum, cui collega Frontinus noster esse potuit.

ANNO CHR. LXXV.
V. C. DCCCXXVIII.
T. FLAVIO VESPASIANO AVG. VI.
T. FLAVIO CAESARE IIII. COSS.

VII. Hoc anno, coniicio, Frontinum in Britanniam missum. Vnus autem Tacitus est, ex cuius scriptis coniecturam facere possimus. Is in *Vita Agricolae* cap. 17. haec habet: *Et cum Cerialis quidem alterius successoris curam, famamque obruisset, sustinuit quoque molem Iulius Frontinus, vir magnus, quantum licebat, validamque,*

damque, et pugnacem Silurum gentem armis subegit, super virtutem hostium locorum quoque difficultates eluctatus. Ex his ergo colligendum videtur, et Cerialem rexisse Britanniam, et Ceriali successorem datum fuisse, cuius fama obruta gestorum praecessoris memoria, et huic Cerialis successori substitutum fuisse Frontinum: cui deinde successisse Iulium Agricolam, ea, quae paullo infra citatum locum Tacitus subiicit, aperte commonstrant. Porro doctis Viris probabile fit, Cerialem iuisse in Britanniam anno V. C. 824. Agricolam vero anno V. C. 831. Fateor tamen, non deesse, qui libentius in annum 832 profectionem Agricolae reiiciant; sed habita ratione eorum, quae in *Hist.* lib. v. et in *Agricolae Vita* Tacitus habet, primis illis (si quid iudico) est assentiendum. Itaque Cerialis, eius successor, et Frontinus septem annis Britanniam rexere: cumque probabile sit, eius, cuius parum felix Imperium fuit, breuius etiam tempus fuisse, tres anni Frontini Imperio adsignari posse videntur; atque ideo eius Imperii initium in annum V. C. 828 posse referri.

VIII. Quod si quis dicat, huiusmodi diuisionem certam non esse, nihil quidem repugnabo: dummodo ne illud negetur, ex ea probabilissimum fieri, saltem circa illum annum (nimirum vel anno ante, vel anno post) Frontinum in Britanniam iuisse.

IX. Marcus autem Zuerius Boxhornius, et plerique interpretum in citato Cornelii Taciti loco anxie inquirunt, quo referantur verba ista, *quantum licebat*: ego vero facio cum Boxhornio, qui ad praecedentia verba, *sustinuit quoque molem*, illa referenda contendit. Quasdam enim alias interpretationes, quamuis honori-

rificentiores gestis Frontini nostri, quod eas minus probabiles existimo, missas facio.

ANNO CHR. LXXVIII.
V. C. DCCCXXXI.
L. CEIONIO COMMODO
D. NOVIO PRISCO COSS.

X. His consulibus, cum Agricola (vt paullo ante diximus) Britanniae regimen susceperit, credibile est, Frontinum reuersum fuisse Romam, subacta iam proximis superioribus annis in Britannia Silurum gente, incolente regionem, quae nunc principatus Walliae pars est, et nouis hodie nominibus, (vt scribit Michaël Virdungus in sua ad citatum locum Taciti nota) *Herefordshire*, *Radnorshire*, *Brecnocshire*, *Monmutshire*, *Glamorgenshire* appellatur.

XI. Credibile etiam est, circa haec tempora Frontinum admouisse manum scribendis libris, qui *Strategematum*, siue *de solertibus ducum factis et dictis* inscribuntur. Nam in Commentario *de Aquaeductibus* (Art. 2.) profitetur, se alios libros, praeter ipsum *de Aquaeductibus* Commentarium, *post experimenta et vsum* composuisse. Nonne itaque probabile fit, eum post experimenta et vsum rerum in bello gesto aduersus Silurum gentem, libros ad bella omnino pertinentes coepisse scribere?

ANNO CHR. LXXXIIII.
V. C. DCCCXXXVII.
IMPERATORE DOMITIANO AVG. X.
C. OPPIO SABINO COSS.

XII. Hoc anno *Strategematum* Libros Frontinum edidisse existimo. Cum enim in Libris hisce quinquies

quies Domitianus nominetur, ſemperque Germanici belli mentio fiat, atque Germanici titulus ipſi Domitiano ſaepe addatur, nihil autem legatur in iisdem libris, quod ad poſteriora bella, praecipue Dacica, a Domitiano geſta pertineat: videtur quidem probabiliſſimum, hoſce libros fuiſſe editos poſt Domitiani e Germania reditum, ac poſt confirmatum ei Germanici titulum, quod (vt docti Viri colligunt) anno V. C. 837 contigiſſe credendum eſt.

XIII. Falluntur autem Raphaël Volaterranus (in *Comment. Vrb.* lib. xvi: quo loco de Iuliis agit) et qui eum ſunt ſecuti, putantes, quatuor *Strategematum* libros Traiano fuiſſe inſcriptos. Quo enim modo id poſſet euinci? quo modo perſuaderi poſſet, Frontinum inſcripſiſſe Traiano libros, in quibus Traiani nulla, Domitiani autem honorificentiſſima mentio? Domitiani, inquam, cuius nomen Frontinus in Commentario *de Aquaeductibus*, edito Traiani tempore, ne inter Conſules quidem ponere voluit, vt poſt Panuinium animaduertimus in Nota 27. Art. 102.

XIV. Sed ante hoſce *Strategematum* libros (quanto tamen ante, incertum) Frontinus noſter libros, nunc deperditos, *de Scientia militari* ediderat: quod ex verbis, quibus *Strategematum* libros exorditur, liquere contendit Gerardus Ioannes Voſſius (*de Hiſtor. Lat.* lib. III. quo loco agit de Sex. Iulio Frontino) et recte quidem contendit. Sunt autem ea verba huiuſmodi: *Cum ad adſtruendam rei militaris ſcientiam, vnus ex numero ſtudioſorum eius acceſſerim, eique deſtinationi, quantum cura noſtra valuit, ſatisfeciſſe viſus ſim; deberi adhuc inſtitutae arbitror operae, vt ſolertia ducum facta* etc. Neque ſane conferenti libri primi exordium cum exordio quarti libri dubium eſſe poterit, quin *fruſtra ſit doctiſſi-*

doctissimus Stewechius (vtor Vossii verbis citato in loco) *cum suspicatur, librum, qui quartus vocatur, esse opus de re militari:* et ante Vossium hoc idem animaduerterat Sixtus Arcerius in suis ad Aelianum Notis pag. 98. Porro Vegetius quoque in lib. 1. *de Re Militari* cap. 8. fidem fecit, Frontinum libros *de Re Militari* scripsisse. habet enim: *quae Cato ille Censorius de disciplina militari scripsit, quae Cornelius Celsus, quae Frontinus perstringenda duxerunt* etc.

XV. Non modo autem Romanae, verum etiam Graecae militaris disciplinae peritus erat Frontinus noster, teste Aeliano, qui in *Tacticae* suae *Prooemio ad Adrianum Imperatorem* (vt de Graeco in Latinum vertit Sixtus Arcerius) ita scripsit: *At posteaquam cum Deo patre tuo Nerua super eo contuli, ac Formiis transactis aliquot diebus apud Frontinum, e clarissimis consularibus virum, quique peritiae bellicae laudem asportauit, collatis cum eo quoque sermonibus comperi, non minore illum studio teneri disciplinae Graecis vsitatae; coepi non amplius, quod de conscribendis Tacticis conceperam, vilipendere.* Caue autem hoc in loco a Francisci Robortelli interpretatione, in qua haec, inter cetera, habentur: *commoratus fui apud Frontinum, qui vnus est inter consulares illustres;* vbi verbum *est* nos in suspicionem posset inducere, Adriani tempore Frontinum nostrum vixisse: at cum Aeliani locum Graece *ex optimo codice Mediceo* emendatissimum dederit Iacobus Gronouius (in *Thesaur. Antiq. Graec.* Tomo III. pag. dddd) vel ex eo aperte liquet, verbum illud *est* vi veluti quadam fuisse intrusum.

XVI. Incertum autem pariter remanet, quo tempore Frontinus ediderit opus (id quoque nunc deperditum) *de Tactica Homeri tempore vsitata,* de quo Ope-

re idem Aelianus in Tactica cap. 1. ita scribit: *Ac de Tactica Homeri tempore vsitata legi scriptores, Stratoclem, Hermiam, ac Frontinum, virum nostro tempore consularem.* Credibile tamen fit, hosce libros Frontinum, rerum potiente Domitiano, scripsisse; quo tempore probabile est, multum otii habuisse.

XVII. Nam circa annum supra commemoratum V. C. 837. atque etiam per reliqua Domitiani tempora, maximam partem, absuisse Roma Frontinum, credibile arbitror: vt, dum frueretur quiete et otio (haec enim ab assentatoribus Domitiani commendata Agricolae, viro simili Frontino nostro, apud Tacitum legimus: ita etiam, Domitiano regnante, Tacitum ipsum Roma abfuisse *taedio temporum* autumat Lipsius in Taciti vita) vt, inquam, dum frueretur Frontinus quiete et otio, sibi caueret a Domitiano, cuius aures verberabat fortium virorum fama. Hoc autem in secessu Frontinus aliquando secum habuit (vt opinor) Valerium Martialem Poëtam, qui l. x. Epigramma 58. orditur hisce versibus:

Anxuris aequorei placidos, Frontine, recessus,
Et propius Baias, littoreamque domum,
Et quod inhumanae cancro feruente cicadae
Non nouere nemus, flumineosque lacus,
Dum colui, doctas tecum celebrare vacabat
Pieridas: nunc nos maxima Roma terit.

Vnde etiam liquere potest, Frontinum non abhorruisse ab amoenioribus studiis, et fuisse ex iis, qui Martialem fouerunt, atque amauerunt; quod ostendimus etiam in Nota 1. Art. 88.

XVIII. Vt vt vero credibile eſt, Domitiani tempore ſeceſſiſſe Frontinum, ſatis tamen conſtat ex C. Plinii Caecilii Epiſtolis, illum Roma non prorſus caruiſſe: quandoquidem in Epiſtola I. l. v. de cauſſa Curiani filii a matre exheredati verba faciens Plinius (qui vnus erat ex inſtitutis heredibus) haec habet: *Adhibui in conſilium duos, quos tunc ciuitas noſtra ſpectatiſſimos habuit, Cornelium et Frontinum.* Id autem Domitiano rerum potiente contigiſſe, ex citata Epiſtola poteſt euinci, in qua Plinius ſcribit: *Coheredes mei componere, et tranſigere cupiebant; non diffidentia cauſſae, ſed metu temporum. Verebantur, quod videbant multis accidiſſe, ne ex centumuirali iudicio capitis rei exirent.* Qui metus ad Domitiani tempora procul dubio referri debet.

XIX. Ex diligentia vero atque cura in recenſendis Lege atque Senatuſconſultis in Commentario *de Aquaeductibus*, et ex citato loco Plinii colligere licet, Iuris quoque peritum fuiſſe Frontinum noſtrum. Quid autem velint Cuſpinianus, et Catanaeus, qui de Frontino tradidere haec, *Summus Iuriſconſultus Secundo interdum reſpondit*, niſi id totum elici poſſe credant ex ſupra allatis Plinii verbis, haud facile liquet: certe Petrus Scriuerius hunc eundem citatorum Auctorum locum reſpiciens (ſub initium Editionis Operum Frontini, quam ipſe adornauit) ſcribit: *Quid vterque velit, magis ſuſpicari poſſum, quam intelligere.* Quod vero Hieronymus Magius in *Miſcellaneorum* lib. IV. cap. 2. Iulium Frontinum appellat *maximum Geometram*, id non pertinet ad nos: ibi enim Magius verba facit de Frontino auctore Operis de *Re Agraria*, qui a Frontino noſtro diuerſus fuit, vt ſuo loco oſtendetur. Ceterum, quae perſpecta haberet in Aquarum Fluentium Doctrina Frontinus noſter, et ſparſim indicauimus variis

riis in Notis, et coniuncta exposuimus in Nota 1. IV. Art. 113.

ANNO CHR. LXXXXVII.

V. C. DCCCL.

IMPERATORE NERVA AVG. III.

L. VERGINIO RVFO III. COSS.

XX. Hoc anno (quo integro Nerua regnauit) Frontinum fuisse iterum Consulem opinor. Porro de secundo Frontini Consulatu dubitandum non videtur: nam Martialis in Epigram. 48. lib. x. (in quo *conuiuium parat*) hos versus inter ceteros habet:

De Nomentana vinum sine faece lagena,
Quae bis Frontino Consule prima fuit.

Quoniam vero credibile prorsus est, vt mox ostendetur, Frontinum fuisse vnum ex duobus, qui fuere Consules III. et quoniam ii, qui Consules III. cum Traiano III. fuere, secundum consulatum cum Nerua gesserant (id aperte testante Plinio in Panegyrico hisce verbis: *vterque nuper consulatum alterum gesserat a Patre tuo datum*) iccirco, secundum Frontini Consulatum reiiciendum in citatum annum, opinor.

XXI. Hoc autem eodem anno factus fuit Frontinus noster Curator Aquarum (quod ad finem vergente eius consulatu contingere potuit, Nerua honores honoribus addente) vt ipse Frontinus in Art. 102. perspicue asserit: *Imperatore Nerua III. et Verginio Rufo III. Coss. ad nos Cura Aquarum translata est.*

XXII. Ac statim quidem Commentarium *de Aquaeductibus* scribere Frontinus coepit: in ipso enim Commentarii (vt ita dicam) limine, Art. 1. haec habet:

** 4 *sitque*

ſitque mihi nunc ab Nerua Auguſto, neſcio diligentiore, an amantiore Reipublicae Imperatore, Aquarum iniunctum Officium; et Art. 2. *ſed, cum* hic Commentarius *inter initia adminiſtrationis meae ſcriptus ſit.* Commentarium tamen, quem hoc anno ſcribere coepit, Nerua vita functo perſecutus eſt, et abſoluit, vt ſuo loco aperte demonſtrabo. Praeterea vero crediderim, ferme ſtatim poſt ſuſceptam Aquarum curam coepiſſe Frontinum Aquarum copiam diſtributionemque metiri; vt indicaui etiam in Nota 1. Art. 87.

ANNO CHR. C.

V. C. DCCCLIII.

IMPERATORE TRAIANO AVG. III.

SEX. IVLIO FRONTINO COSS.

XXIII. Collegam Traiani in tertio Conſulatu fuiſſe Frontinum, pluribus doctiſque rationibus Henricus Noris in *Conſulari Epiſtola* pag. 59. erudite defendit. At Antonius Pagi in *Critica in Annales Baronii* Tom. I. pag. 94. Noriſium a priore ſententia receſſiſſe ſcribit; contenditque, Traiani Collegam Frontonem eſſe habendum. Ego, quamquam in Noriſii verba ferme iuraueram, tanti tamen, quanti eſt facienda, faciebam Pagii auctoritatem; ac verebar, ne propenſione in eum, cuius Librum commentandum ſuſceperam, transuerſus agerer: itaque rogaui Ioannem Baptiſtam Morgagnum, in noſtro hoc Gymnaſio Primarium Anatomes Profeſſorem doctiſſimum, celeberrimumque, cui meam hanc Frontini Editionem multum debere profiteor, rogaui (inquam) vt pro ſua erga me beneuolentia atque amicitia grauioribus ſtudiis detraheret aliquid, et ad amoeniora ſtudia haec, in quibus etiam vehementer excellit, diuerteret, aperiretque mihi ſuam de pro-

po-

posita controuersia sententiam, vnde reliquis nouum beneficium accederet. En vero, quae ille benigne respondit.

IO. BAPTISTA MORGAGNVS

Doctissimo, Ornatissimo Viro

IOANNI POLENO

Rei Mathematicae Professori Celeberrimo

S. P. D.

XXIV. „Etsi tuae me litterae inuenerunt nihil minus, „quam Fastos cogitantem, morem tamen gessi: Fallop- „pium, et Eustachium deposui; Norisium, et Pagium „in manus sumpsi. Ille in Epistola Consulari, vbi „quaerit, anno *Aerae Christ.* 100. Fronto, an Fronti- „nus Traiani III. Consulis Collega fuerit ordinarius, „cum plura, quae infra memorabuntur, erudite, vt so- „let, in medium affert, tum vero, vt ad Frontinum „potius inclinem, duabus efficit rationibus. Quarum „altera a Fastorum auctoritate, altera autem est a ve- „terum Scriptorum testimoniis petita. Primum vide- „licet, vt fatetur, Prosperi Fastos, sed omnium vitio- „sissimos, itemque Cassiodori, sed Prosperum descri- „bentis, habere *Frontonem;* ita ostendit, Fastos Ano- „nymi apud Cuspinianum, qui omnium quidem pro- „cul dubio sunt optimi, habere *Frontinum.* Deinde „etsi paullo ante agnouerat, Prosperi suffragatorem vi- „deri Dionem, cum de Frontone Consule, rerum po- „tiente Nerua, mentionem faciat; propterea quia is, „quo de quaerimus, Consul, Plinio in Panegyrico au- „ctore, *nuper consulatum alterum gesserat* a Nerua *da- „tum;* vicissim tamen producit, qui vel clarius illi

„Cuſpiniani Anonymo ſuffragetur, Martialem ſcilicet;
„de cuius quidem teſtimonii vi mox videbimus.

XXV. „Pagius autem in *Crit. Baron.* et Fronto-„nem ipſe retinet, et docet, *Noriſium nuper ad ſe ſcripſiſ-„ſe, M. Iulium Frontonem probabilius Collegam Traiani „poni.* Vir omnino fuit Noriſius non modo dignitate, „atque eruditione, verum etiam moribus eminentiſſi-„mus, quod intelligere plane licet vel ex iſta ingenua „mutatione ſententiae. Attamen, quod ne ipſe qui-„dem fecit, vt maiorem ſui, quam veri rationem ha-„beret, id nec a ceteris puto eſſe faciendum; ſed „nouae ipſius ſententiae rationes eo animo eſſe excu-„tiendas, vt, ſi firmae ſint, haec probetur; ſin con-„tra, prior illa retineatur. Excutiendi autem labor „ipſe quidem meus; firmae vero, an infirmae ſint, „tuum, Vir Doctiſſime, erit iudicium, praeſertim „quando Scriptores nobiliſſimi, Pagius et Tillemon-„tius, firmas iam videntur exiſtimaſſe.

XXVI. „Principio illud eſt animaduertendum, „prioris ſententiae rationem primam non modo a No-„riſio, vt par erat, infirmatam non eſſe, ſed ne me-„moratam quidem; credo, quia facilius confirmari „poterat, quam infirmari. Nam vt in Faſtis Idatia-„nis (quod Noriſius minime ignorauit) ſcriptum le-„gimus: *Traiano III. et Pontino;* ita procline ad-„modum eſt aliis ex Faſtis ſuſpicari, iſtud *Pontini* no-„men forte eſſe mendoſum, ac legendum eſſe *Frontino.* „Id enim ſcripturae vitium an facilius in *Frontino,* „quam in *Frontone* ſcribendo oriri potuerit, etſi Tille-„montius in medio relinquit, haut tamen difficile eſt „exiſtimare.

XXVII. „Sed quam Noriſius rationem non atti-„git, hanc, ſi tibi videtur, in praeſentia ſeponamus: „quas

„quas vero ad Pagium ſcripſit, eas omnes ex ordine „attendamus. *Dio*, inquit, *in Nerua Frontonem tunc „conſulem nominat.* Non modo hoc Noriſius, cum „ſcripſit Epiſtolam Conſularem, vt ſupra oſtendimus, „non ignorabat, ſed ne illud quidem, Cuſpinianum „vere *Frontinum* in Dione legendum putaſſe. Et ſane „in Italorum nominibus perſaepe, et facile a Graecis „Auctoribus, vel certe librariis peccatum eſſe, cum „alii animaduerterunt; tum praeſertim Robortellus ad„monuit, Plutarchum in Poplicola Λαέρτην (Κλάρον po„tius, vel Λάρον, vt notauit Sigonius) ſcripſiſſe pro „*Lartem;* in Cicerone autem Clodiani illam *Quadran„tariam* vocaſſe Κυαδραντίαν: a Dionyſio quoque A. „Verginium appellatum eſſe Μοντανόν, quem Latini di„cebant *Coelimontanum.* Quid multis opus eſt? In „ipſis, de quibus loquimur, *Frontini* et *Frontonis* „nominibus permutandis lapſos eſſe librarios Aeliani „Tactica deſcribentes, facile eſt ex Sixti Arcerii in haec „Notis intelligere. Cum enim primum, idque recte, „ſcripſiſſent παρὰ Φροντίνῳ, alio deinde in loco perpe„ram ſcripſere καὶ Φρόντωνι: quos ille cum reprehen„dere debuiſſet, in alium ſe errorem abripere paſſus „eſt, vt vnum atque eundem eſſe Virum crederet, „quem Aelianus, Martialis, Dio, modo Frontinum, „alias Frontonem vocaſſent. Sed facilior nimirum „fuit Arcerius in iis, quos diſtinguere oportebat, con„fundendis, velut ibidem cum illum quoque Fronti„num, qui in Galeni libro vltimo Remediorum κατὰ τόπους ſemel, atque iterum nominatur, eundem ac no„ſtrum eſſe cenſuit, haud animaduertens, Heram „Medicum, cuius verba de Frontino Iſchiadico pro„fert Galenus, *natum eſſe ante Andromachum*, quod „Galenus ſupra in VI. libro teſtatur: qui quidem An„dromachus, ſi dubites, ille ſenior fuerit, *inter Nero„nis*, vt idem Galenus alibi docet, *Medicos primus*, an „eius

„eius filius; id vnum praestiterit attendisse, Cornelium „quoque Celsum Herae medicamenta bis memorasse.

XXVIII. „Verum nos Frontonem ponamus in „Dione quidem esse legendum, et quando Norisius illi „huius testimonio plus ponderis inesse postea credi„dit, quale demum sit, videamus. Etsi totus is locus „eiusmodi est, vt nonnulla habeat, quae aliter ab aliis „intelligi possint; id tamen perspicuum est, Fronto„nem consulem inter ea memorari, quae, vt Plinius „ad Quadratum scribit, *primis diebus redditae libertatis* „acciderunt, et prius certe, quam Nerua ipse cum „Virginio Rufo consul narretur; vt permirum omnino „esset, Panuinium in Commentariis in Fastos suis scri„psisse, Frontonem a Dione consulem *anno post occi„sum Domitianum* fuisse referri, nisi et id, et alia, quae „ibidem peccat, facile essent in tanto et Scriptore, et „Opere excusanda. De ea re nullum certe verbum „apud Dionem, multoque minus quod ille Frontonis „Consulatus *ex Kal. Jul.* inceperit eius, de quo modo „dictum est, anni: qui quidem dies illuxit praeterlapso „iam medio dominationis Neruae tempore; non inter „huius initia: inter quae initia, video Tillemontium „ipsum quoque agnoscere, Frontonem consulem a „Dione memorari. Quorsum haec? inquies. Non„dum eo dico, quod velim, Cassiodori *Chronicon*, alio„qui, vt dictum est, vitiosissimum, in eo verum esse, „quod Domitianum occisum tradit Frontone consule, „sic, vt hic consulatum sub Nerua quidem potuerit „gerere; non tamen a Nerua *datum*. Sed eo dico, vt „illud certe alterum intelligatur: qui inter initia do„minatus Neruae consul fuerit, de illo accipienda mi„nus videri, quae de eo, de quo quaerimus, Traiani „Collega Plinius pariter in Paneg. indicauit: ita *nuper* „consulatum a Nerua datum gessisse, vt *adhuc oculis*

„pau-

„*paulo ante dimissi fasces oberrarent etc.* itemque illa:
„*modo praetextam exuerat, modo lictores abire iusserat,*
„*modo gratulantes amici recesserant:* qui enim conuenit
„*modo*, et *paulo ante*, si intercesserat plane trien-
„nium?

XXIX. „Et rationem quidem primam satis excus-
„simus petitam ex testimonio Dionis, vel potius (vt
„verum loquamur) Ioannis Xiphilini, qui saeculo XI.
„in epitomen contraxit Dionem. Nunc alteram vi-
„deamus. *Fronto*, inquit, *erat Consul II.* Hoc ve-
„ro aut demonstrandum, aut non attingendum omnino
„fuerat. Quantum enim ex saepius laudato Panegy-
„rico certum est, eum, quo de quaeritur, Collegam
„Traiani, *consulatum alterum* antea gessisse; tantum in-
„ter omnes liquet, neminem adhuc id ostendere po-
„tuisse de Frontone; posse autem omnes de Frontino,
„et verbis quidem Auctoris, non vno, imo non decem
„fere post saeculis scribentis, sed illis ipsis temporibus
„Romae viuentis, scribentisque, Martialis. Nam hic
„diserte *bis Frontinum consulem*, neque ita pridem fuis-
„se, clarissime indicat in eo Libro (X.) cuius nonnulla
„Epigrammata anno 98. scripta esse constat; vt hinc
„Norisius in Epistola Consulari illud quoque alterum
„erui posse crediderit, Frontinum Consulem II. fuisse
„sub Nerua. Verum ego, quod ob alias causas non
„sine controuersia inferri, ostendique posset, remitto;
„illud autem, quod negari non potest, vrgeo: Fron-
„tonem bis Consulem fuisse, nullius veteris Auctoris
„fide probari; Frontinum bis Consulem fuisse, aequa-
„lis Scriptoris testimonio praeclarissimo demonstrari.

XXX. „Iam vero tertiam Norisii rationem exami-
„nemus. *Fronto*, inquit, *erat vir togatus, non vero*
„*militaris, qualis Frontinus fuit.* Nimirum hic quo-
„que

„que ad Panegyricum Plinii respexit, qui de vtroque „in hunc annum Collega Traiani verba faciens, sic „ipsum alloquitur: Tertii Consulatus decus *bellorum* „*sociis olim, periculorum consortibus, parce tamen tri*„*buebatur, quod tu singularibus viris, ac de te quidem bene* „*ac fortiter meritis praestitisti, sed in toga meritis: vtriusque* „*cura, vtriusque vigilantia obstrictus es, Caesar.* Item„que infra: *nempe enim hi sunt, quos Senatus, cum publi*„*cis sumtibus minuendis optimum quemque praeficeret,* „*elegit, et quidem primos.* Ego tamen non video, quid „tandem ex his omnibus non conueniat Frontino. „Nam quod bellica laude plurimis ante annis floruerat, „et Silurum gentem subegerat; num propterea inse„quentibus, suos inter ciues pacis artibus vicissim ex„cellere, et postremis denique annis, cura ac vigilan„tia sua bene ac fortiter de Traiano mereri non po„tuit in toga? Non opinor, cum Plinius ad Seuerum „scripsit, se in Curiani causa *adhibuisse in consilium duos,* „*quos tunc ciuitas spectatissimos habuit, Corellium, et* „*Frontinum*, et ex eorum sententia iudicasse; vel cum „ad Arrianum, *successisse* se in Auguratu *Julio Fronti*„*no, principi viro;* non, inquam, opinor, tunc spe„ctatissimum et principem virum in sago dixit, sed in „toga. Quid verbis opus est? Procuratio Aquarum, „*res administrata per principes semper ciuitatis viros*, Of„ficiumne erat, quod non a togato, sed a militari „omnino homine gereretur? Non contra vel ipsa „Curatorum Tabula, a te, Vir Eruditissime, vt tot „aliae in tua ista eximia Frontini editione, et diligen„ter concinnata, et docte illustrata, inter Curatores „fuisse ostendit, qui Legum peritia, studiisque ciui„libus, principem in ciuitate locum erant assecuti? „Hanc autem Aquarum Procurationem *ad vsum, tum* „*ad salubritatem, atque etiam ad securitatem Vrbis per*„*tinentem*, certe Frontinus, vtpote sibi a Nerua iniun„ctam,

„ctam, iam fere biennium gesserat sub Imperatore „Traiano, eaque fide ac solicitudine gesserat, qua ex „ipsius Commentario intelligitur, vt cum innumeras „fraudes vel *per offensas* retexisset, magnoque cum „Reipublicae emolumento sustulisset, videatur, si quis „alius, tunc dignus fuisse, qui et a Senatu publicis „sumtibus minuendis in primis praeficeretur, et cura „ac vigilantia sua bene ac fortiter in toga de Traiano „meritus diceretur. Certe Traiano tantundem a Fron„tone tunc praestitum fuisse in toga, non constat.

XXXI. „Quod si istud Plinii elogium Frontino ob „eam causam non conueniret, quod olim militari mu„nere functus esset; fortasse ne Frontoni quidem pos„set ob eandem causam conuenire. Neque enim hic, „pro quo disputant, Fronto ille est M. Cornelius Fron„to, Rhetor nobilissimus, quem haud semel Gellius, „Capitolinus, Xiphilinus, nonnumquam etiam Eume„nius, Macrobius, Ausonius, Hieronymus, aliique „laudarunt, vt Catanaeus, Panuinius, atque alii pas„sim existimabant, quorum opinionem ab Norisio in „Epistola Consulari, et a Tillemontio in Not. VIII. in „*Traianum* firmissimis argumentis conuulsam video. „Neque item est Fronto Catius, Orator in Epistolis „Plinii laudatus, quem Catanaeus et Panuinius eun„dem ac priorem credebant; Tillemontius autem ne „consularem quidem eiusmodi virum, sed celebrem „dumtaxat causarum patronum existimat; ego vero „non eum certe, quem quaerimus, Consulem fuisse „puto, propterea quia cum in Senatu pro Mario Pri„sco causam dixit, eo ipso tempore Consul fuisset, vt „ex alia Plinii Epistola ad Arrianum (II, Lib. II.) „procliue est intelligere; non fuisse tamen, ex Plinii „silentio apparet, qui in ea Epistola cum Iulium fe„rocem, et Cornutum Tertullum ita nominet, vt

„*Con-*

„*Consulis designati* titulum singulorum nomini adiungat, „multo minus videtur fuisse in Frontone Catio nominando Consulis titulum praeteriturus. Est ergo „is, pro quo propugnant aduersus hominem clarissimum, a Tacito, Plinio, Martiale, Aeliano celebratum, ac inter principes ciuitatis viros per ea tempora nemini ignotum, Frontinum, Fronto quidam, „a Plinio in nulla, quod sciam, ex tot Epistolis nominatus, a Martiale autem, et Tacito (nam de Aeliano dictum est supra) vel non memoratus; quod „vix de summo Viro, et III. vt contendunt, Consule „credibile est; vel ita memoratus, vt militarem hominem, contra atque ponitur, fuisse constet. Nam „Martialis in Libri I. Epigrammate 56. ad Frontonem „scripto, sic ipsum laudans alloquitur:

„*Clarum militiae, Fronto, togaeque decus:*

„quem quidem hunc ipsum esse posse, quo de agitur, M. Iulium Frontonem, in saepius laudata Epistola suspicatur Norisius. Cornelius autem Tacitus „in I. Histor. haec scribit: *Exauctorati per eos dies* „(Galbae scilicet extremos) *Tribuni, e praetorio Antonius Taurus, et Antonius Naso: ex vrbanis cohortibus, Aemylius Pacensis: e vigiliis, Iulius Fronto.* Itemque in proximo Libro: *Vinctus* (a Vitellianis) *praefectus castorum Iulius Gratus, tanquam fratri apud „Othonem militanti proditionem ageret, cum fratrem „eius Iulium Frontonem tribunum Othoniani sub eodem „crimine vinxissent.* Et Raderus quidem, a quo primus de duobus hisce locis producitur, non dubitauit, illum ipsum Iulium Frontonem, et eum ad quem „scripsit Martialis, et hunc III. vt putant, Consulem, „vnum eundemque fuisse: sed et Iuuenalem in I. Satyra de hoc eodem locutum esse censuit: quibus „fere

„fere omnibus in rebus et praeeuntem habuit Calde-„rinum, et adſtipulantes Farnabium, atque Schreue-„lium. Quid? quod non alium eſſe illum quoque cre-„didit, quem Ioſephus libro VII. de Bello Iudaico in-„ter Titi Duces, Conſiliarios, Amicos bis memorauit, „Frontonem. Verum ego, vt Titi Libertum (ſic „enim idem Ioſephus altero in loco vocat) ad conſu-„latum proue&tum eſſe, animum inducere non poſ-„ſum, vt credam; ita ſuperiora illa reliqua ſatis eſſe „puto, vt intelligatur, iſtum, quo de aiunt, Fron-„tonem vel obſcurum apud aequales fere omnes Scri-„ptores fuiſſe, vel in militaribus etiam officiis contra „atque vrgent, fuiſſe verſatum.

XXXII. „Qua in re oſtendenda eam ob cauſam „longior fui, quod, quidquid deinde Pagius ait, ad „ſe ſcripſiſſe Noriſium, non eo pertinet, vt Fronto-„nem illo praeſertim ipſo, quo quaerimus, tempore „fuiſſe Conſulem, ſed vt togatum fuiſſe virum, non „militarem, credamus. *In Lib.* inquit, 48. *Digeſt.* „*L. 5. De poenis recitatur reſcriptum Traiani ad Iulium* „*Frontonem. Eius filius fuit Praefectus claſſis ſub Ha-*„*driano*, *Gruteri pag. 573.* Ad quae ne illud quidem „dicam, Catanaeum, qui iam olim (*in Plin. Epiſt.* „*cit.*) verba illa legis animaduerterat, ſic legiſſe: *Di-*„*uus Adrianus Iulio Frontoni reſcripſit*, quod ego quo-„que in nonnullis vidi editionibus, cum aliae tamen, „eaeque (vt verum fatear) laudatiores habeant, *Di-*„*uus Traianus.* Neque item dicam, cautius Tillemon-„tium facere, qui Iulium Frontonem claſſis praefe-„ctum, prioris filium non affirmat fuiſſe, ſed tantum-„modo eſſe potuiſſe. Haec, inquam, atque alia prae-„terea omittam. Nam quanquam id, quod minime „planum faciunt, vltro concederem, Frontonem, de „quo ſermo eſt, ſic ſemper in toga floruiſſe, vt nullam

„vnquam militaris officii partem attigiſſet; non tamen „propterea ſequeretur, in Frontinum quoque non cadere „laudes iſtas, quae in Plinii Panegyrico illi, de quo quae-„rimus, Conſuli tribuuntur: velut antea probatum eſt.

XXXIII. „Quam ob cauſam de illa pariter Inſcri-„ptione apud Gruterum (*pag.* 190. 1.) a Tillemontio „(ſed tamen poſt Noriſium in Conſulari Epiſtola) „animadverſa nihil adiiciam, niſi hoc vnum: non ap-„parere ex eo lapide, M. Iulium Frontonem IIIIVi-„rum viis curandis fuiſſe anno 103. quod Tillemontius „affirmat. Quod enim Trajanus ibi COS. V. ſcribatur, „hinc illud tantum effici poteſt, non ante annum 103. „Inſcriptionem inciſam eſſe: in quo tamen repugnat „adſcripta TRIBUNIC. POTEST. V. quae annum de-„ſignat 102. vel etiam duos menſes vltimos anni 101. „Itaque mirum non eſt, Reineſium legiſſe TRIBUNIC. „POTEST. VIII. i. e. A. V. 858. vt in altera Gruteri Edi-„tione indicatur, vel potius, vt in Sytagmate illius in-„uenio, TRIB. POT. VIIII. A. V. 855. Veruntamen vt „hoc in anno 855. apertiſſimum Typographi errorem „omittam; reſpondet enim A. Chr. 102. cum reſpondere „debeat A. 105. vel 106. certe ſi exemplari ſtandum „eſt, quod emendatum ex Gudii, qui bis contulerat, „codice in memorata Gruteri Editione habemus; non „poſt numerum V. qui extremum ſiniſtrum occupat „marginem, ſed potius ante, cum iuſto aliquanto ma-„ius intervallum inter POTEST. et V. relinquatur, vi-„detur eſſe ſupplendi locus. Accedit cognomen PAR-„THICI, quod in hoc etiam lapide adſcribi, non anim-„aduertit Reineſius, mox docens, Traiano haud ante „Tribun. Poteſtatem XII. tributum eſſe, in hoc quo-„que a Fabretto reprehenſus (*de Columna Traj. c. 9.*) „negante, *in vllo vel marmore, vel nummo non ſuſpecto* „*titulum* PARTHICI *ante* XIX. *Trib.* (Traiani) *Pot.* „*reperiri.* Quam ego litem hic quidem non faciam „meam,

„meam, vt neque illam alteram, V. Traiani Consulatum non in 103. (quod Tillemontio, et plerisque aliis „paulo ante negare nolui) sed in annum, vt Fabrettus „contendit, 104. incidisse. Haec eo tantummodo attigi, vt intelligeretur, quaenam aut suspiciones in „istum lapidem, aut dubitationes in istum annum possint cadere 103. qui illo dicitur indicari; praesertim „cum ipse Tillemontius alio in loco ponat, anno primum 107. Parthici cognomen Traianum mereri „potuisse, quod sibi anno demum 115. magis magisque confirmauit. Quid? quod idem Tillemontius „alibi censuit, ad annum vsque 111. istius lapidis tempus posse produci. Et mihi quidem omnia, quae „hic memorauimus, reputanti sic omnino visum est, „aut PARTHICI cognomen esse inducendum, augendumque numerum Tribun. Potest. aut si retinere illud „liceat sic tamen, vt hic maxime augeatur; neque Gruteri exemplar, vt ostensum est, neque notam COS. „V. vllo modo pati, vt vltra XV. augere possimus: „quod si fiat; non annus 103. sed postremi duo menses anni 111. indicabuntur. Post quorum, non amplius, duorum mensium intervallum cum Traianus „Consulatum inierit VI. hinc est, vt minus illa me „moueant, quae Virum Eruditissimum Ioannem Massonium permouerunt, vt hoc in lapide non modo „Trib. Potestatis, quam ipse quoque XV. legendam „existimat, sed etiam Consulatus numerum censeret „esse mutandum, et pro V. legendum VI. Verum „haec ἐν παρόδῳ.

XXXIV. „Iam enim supra satis mihi praestitisse „videor, quod receperam, vt Norisii rationes executerem. Quae tamen firmae, an infirmae sint, tu, Vir „Doctissime, pro eo, quo polles, acri iudicio existimabis; ego vel firmissimas existimanti pro eo, quo vni-

„ce moueor, veri ſtudio facile aſſentiar. Hoc enim „veri ſtudium ita mihi animos addidit ad Summorum „Virorum huic tertio Frontini Conſulatui adverſantium „rationes agitandas, vt tamen ipſe, qui eſſem, et qui „contra illi, non obliuiſcerer. Idem veri ſtudium ne „illud quidem diſſimulare me ſinit, quod altera ex par„te nunc demum venit in mentem, videlicet tertio „iſti Frontini Conſulatui obſtare facile poſſe illud idem „Martialis Epigramma, quo demonſtratur ſecundus. „Verſus enim extremi quatuor haud obſcure videntur „oſtendere, Epigramma nondum reddita libertate, id „eſt Domitiano adhuc rerum potiente, ſcriptum fuiſſe, „et quod conſequitur, alterum Frontino Conſulatum „ab Nerua quidem, vt oporteret, datum non eſſe. „*Accedent*, inquit Martialis,

Accedent ſine felle ioci, nec mane timenda
Libertas: et nil quod tacuiſſe velis.
De Praſino conuiua meus, Venetoque loquatur,
Nec facient quemquam pocula noſtra reum.

„Permirum eſt, in hac controuerſia neminem, quod „ſciam, verſus hoſce attendiſſe, qui illam videlicet de „altero Frontini Conſulatu mentionem, et continuo „quidem, ſequuntur; niſi forte in aliam omnino par„tem accipiendos crediderunt, vt Poëta hoc diceret: „ſub ciuili, mitique Neruarum imperio iam non eſſe „timendam, vt ſuperiore tempore ſub Domitiano, ſer„monum ac iocorum libertatem vel in ipſam Venetam, „Praſinamue Factionem. Huc autem pertinet, quod „*de Factionibus aurigatorum, et ſtudiis Principis* in hunc „locum adnotauit Farnabius: *periculoſum erat ſub Ne-„rone, Vitellio, et Domitiano iis fauere, a quibus alieni „Principes. Praſinae autem, et Venetae maxime fauebant.* „Eodemque trahere fortaſſe quis malit vltima verba

„ex-

„explicationis Raderi: *nullus erit, qui nostros iocos insi-„diose excipiat, et deferat ad Caesarem, nosque reos faciat, „vt Domitiani temporibus contingebat.* Sed quanquam „in priorem illam interpretationem propensiorem esse „me fateor; tu tamen, Vir Praestantissime, hoc etiam „dispicies, et, quid sit veri similius, constitues. Vale, „et me, quod facis, redama.

Pataui XIII. Kal. Quinctiles. CIƆIƆCCXXII.

XXXV. Hoc autem eodem anno Commentarium de *Aquaeductibus* a Frontino editum, opinor. In eius Commentarii Art. 88. 89. 92. 93. 94. plura vtilia Aquaeductibus ipsis, et Priuatis aquam recipientibus enarrantur (vt animaduertimus in Notis 1. Art. 87. et 5. Art. 93.) quae ipsi Traiano accepta referenda, Frontinus commonstrat; atque inter cetera de Traiano moliente Anionis noui aquam reddere puriorem verba facit, additque; purior haec Anionis noui aqua *veniet in locum deformis illius ac turbidae, nouum authorem, Imperatorem Caesarem Neruam Traianum Augustum, praescribente titulo*: quae sane verba Frontinum (vt vt is quidem coeperit sub Nerua scribere) perrexisse sub Traiano Librum *de Aquaeductibus* commentari, manifeste adeo commonstrant, vt non possim non mirari, Fabrettum (in Dissertationibus *de Aquis, et Aquaeductibus*. Num. 345.) tribuisse Neruae Patri quaedam, quae Neruae Filio, nimirum Traiano, tribui debent, atque affirmasse tum in citato Num. tum in Num. 105. Frontinum opus suum *de Aquaedctibus* Neruae illi nuncupauisse.

XXXVI. Quod si nunc attendamus ea, quae (vt paullo supra diximus) Traianus circa Aquas praesti-

tit, ac Frontinus enarrat; satis comperiemus, non ante citatum V. C. annum 853. editum fuisse hunc *de Aquaeductibus* Commentarium: non enim credibile est, eum a Frontino edi potuisse eodem statim anno, quo Romam aduenit Traianus; Traianus autem Imperator nonnisi anno superiore V. C. 852. Romam venit. Quo vero tempore abfuit Roma Traianus, reor, Frontinum nostrum in diligenti Aquarum examine perrexisse: quamuis enim mensus fuerat copiam distributionemque eo tempore (id autem paucorum mensium fuisse credimus) quo sub Nerua Aquarum curam gesserat, quaedam tamen sub Traiano egit; vt, caussa exempli, illud, quod narrat in Art. 74. *uniuscuiusque* Aquae *copiam, quae supra scripta est, tota deinceps aestate durantem exploraui.*

XXXVII. Cum itaque Commentarius hic editus fuerit anno V. C. 853. Strategematum autem Libri editi fuerint anno V. C. 837. sequitur, vt inter hasce Editiones anni sexdecim intercesserint. Quod temporis interuallum variare quidem potuit Authoris stilum; non tamen tantum est, vt det locum suspicioni, duo haec Opera diuersis Authoribus esse tribuenda.

ANNO CHR. CI.

V. C. DCCCLIIII.

IMPERATORE TRAIANO AVG. IIII.

SEX. ARTICULEIO. PAETO COSS.

XXXVIII. Num forte Asiae Proconsul fuerit hoc anno Frontinus noster, antequam propono; de Frontini nummo nonnulla dicam, oportet. Iacobus Sponius in *Miscellaneis Eruditae Antiquitatis* pertinentem ad

ad Frontinum exhibet nummum: ex quo, similitudine accurate seruata, desumta est nostra nummi figura in Tab. *: nostri autem nummi diameter ad diametrum nummi eiusdem apud Sponium, habet rationem eandem, ac denarius numerus ad quaternarium. Sed ex iis, quae de proposito nummo Sponius tradidit, subiiciamus haec:

XXXIX. „ΦPONTEINOC ANΘΥπατ☉ id est, „*Frontinus Proconsul a Smyrnaeis sub Praefectura* cuiusdam *Myrti*, hocce nummo honoratus est, insolito „aliis Proconsulibus honore. Nonnullorum enim „nummos videmus a Prouinciis cusos, sed solo nomi„ne insignitos, non vero capite, quod Caesarum Prin„cipumque ius erat. Quamobrem putabat Gallandi„us noster, qui nummum Smyrnae reperit, non Fron„tini caput esse, sed Iouis apud Smyrnaeos culti. Ve„rum fortasse non erravero, si ipsiusmet Proconsulis esse affirmauerim. Deinde uero addit Sponius rationes, propter quas id posset affirmari, concludens tamen hisce verbis; „sed quia hae rationes non admo„dum validae sunt, sitne Iouis, vel Frontini facies, „adhuc sub iudice lis sit". At, genuinum esse nummum, vel ex eo colligi posse existimo; quod Author Anonymus, qui Librum edidit sub hoc titulo, *Numismatum Antiquorum Sylloge ex Cimeliarchio Authoris* (*Londini* 1708.) alium exhibet in Sponii similem nummum.

XL. Iacobus Facciolatus, vir doctissimus, et de praeclaris omnibus artibus ac Latina lingua optime meritus, cum de hac re sermonem haberemus, animad-

* Titulari. Vide de eo nummo plura in praefatione mea.

uertit, Adrianum primum ex Rom. Imperatoribus barbam alere coepisse; cuius deinde exemplum principes ceteri, et tractu temporis priuati quoque secuti sunt. Quamobrem Frontinus noster, qui circa medium Traiani principatum vita excessit, is non videtur esse posse, cuius caput barbatum exhibetur. Sed quando Iacobus Gronouius (in *Thesauro Antiq. Graec.* Tom. III. pag. dddd) certe maiorum gentium antiquarius, voluit, caput nummo hoc exhibitum illius esse Frontini, de quo Aelianus verba fecit, ille autem Frontinus noster est; nolui praetermittere, quin illud caput (cuiuscumque sit) descriptioni vitae Frontini praefigerem.

XLI. Ceterum, si Frontino nostro nummus ille esset tribuendus, lubens crederem, eum hoc anno Proconsulatum Asiae gessisse. Nam regnante Domitiano, Imperii anxio, conscientia timido, suspiciosoque, credibile non esset tributum fuisse Frontino tantum, atque insolitum honorem. Regnante vero Traiano, prioribus annis ante annum hunc, Romae in Aquarum cura mansisse Frontinum, ex ipso *de Aquaeductibus* Commentario satis liquet. Ergo credendum esset, post tertium Consulatum missum fuisse Frontinum ad regimen honorificentissimum, atque nulli secundum, scilicet ad Asiae Proconsulatum; Smyrnae etenim, vbi nummus est percussus, Vrbs in Asiae Prouincia erat.

ANNO CHR. CVI.
V. C. DCCCLVIIII
L. CEIONIO COMMODO
L. TVTIO CEREALI. COSS.

XLII. Non ante hunc annum vita excessisse Frontinum; opinor. In Epistola quidem 8. lib. IV. Plinius scri-

ſcribit, ſe ſucceſſiſſe in Auguratu *Iulio Frontino*, *principi viro*. . Auguratum autem Plinius a Traiano petierat in Epiſtola, quae octaua eſt decimi Libri; vnde liquet, Traiano regnante, Frontinum obiiſſe: nam Auguratus non adimebatur viuenti, vt in ſuperius citata Epiſtola Plinius affirmat, et Antiquarii omnes ad vnum conſentiunt; ſi ſciremus, quo anno Plinius creatus fuerit Augur, ſciremus quidem etiam, quo anno Frontinus mortuus ſit. Ioannes Maſſon in *Plinii Vita*, autumat, Plinium inter Augures fuiſſe cooptatum anno V. C. 856. ſed quia Maſſon in eam ſententiam fertur ob nonnulla verba ex Libro de *Agrorum Qualitate*, deſumta, qui Liber haud dubie Frontino noſtro tribui non poteſt, (vt, vbi agetur de Libris a Frontino noſtro ſcriptis, demonſtrabitur) iccirco cauſſam coniecturae Viri ceteroquin eruditiſſimi, probare non poſſum.

XLIII. Itaque ingreſſus ſum ad coniiciendum iter diuerſum. Scribit Plinius in ſuperius citata Epiſtola; *vtinam*, *vt Sacerdotium*, *idem et Conſulatum multo etiam iuuenior*, *quam ille* (nimirum M. Tullius Cicero, de quo ſupra ſermo fuerat) *ſum conſecutus*, *ita ſenex* etc. Cicero autem creatus fuerat Conſul anno aetatis 43. Augur anno aetatis 54. (vt perſpicue oſtendit Franciſcus Fabricius in *Ciceronis Vita*.) Atqui ſi Plinius factus fuiſſet Augur, aut eo aetatis anno, quo creatus fuerat Conſul Cicero, aut ante eum annum; credibile ſane eſt, Plinium, gloriae profecto cupidum, hoc in loco id notaturum fuiſſe; igitur cum id non notauerit, veriſimile ſit, Plinium poſt annum aetatis ſuae 43. Augurem factum fuiſſe; ideoque in nullum ante hunc annum V. C. 859. quo (vt ex citato Ioannis Maſſon Opere prorſus liquet) Plinius quadrageſimum quartum aetatis annum expleuit, cooptationem eius in Augurum Collegium, et, vt conſequitur, mortem Frontini referre poſſumus. Ex conſideratione tamen Epiſtolarum

Plinii facile crediderim, neque multo poſt hunc annum Frontini obitum contigiſſe.

XLIV. Illud quidem notatu dignum exiſtimarunt Antiqui, nimirum Frontinum ſibi fieri monumentum vetuiſſe; vetuerat autem (vt liquet ex Epiſtola mox citanda) verbis hiſce; *Impenſa monumenti ſuperuacua eſt; memoria noſtri durabit, ſi vitam meruimus.* Itaque inuenimus apud Plinium (in Epiſt. 19. lib. IX.) a Rufone Frontinum noſtrum fuiſſe laudatum, reprehenſumque Virginium Rufum, qui iuſſerat, ſepulcro ſuo inſcribi duos hoſce verſus:

Hic ſitus eſt Rufus, pulſo qui Vindice quondam,
Imperium aſſeruit, non ſibi, ſed Patriae.

Cui Rufoni Plinius reſpondens, vtrumque, et Frontinum ſcilicet, et Rufum laudat: *meo quidem* (ſcribit) *iudicio neuter culpandus, quorum vterque ad gloriam pari cupiditate, diuerſo itinere contendit: alter, dum expetit debitos titulos: alter, dum mauult videri contempſiſſe.*

XLV. Haec habui, quae de Frontini vita aut colligerem, aut coniicerem. Notitias omnes hauſi ex ipſis fontibus; horum autem plures mihi indicauerunt ii, qui de Frontino ſcripſere. Porro Ioannes Cuſpinianus in Commentariis *de Conſulibus Romanorum* ad annum V. C. 823. multa pertinentia ad Frontini vitam congeſſit: quae ſumma fide deſcripſit Ioannes Maria Catanaeus in Notis ad Plinii epiſt. 8. lib. IV. Neque tamen aut Cuſpinianum nominauit Catanaeus, aut alteruter loca, vnde notitiae illae hauriendae, commonſtrauit. Quod tamen hi non praeſtitere, praeſtitit Petrus Scriuerius ſub initium Editionis Operum Frontini, quam ipſe

ipse adornauit, vbi Catanaei narrationi commentarium veluti quemdam subiecit. Nonnulla etiam de Frontino habet Gerardus Ioannes Vossius de *Historicis Latinis* lib. III. Nonnulla Thomas Pope Blount in *Censura Celebriorum Authorum* ad annum Christi 85. Sed ordinate magis, quam priores in colligendis notitiis fecerant, vitam Frontini scripsit Nanius Tillemontius in eximia sua *Historia Imperatorum* post Imperatoris Traiani vitam. Nos haec omnia diligenter expendimus, aliaque conquisiuimus, et per Consules digessimus, secuti exemplum Francisci Fabricii, atque Ioannis Masson: quorum ille Ciceronis vitam, hic inter ceteras Plinii vitam (de qua supra verba fecimus) hoc eodem ordine digessere.

CAP. II.

De libris a Frontino scriptis.

I. Plures libri sunt, qui sub Frontini nomine circumferuntur: nos in praesentia recensebimus singulos, inquirentes, quae opera ad Frontinum nostrum, scriptorem *Commentarii de Aquaeductibus*, spectent; et quae huic tribui minime debeant. Ordiemur ab eo libro, cui quidam hunc praefigunt titulum; *Sex. Iulii Frontini V. C. de Re Agraria liber:* alii vero hunc; *Iulii Frontini de Agrorum qualitate.* De cuius tamen Operis conditore non melius dici potest, quam dictum est a Goesio in *Notis in Rei Agrariae Authores;* vbi celebrem illum Frontinum nostrum non esse habendum pro libri propositi scriptore, contendit: *Nam Scriptor*, inquit, *cum haec emitteret*, *tyronem se fuisse*, *et scribendi nouum*, *operis initio fate-*

fatetur. Tempus autem illud fuit, „cum Imperator vi„ctoria Daciam reseruauit.“ Qui Imperator fuit Domitianus, qui de Dacis triumphauit; post quem Traianus, victo Rege Decembalo, Daciam fecit prouinciam, vt tradit Eusebius in Chronicis. At e Tacito constat, iam Vespasiano iterum, et Tito Consulibus Frontinum celebrem illum *Romae Praeturam gessisse* (quod ostendimus in Frontini Vita ad annum V. C. 823.) *non ergo ille sub Domitiano „primum sedulitatis impendium“ aut „Celso“ aut cuiquam alii obtulit. Atque magis hanc meam opinionem confirmat, quod haec in Manuscriptis adscribi videam partim M. Iunio Nypso, partim etiam, vt est in Manuscripto, Domno Gerberto, Papae et Philosopho.*

II. Sequitur Fragmentum *de Limitibus;* de quo ita Goesius; *Fragmentum hoc legitur in Manuscripto sub nomine „Hygini de Limitibus;“ in alio sub „Iulii Frontini Siculi.“ Petrus Scriuerius ex suo Manuscripto praefixit nomen Sexti Iulii Frontini V. C.* Nullum tamen in sua Editione accuratissimus Goesius Authoris nomen huic Fragmento praefixit; quod si alicui Frontino sit tribuendum, certe Authori illi, qui *de Re Agraria* alium librum scripserat, potius, quam Frontino nostro, tribuendum esse videtur.

III. Idem prorsus dicam de perexiguo alio fragmento, quod inter varios Authores *de Limitibus* exstat, habetque praefixum titulum; *ex libro Frontini secundo.* Hoc enim quoque Authori illi *de Limitibus* adscribendum plane est.

IV. Venio ad duo illa Fragmenta librorum *de Coloniis*, quae Frontino nostro adtribui haud dubie non possunt; cum in vtroque nominetur *Imperator Adrianus:*

nus: Frontinus autem noster fato functus est (vt iam in cap. I. Sect. 42. ostendimus) antequam rerum potiretur Adrianus.

V. Restant Strategematum Libri, quos Frontini nostri esse reor, fateor tamen, non, deesse qui dubitent, permoti ab iis, quas faciunt coniecturas; coniecturas inquam, nullum enim satis firmum afferunt argumentum. Porro neque video, cur dubitare debeamus, num ii, quos habemus, Strategematum Libri *Epitoma* potius librorum Frontini sint, vt dubitare visus est Caspar Barthius in *Aduersariorum Commentariorum* lib. LX. Et quod affert Samuel Tennulius in eruditissima Praefatione sua ad ipsos Strategematum Libros, vix, aut ne vix quidem roboris vllius esse videtur. Nimirum quaerit ille, num Strategematum Author Frontinus ille sit, de quo Tacitus in Vita Agricolae agit, (agit autem Tacitus de Frontino nostro) respondetque, *non puto; nam Britannorum, quos dicitur deuicisse, nullam mentionem habet in Strategematibus*: sed ex ipso *de Aquaeductibus* Commentario satis constat, Frontinum a gestis suis enarrandis abstinuisse, idque cordi multo magis illi esse debuit in libro edito, regnante Domitiano, Imperatore scilicet egregiis aliorum gestis vehementissime invidente.

VI. Verum, vt in negotio hoc caute me gererem, Virum doctissimum celeberrimumque Ioannem Gratianum Primarium in hoc Gymnasio Philosophiae Professorem consului; quippe quem non philosophicarum modo disputationum, sed huiuscemodi quoque rerum iudicem peritissimum sciebam esse. Ille vero benigne, vt assolet, id dedit responsum, quod subieci.

IOAN-

IOANNES GRATIANVS

Viro doctissimo, Clarissimoque

IOANNI POLENO

in Gymnasio Patauino Matheseos Professori Eximio

S. P. D.

VII. „Quaeris a me, Vir eruditissime, putem ne „ego, duos fuisse Frontinos, quorum alter de Strate„gematis, de Aquaeductibus alter scripserit, an vero „vnus et idem operis vtriusque auctor sit. Equidem „haud existimarem operae esse sententiam dicere post „Criticorum grauissimorum hac de re prolata iudicia, „nisi permoueret voluntas tua, quae apud me valere „semper plurimum debet. Quando igitur, quod in „quaestionibus istiusmodi esse praecipuum adminicu„lum solet, comparatio temporum nihil adiuuat, sa„tis enim constat pene synchronos hos libros ortu es„se; videtur ratio omnis dubitandi petenda a forma „ipsa locutionis, quae vtrobique est adhibita. Effe„cit haec, vt quidam suspicarentur, non eundem esse „Frontinum, qui libros Strategematicos, et de Aquae„ductibus conscripserit. Ac negari non potest, discri„men aliquod χαρακτῆρος intercedere, recteque videri „Cl. Rubenio puriorem et emendatiorem in Libro „Aquaeductuum sermonem esse, quam in Stratege„matis. Verum adtente scripta haec inter se compo„nentibus dissimilitudo tanta non apparet, vt propte„rea Frontinos duos facere sit necesse; cum praeser„tim huius in Scriptore vno dissimilitudinis ratio pro„babilis afferri possit. Strategemata enim ex scripto„ribus aliis aliisque tum Latinis, tum Graecis conqui„siuit; neque proinde mirum est minus eleganter „multa enarrasse, quae a minus elegantibus transtulit

„in

„in libros suos. Cur autem in describendis Aquaedu-„ctibus sit oratio castigatior, non perperam affirmes „factum inde, quod Aquarum Curator a Nerua Au-„gusto creatus, habere potuerit quasi promtuarium le-„ctissimae phraseos ex tabulis, et monumentis magi-„stratus eius, indeque petere verba propria, genuinas „nomenclaturas, syntaxeis legitimas, coloremque ser-„monis ad germanam latinitatem proxime accedentis. „Quamquam ne illud quidem dederis omnino, purio-„rem, et emendatiorem in Aquaeductuum libro ser-„monem esse. Nam vt in his non vna occurrunt, in „quibus satis cernitur lapsa latinitas, propriaque eius „Saeculi, in quo scribebat; ita in Strategematicis cre-„bro admodum ea legere est, quae grauitate et nitore „certare cum illis possint, quae scripta optimo aeuo „latinitatis ad nos peruenerunt. Non dissimulauerim, „videri plus aliquanto esse discriminis inter praefationes „vtriusque operis; cum quae praefiguntur Stratege-„matis, non solum saeculi vitium, sed etiam, si fas „est dicere, leuitatem quasi quandam scribentis osten-„dant. At qui inducam in animum credere, non eun-„dem esse Frontinum, ob non seruatam vbique dili-„gentiam et curam eandem praefandi? cum praeser-„tim Strategemata collegerit non necessitate officii, aut „causa, quae similis necessitati esset, sed vt amans „militarium rerum animo obsecundaret suo, idque „cum iunior esset (nam in Britannia primum militauit) „contra vero curationem Aquarum susceperit iam Con-„sularis; quam a Nerua demandatam putauit sibi „gloriae esse, quippe, vt ipse ait, administrari semper „solitam a principibus Ciuitatis Viris; vt, quia magni-„tudo, atque amplitudo muneris praecipuam solertiam „postulabat, voluerit Imperatori eam testari scripto „edito, quo callentissimum se ostenderet eorum omni-„um, quae ad Aquaeductus pertinerent. Eo opinor „in praefando etiam grauiorem fuisse, limatioremque.

„Haec

„Haec habui, Vir eximie, quae tibi interroganti re-„sponderem. Tu, qua doctrina es, expendes, cense-„bisque iudicio tuo. Vale."

Pataui v. Non. Quinct. CIƆIƆCCXXI.

VIII. Plura tamen opera scripsisse Frontinum nostrum, credibile est. Vegetius quidem in lib. II. *de Re Militari* cap. 3. haec habet: *Nam vnius aetatis sunt, quae fortiter fiunt, quae vero pro vtilitate Reipublicae scribuntur, aeterna sunt. Idem fecerunt alii complures, sed praecipue Frontinus, Diuo Traiano ab eiusmodi comprobatus industria:* hinc plura pro Reipublicae vtilitate Frontinum litteris mandauisse, coniicere possumus. Adde autem maioris roboris probationem ex iis verbis, quae Frontinus ipse in Art. 2. Commentarii *de Aquaeductibus* scripsit: *in aliis autem libris, quos post experimenta, et vsum composui* etc. quibus sane verbis opera plura indicantur. At, fato inuidente, multa interciderunt; quae tamen ignotum est; si excipias Libros *de Re Militari*, atque opus *de Tactica Homeri tempore vsitata*, de quibus diximus in cap. I. sect. 14. et 16.

IX. Locus vero hic esset recensendi fusius errores eorum, qui siue ex praeiudicata aliqua opinione, siue ex incuria varios Frontinos pro vno dumtaxat habuere; et eorum etiam, qui nomina Frontinorum perperam cum Frontonum nominibus confuderunt: ita, caussa exempli, Iacobus Gaddius in Tom. I. *de Scriptoribus non Ecclesiasticis* pag. 193. scripsit haec: *Frontinus Alexandro Seuero Caesari ad res componendas fuit adiumento;* inde vero huic eidem Frontino *Libros Strategematum* tribuit, et Lucianus in Opere *de conscribenda Historia* animaduertit, fuisse, qui eodem pacto, ac Graeci, Romanorum nomina efferret, et *Phrontinum diceret Frontonem.* Sed quoniam laudatus Morgagnus noster in Epistola superius posita, quaecumque ex hoc genere ad eius argumentum spectabant, est optime persecutus; iccirco hic eadem non iterabimus.

* SEXTI

*SEXTI JVLII FRONTINI LIBRI QVATVOR.

PRAEFATIO

in tres libros priores.

Cum ad [1] instruendam rei militaris scientiam, vnus ex numero [2] studiosorum eius accesserim,

* Titulus huius libelli in MSS, adeo variat, vt nihil certi hinc statuere possimus. Plerique tamen hic et in sqq. librorum titulis *Strategematum* exhibent. Alii addunt *de rebus bellicis*; alii *rei militaris* et similia. Mihi vulgatum *Strategematicon* praeplacet, vt mox plenius dicemus. Vulgo autem addebatur, VIR CONSVLARIS; sed cum in nullo Codice (si excipias Arcerianum a Keuchenio adhibitum, qui dat V. COS.) is titulus appareat, eum eiecimus; licet non negem, Frontinum nostrum Consulem fuisse, quod satis liquido probauit Vir doctiss. Polenus in dissertatione, quam de Frontino praefixit libro de Aquaeductibus per eumdem hunc Frontinum scripto, et a se nuper edito, et nos cum aliorum eruditis de hoc auctore disputationibus recudi curauimus. Ceterum *Frontinorum* mentio, praeterquam in monumentis per viros doctos huc congestis, alibi quoque reperitur, et SEXTVS IVLIVS FRONTINVS memoratur in Inscriptione apud Sponium Miscell. Antiqu. p. 189. Vide etiam Cl. Fabricii biblioth. Lat. T. II. p. 737. *Oudendorpius.*

1 *Instruendam*] In impressis adhuc, si Oudendorpianam editionem excipiamus, legebatur *adstruendam*. Quamquam vero ipsa Frontini auctoritate illa scriptura se tueri videatur, qui paucis interiectis hac voce vtitur: rectius tamen, mea quidem sententia, *Oudendorpius* plurimorum optimorumque Codicum auctoritate, *instruendam* in textum recepit. *Instruere* generatim significat, omnia ea conferre et suppeditare, quae ad rem aliquam perficiendam pertinent. Hinc *instruere aciem*, *aggerem*, *triumphum*, *accusationem*, *litem*, *calumniam* et quae alia apud optimos scriptores exempla occurrunt: indeque *instruere rei militaris scientiam* dicitur, qui eam optimis praeceptis exemplisque ornat redditque perfectiorem. Sic noster cap. 8. §. 7. *Consilium eius instruebat:* vti *instruere iram* Ouidio L. XIII. Metam. v. 544. restituit Burmannus. *Instruere virtutem* apud Senecam de ira L. I. c. 3. Lucan. L. VI. 486. *mortibus instruit artes*. Iustin. L. V. c. 2. *instruere victoriam:* quae loca laudat Oudendorpius.

2 *Studiosorum*] *Studiosi* dicebantur cum, nostri saeculi consuetudine, qui alicui disciplinae discendae operam nauabant; vt *studiosi eloquentiae* apud Quinctilian. Instit. Orat. L. V. c. 10. et Gruterum CCCIII. 9. tum etiam *Professores* et *Doctores*, quales fuerunt *Quinctilianus* et *Nicetes* sacerdos, quos Pli-

rim, eique [3] destinato, quantum cura nostra valuit, satisfecisse visus sim, deberi adhuc institutae arbitror operae, vt sollertia ducum facta, quae a Graecis vna [4] στρατηγηματικῶν adpellatione comprehensa sunt, expeditis amplectar commentariis. Ita enim [5] consilii quoque et [6] prouidentiae exemplis succincti duces erunt; vnde

Plinius L. VI. p. 6. inter *eloquentiae studiosos* refert: vnde quidam eius interpretes, tres illos Plinii maioris libros, *Studiosos*, quibus oratorem ab incunabulis instituit et perficit, ob suam praestantiam dictos fuisse arbitrantur, v. Plin. L. III. ep. 5.

3 *Destinato*] Perinde erit, siue *destinationi* hic legamus, vt in impressis obtinuit, ipseque *Frontinus* noster habet L. II. c. 5. §. 38. *faciente inopia fidem destinationi*; siue *destinato*, quod Oudendorpius praetulit, tantum non omnium, quos consuluit, Codicum auctoritate adductus, quem nos quoque sequi haud dubitamus. Nimirum fuit haec vox scriptoribus eiusdem cum nostro aetatis valde frequens. Sic Sueton. in Calig. c. XLIII. ex *destinato*, et in Caes. c. LX. *destinato*, vbi, iudice Burmanno, Praepositio, vel librariorum incuria excidit; vel ex sequentibus vocibus, *ex necessitate*, est reuocanda. Item c. LXXX. *Quae caussa coniuratis maturandi fuit destinata negotia*, vbi quidem doctissimi commentatores non sine caussa v. *negotia*, ex glossa irrepsisse censuerunt: ita sane apud Tacitum Histor. L. I. c. 4. *antequam destinata componam*, et Senecam de benef. L. IV. c. 34. *Sapiens ad omnia cum exceptione veniet, si nihil inciderit, quod impediat. Ideo omnia illi succedere dicimus, et nihil contra opinionem accidere: quia praesumit animo, posse aliquid interuenire, quod destinata probibeat.*

4 Στρατηγηματικῶν] MSS. omnes, quos *Tennulius* et *Oudendorpius* excusserunt, prae se ferunt στρατηγηματικῶν; vt et Saresberiensis L. VI. c. 11. nisi quod *Scriuerius* in notis, sine vlla Codicis MS. mentione habet στρατηγημάτων. Dici non potest, quam frequenter voces, στρατηγικὰ, στρατηγηματικὰ et στρατηγήματα, a librariis olim turbatae reperiantur, ita quidem, vt ob peruicacem Codicum conspirationem scriptura saepe dubia relinquatur. Lubens adeo hic *Scriuerio* accederem, nisi omnes codices refragarentur. *Sollertia enim ducum facta*, vel vt aliis dicuntur *callida inuenta, doli, consilia imperatoria*, proprie στρατηγήματα dicuntur. Quod si vero proba est lectio στρατηγηματικῶν, subaudire possis ἔργων, quemadmodum πολεμήϊα ἔργα dicit Homerus Iliad. β. 338. et alibi saepius.

5 *Consilii*] *Consiliis* habet Medic. sec. non male. *Consilia* enim hic sunt, quae Graecis στρατηγήματα dicuntur: vti apud Ciceronem de Nat. Deor. L. III. c. 6. *Consilium illud imperatorium fuit, quod Graeci στρατήγημα appellant.* Recte vero eiusmodi consilia et exempla, quibus excogitandi gerendique similia facultas nutriatur, στρατηγῶν ἀγαθῶν ἄσκησιν Onosander in Prooem. p. 5. et Polyaenus in Prooem. ad L. VIII. ἐν τῷ πολέμῳ τῆς νίκης γυμνάσματα· ἐν δὲ εἰρήνῃ γνώμης παιδεύματα adpellarunt.

6 *Prouidentiae*] Quidam codices *prudentiae*: male. vid. I. F. Gronouium ad Liuium L. XXV. 34. *Dux cautus et prouidens.* Oudendorp.

7 *Expe-*

vnde illis excogitandi gerendique fimilia facultas nutriatur. Praeterea continget, ne de euentu trepidet inuentionis fuae, qui probatis eam [7] experimentis comparabit. Illud neque ignoro, neque inficior etiam, rerum geftarum fcriptores indagine operis fui hanc quoque partem effe complexos; et ab auctoribus exemplorum quidquid infigne aliquo modo fuit, traditum. Sed, vt opinor, occupatis velocitate confuli debet; longum eft enim fingula et fparfa per immenfum corpus hiftoriarum [8] perfequi: et hi, qui notabilia excerpferunt, ipfo velut aceruo rerum confuderunt legentem. Noftra [9] fedulitas impendet operam, vt quemadmodum res pofcet, ipfum, quod exigitur, quafi ad interrogatum [10] exhibeat:

7 *Experimentis comparabit.*] Hac de cauffa Onofander fuum ftrategeticum σύνταγμα commendat in Prooemio p. 8. Ὅτι πάντα διὰ πέιρας ἔργων ἐλήλυθεν — διὰ πράξεων καὶ ἀληθινῶν ἀγώνων κεχωρηκότα.

8 *Perfequi*] In impteffis legebatur *profequi*. Vtrumque et *profequi* et *perfequi* dicitur de fcriptore, qui res geftas ftilo profequitur, vt probat Oudendorpius ex Virgilii L. II. Aen. 107.

Profequitur pauitans, et ficto pectore fatur

Statius L. II. Theb. 268.

— longa eft feries, fed nota malorum
Profequar, vnde nouis tam faeua pot ntia donis.

idemque monet, *perfequi* hic idem effe, quod *inueftigare, et inquirendo ferutari:* quo fenfu occurrit apud Petronium C. 29. *Perfequi totum parietem non deftiti.* C. 33. *Perfecutus putamen manu, ficedulam inueni.*

9 *Sedulitas*] Pofterior aetas frequentauit nimium hos modos loquendi. Auctor fupra: *quantum cura noftra valuit.* Lactant. L. III. c. 30. *Docui, quantum mea mediocritas tulit, longe deuium philofophos iter a veritate tenuiffe.* Quinctil. Inftir. Prooem. *quantum noftra valebit infirmitas, differamus.* Valerius Max. Prol. *Mea paruitas iuftius ad fauorem tuum decurret.* Tennulius. Auctor nofter in libro de aquaeductibus Artic. 118. *Noftra fedulitas ad certam regulam redegit.* Oudendorp.

10 *Exbibeat.*] *Exhibeatur* legitur in impreffis. MSS. Parif. reg. Hillensbergiani, Romanus, Palat. Gudian. vterque Medic. praeferunt *exhibeat*; vt nimirum ad v. *fedulitas*, referatur. Alter Leidenf. et Petrenf. fiftunt, *refpondeat.* Sic nofter L. II. c. 3. §. 7. *Ad omne momentum refpondens miles* L. III. praef. *Si priores libri refponderunt titulis fuis.* et Horatius L. II. Sat. 6. 24.

Ne prior officio quisquam refpondeat —

Noftra autem lectio, videtur praeferenda, quod pro notiffima voce *refpondeat* hoc quidem loco librarius haud facile, *exhibeat*, fubftituiffe videatur.

circumſpectis enim generibus, praeparaui opportuna exemplorum veluti conſilia. Quo magis autem [11] diſcreta ad rerum varietatem apte collocarentur, in tres libros ea [12] diducimus. In primo erunt exempla, quae competant proelio nondum commiſſo. In ſecundo, quae ad proelium et confectam pacationem pertineant. Tertius inferendae ſoluendaeque obſidionis habebit ϛρατηγήματα: quibus deinceps generibus ſuas ſpecies adtribui. Huic labori non iniuſte veniam paciſcar, ne me pro incurioſo reprehendat, qui praeteritum aliquod a nobis repererit exemplum. Quis enim ad percenſenda omnia monumenta, quae [13] vtraque lingua tradita ſunt, ſufficiat? vnde multa transire mihi ipſe permiſi; quod me non ſine cauſſa feciſſe ſcient, qui aliorum libros, eadem promittentium, legerint. Verum facile erit, ſub [14] vnaquaque ſpecie ſuggerere. Nam cum hoc opus, ſicut [15] cetera, vſus potius aliorum, quam meae commen-

11 *Diſcreta*] Alias *quo magis autem diſcreta rerum collocarentur varietate apte in tres libros* etc. Scriuer. Ita legitur in Edd. Romana A. MCDXLIV. et Bononienſi. A. MDIV. et Keuchenii iudicio concinnius, quam vulgo. Mihi videtur locus corruptior. In vno Cantabr. *rerum ad varietatem apta*, adprobante cl. Waſſio, *ad rerum aditus collocaretur* v. a. duo Regii a. r. collocarentur varietatem a. Mediceus prim. *aperte* Medic. ſecund. An fuit, *diſcreta ad rerum exitus collocarentur varietate, apte in tres etc.?* non liquet. Oudend. Nodum in ſcirpo quaerunt, qui vulgatam commodi ſenſus ſcripturam ſollicitant. Auctor dicit, ſe ideo collecta exempla in tres libros diduxiſſe, quo iſta ſub certis generibus comprehenſa, pro rerum varietate diuiſa apte riteque collocarentur, atque omiſſa ſub ſua quaeque ſpecie ſuggeri poſſent. *Diſcreta* hic notat diuiſa, in ſua nimirum genera et ſpecies: quemadmodum Trogus Pompeius omnia *diuiſa temporibus et ſerie rerum digeſta* compoſuiſſe dicitur a *Iuſtino* in Praefatione. In tria igitur genera, illa exempla ſtatim diducit, iisque ſuas ſpecies attribuit.

12 *Diducimus.*] Recte *diducimus* exhibent fere omnes mei, niſi quod in vno Mediceo ſit *deduximus*. Oudendorp.

13 *Vtraque lingua.*] Graecae Romanaeque militiae Frontinus fuit peritiſſimus, teſte Aeliano Tact. in Prooem, et c. I. Adde *Polenum* in eius vita §. XV. ſqq.

14 *Sub vnaquaque ſpecie*] Omnes MSS. *ſub quaque*. Tennulius. Mei quoque cum edit. Pariſ. *ſub quaque*. Sed duo Regii et recens Gudiani manus cum edd. Rom. et Bonon. *ſub quacumque*. An fuit: *ſub ſua quaeque ſpecie ſuggerere?* Oudendorp.

15 *Sicut cetera,*] *Frontinus* enim, ante haec *Strategematica*, libros *de*

mendationis cauſſa adgreſſus ſim, adiuuari me ab his, qui aliquid illi adſtruent, non argui credam. Si qui erunt, quibus volumina haec cordi ſint, meminerint, [16] ϛρατηγηματικῶν et ϛρατηγημάτων perquam ſimilem naturam diſcernere. Nam tum omnia, quae a duce prouide, vtiliter, magnifice, conſtanter fiunt, ϛρατηγηματικὰ habebuntur, ſi in ſpecie eorum ſunt ϛρατηγήματα. Horum proprie vis in arte ſollertiaque poſita proficit, tam, vbi [17] cauendus, quam, vbi opprimendus

de ſcientia militari; *de Tactica Homeri tempore vſitata*, iam ſcripſiſſe videtur, qui vero temporis iniuria interciderunt; de quibus Aelian. Tact. c. 1. Vegetius L. I. c. 8. conſuli poſſunt.

16 Στρατηγηματικῶν] Quam frequenter voces ϛρατηγικὰ, ϛρατηγηματικὰ et ϛρατηγήματα in antiquis libris confundantur, ſupra a me n. 4. notatum memini; et probare poteſt varietas ſcripturae in Praef. ad L. IV. *et erant exempla potius ſtrategicon, quam ſtrategematicon*. Vnde Suidas *Aeneae* ϛρατηγικὰ male dicit ὑπόμνημα περὶ ϛρατηγημάτων: nec recte veteres libri MSS. haec Frontini ϛρατηγήματα, titulo ϛρατηγικῶν notarunt, quos facile ipſa auctoris verba in Praef. L. IV. refutare poſſunt. Sic ab anonymo ſcriptore de incredebilibus c. XI, obſeruante Fabricio in Bibl. Gr. L. IV. c. XV. laudatur Πολύαινος ἐν τοῖς ϛρατηγικοῖς, quae tamen ipſe auctor in Prooem. p. 3. τῆς ϛρατηγικῆς ἐπιϛήμης ἐφόδια, et τῶν πάλαι ϛρατηγήματα appellat. Quae cum ita ſint, facile mihi perſuadeo, hoc quoque loco, pro ϛρατηγικῶν irrepſiſſe ϛρατηγηματικῶν, et paullo poſt pro ϛρατηγηματικὰ eſſe legendum ϛρατηγικά: quorum ſpeciem recte dicit eſſe ϛρατηγήματα; ſicuti Τακτικὰ, μικρόντι μέρος τῆς ϛρατηγίας appellat Xenophon L. I. K. Π. p. 65. Quae enim *a Duce prouide, vtiliter, magnifice, conſtanter* fiunt, ϛρατηγικὰ potius quam ϛρατηγηματικὰ, ſi quidem adcurate loqui velimus, ſunt dicenda: quorum illa ad *imperatoriam artem* pertinent: haec vero eiusdem tantum ſpeciem, *ſollertia nimirum ducum* facta complectuntur. Quae enim inter ϛρατηγηματικὰ ἔργα et ϛρατηγήματα differentia intercedat, mea quidem opinione, facilius dici, quam mente concipi poteſt: quamquam illud neque ignoro, neque inficior etiam, repetiri quoque τακτικὰ, ἱππικὰ, κυνηγετικὰ, ἁλιευτικὰ, γεωργικὰ, γεωπονικὰ, βυκολικὰ, Ερωτικὰ: in quibus vero βιβλία, ὑπομνήματα, vel συντάγματα ſubaudiri ſolent, vid. not. ad Onoſandri c. I.

17 *Vbi cauendus cet.*] Ad eumdem modum Onoſander ſe collegiſſe dicit, quae Romani ποιήσαντες ἐφυλάξαντο παθεῖν, καὶ δι᾽ ὧν ἐμηχανήσαντο δρᾶσαι in Prooem. p. 7.

18 *Ver-*

dus hoſtis ſit. Qua in re cum [18] verborum quoque illuſtris exſtiterit effectus, vt factorum, ita dictorum exempla poſuimus. Species eorum, quae inſtruant ducem in his, quae ante praelium gerenda ſunt.

18 *Verborum — effectus,*] Hunc illuſtrem verborum effectum cum ſtrategici ſcriptores perſpexiſſent; ducem ἐν καιρῷ τῆς μάχης ἐκφωνεῖν χαρμόσυνα τοῖς ὑπηκόοις, εἰ καὶ ψευδῆ, iuſſerunt, vt Onoſander c. XXIII. Leo. c. XII. §. 71. et §. 120. c. XIV. §. 111. ex quibus locis patet, fuiſſe in exercitu viros eloquentiae laude conſpicuos, καντάτορας, *cantatores* dictos, qui militum animos in praelio ad virtutis victoriaeque laudem excitarent. Vultum tamen ducis in periculis hilarem laetumque, plus oratione proficere, idem docet Onoſander c. XIII. monetque adeo, πλέον τῷ σχήματι τοῦ προσώπου στρατηγοῦ τὴν τοῦ πλήθους εὐθυμίαν, ἢ τοῖς λόγοις παρηγορεῖν. Adde, ſi lubet, notata ad Onoſ. c. XIII.

INDEX

INDEX CAPITVM.

* Exempla huius capitis videntur postulare *hosti* vel *hostibus infesta*. Oudendorp.

SEXTI IVLII FRONTINI STRATEGEMATICON

LIBER PRIMVS

CAP. I.

De occultandis consiliis.

Exemplum I.

[1] MARCVS PORCIVS CATO deuictas ab se Hispaniae ciuitates existimabat [2] in tempore rebella-

1 *Marcus Porcius Cato*] Sic editi et MSS. Verum vt scias, effrenes monachi quam corruperint auctores; en exemplum singularis flagitii! Hunc locum nobis ita exhibuerunt in codice membranaceo, qui penes me est. *Marcus Porcius Cato cum subiugasset Hispaniae ciuitates et tuameti ne subito debellarent. Epistolas per singulas ciuitates misit, vt vnaquaeque ciuitas muros suos dirueret, et si non facerent vindictam inferret. Epistolas quibus ipsas omnibus ciuitatibus vna die dari praecepit. Vnaquaeque ciuitas cum sibi tantum hoc imperatum putassent muros ilico diruit. Certe si omnibus pariter hoc mandasset rebelles exstitissent.* Si haec est paraphrasis, merito ineptissima dicetur. Meruerunt aedepol isti obesi ventres natale supplicium, qui otii sui non aliam operam reddunt, quam vt perditum eant bonos auctores vel pro iis sua somnia nobis obtrudant. *Tenn.* Eodem modo habet haec Codex Bibliothecae Lugduno-Batauae, quem subinde ad partes voco sub titulo Leidens. tert. qui ita perpetuo interpellatus est, vt plane alius sit factus liber; quod nobis argumento et indicio esse potest, quam pessime a librariis, castratoribus et interpolatoribus, habitus sit noster auctor. *Oudend.*

2 *In tempore*] Recte obseruat Tennulius *in tempore* hic idem esse, quod *opportune, in articulo rerum gerendarum* Terent. Andr. III. 2. 52. *Atque adeo in ipso tempore eccum ipsum obuium.* ibid. 5. 6. 10. *O Charine, in tempore ipse mihi aduenis*; et quae alia exempla ad hunc locum vir doctissimus laudat. Sic apud nostrum L. II. c. I. §. 3. *existimauit ardori cedendum in tempore.* Respondet autem haec locutio Graecorum ἐν καιρῷ i. e. *commodo tempore*; de qua auream prorsus habemus, iudice Trillero, obseruationem Thomae Mag. p. 489. sqq. quae doctissimorum virorum consensu adprobata inextricabiles circa vexatissimum locum Marc. c. XI. 13. οὐ γὰρ ἦν καιρὸς σύκων, lites componere valet, cuius haec sunt verba, p. 491. καιρὸς οὐ μόνον ἐπὶ χρόνου ἁπλῶς τίθεται, ἀλλὰ καὶ ἐπὶ τοῦ ἁρμοδίου καὶ πρέποντος.

3 Fidu-

bellaturas, [3] fiducia murorum. Scripsit itaque singulis, vt diruerent munimenta, minatus bellum, nisi [4] confestim obtemperassent: epistolasque vniuersis ciuitatibus eodem die reddi iussit. Vnaquaeque vrbium sibi soli credidit imperatum. Contumaces conspiratio potuit facere, si omnibus idem denuntiari notum fuisset.

II. Himilco, dux Poenorum, vt in Siciliam inopinatus adpelleret classem, non [5] pronuntiauit, quo proficisceretur; sed tabellas, in quibus scriptum erat, quam partem peti vellet, vniuersis gubernatoribus dedit signatas; praecepitque, ne quis legeret, nisi vi tempestatis a cursu [6] praetoriae nauis abductus.

III. Caius Laelius ad Syphacem profectus [7] legatus, quosdam ex tribunis et centurionibus per speciem ser-

3 *Fiducia murorum*] Quanto melius Spartani, non in muris, sed in armis ac sua virtute fiduciam habuerunt collocatam! vt veterum auctoritate tradit Meurs. Miscell. Lac. IV. 10. qui et ipsi Athenienses, muros instruentes, eodem, quo Cato, consilio, ne vrbem haberent munitam, aedificare prohibuerunt, Nepos in Them. c. VI.

4 *Confestim*] *Continuo* pro *confestim* Cantabrigensis vnus, vt ipse Cato alibi de Re Rust. 671. *Nos si aegrotare coeperit, dato continuo ei vnum ouum:* quare vulgatae voci, per se bene Latinae *continuo* hic praefert Cl. Wasse. In fine huius exempli *potuisset facere* non male Leid. sec. Mox in Hillensb. et edd. Paris. *notum tunc fuisset.* Oudendorp.

II. *Himilco*] Ita lego, non Hamilcar, vti vulgo est. Scriuer. Himilco hic scribendnm esse, monuit etiam summus vir I. Casaubonus ad Polyaen. L. V. 10. 2. quem consule. Inuenitur autem hic Himilco in plerisque codicibus. Oudendorp.

5 *Pronuntiauit*] Institutum hoc cum aliorum imperatorum, tum etiam Caesaris fuit. Hirtius de bell. Afric. c. 3. *Quod neque gubernatoribus, vt mos ipsius consuetudoque superioribus temporibus fuerat, tabellas signatas dederat, vt in tempore iis perlectis, locum certum peterent.* Oudendorp.

6 *Praetoriae nauis*] Ita dicta fuit nauis, qua dux vehebatur, quaeque, nocturno tempore, lumine vno, vel etiam pluribus, reliquis nauibus praelucere solebat, ne a praetoriae nauis cursu abducerentur, vt docet Liuius L. XXIX. c. 25. *Lumina in nauibus singula rostratae, bina onerariae haberent: in praetoria naue insigne nocturnum trium luminum fore:* quae imminente hoste, extincta fuerunt, ne eius cursus notari posset, quod fecisse Sextum Pompeium Florus auctor est L. IV. c. 8. §. 5.

7 *Legatus*] Quinque ex meis seruant *legatus:* quare nihil temere mutem. Ceteri tamen omnes cum edd. antiquis et Sanuto *legatos* exhibent, forsan quia sciuerunt, vna cum Laelio plures iuisse legatos. Verum si per MStos liceret, malim hinc excudere *profectus legatus lectos quosdam* etc. c. 2 §. 1. *Scipio Africanus capta occasione mittendae*

seruitutis et ministerii exploratores secum duxit, ex quibus L. Statorium, quem, quia saepius in eisdem castris fuerat,[8] quidam ex hostibus videbantur agnoscere, occultandae conditionis eius caussa[9] baculo, vt seruum castigauit.

IV. Tarquinius Superbus pater Principes Gabinorum interficiendos arbitratus, quia hoc nemini volebat commissum, nihil nuntio respondit qui ad eum a filio erat missus:[10] Tamen virga eminentia papauerum capita, cum forte in horto ambularet,[11] decussit. Nuntius sine responso reuersus, renuntiauit adolescenti Tarquinio, quid agentem patrem uidisset: ille intelligit, idem eminentibus esse faciendum.

V. C. Caesar, quod suspectam habebat Aegyptiorum fidem, per speciem securitatis, inspectione vrbis atque

tendae ad Syphacem legationis cum Laelio seruorum habitu tribunos et centuriones lectissimos ire iussit. Oudendorp.

8 *Quidam ex hostibus*] MSS. omnes: *Quem quidam ex hostibus*, sensu rotundiore. Tennul. Nostri quoque cum ed. Par. hic addunt *quem*; sed non video inde exoriri sensum rotundiorem, nisi illa verba, *quia saepius in eisdem castris fuerat*, pro glossa considerentur, ac deleantur; et certe verba illa in Sanuto non comparent. Aliter *quam* deber necessario retrahi ante *quia*, quod feci, vt sensus constaret: et hoc in margine meo monuit Scriuerius, qui ante coniecerat *quum quidam*: quomodo est in Hillensb. Salmasius olim ad Florum L. II. c. 12. ed. primae legebat, *quia, quod* s. i. e. c. f. *quidam* etc. Scilicet Statorium videbantur hostes agnituri, quia saepius in Syphacis castris fuerat. Hic autem L. Statorius videtur fuisse frater Q. Statorii Centurionis: nam eumdem fuisse non audeo statuere; siquidem ille ex sententia summi Gronouii ab eo tempore, quo primum in Syphacis castra venit, ibi permansit, Regiique exercitus dux contra Scipionem factus est. Consule omnino Liuium L. XXIV. c. 48. et L. XXX. c. 28. ac Gronouii Obseru. L. IV. c. 7. Oudendorp.

9 *Baculo*] In MS. optimo Palatino est *et sermone* c. Vnde quis coniicere possit *baculo* esse interpretationem verioris vocis *scipione*. Oudend.

10 *Tamen*] Quamquam *tamen* particula hic locum habere potest: malim tamen cum Salmasio et Lipsio reuocare *tantum*; cum, quod *tamen* et *tantum* frequentissime in antiquis libris confunduntur; tum *tantum* plurimorum Codd. MSS. auctoritate se tuetur.

11 *Decussit*] Varii codices habent *excussit*, vti etiam Florus L. I. c. 7. *eminentia forte papauerum capita virgula excutiens*. Plurimi tamen libri MSS. seruant *decussit*: quod etiam apud Liuium L. I. c. 54. *ibi inambulans tacitus summa papauerum capita dicitur baculo decussisse*; quem ipse forsan Frontinus expressit.

12 Ca-

atque operum, ac ſimul licentioribus conuiuiis deditus, videri voluit [12] captum ſeſe gratia locorum, [13] vt ad mores Alexandrinos vitamque deficeret: atque inter eam diſſimulationem praeparatis ſubſidiis, occupauit Aegyptum.

VI. Ventidius Parthico bello aduerſus Pacorum regem, non ignarus, [14] Pharnaeum quemdam, natione [15] Cyrreſten, ex iis, qui ſocii videbantur, omnia, quae apud ipſos agebantur, nuntiare Parthis, perfidiam barbari ad vtilitates ſuas conuertit. Nam quae maxime fieri cupiebat, ea vereri ſe, ne acciderent; quae timebat, ea vt euenirent, optare ſimulabat. Sollicitus itaque, ne Parthi ante transirent Euphratem, quam ſibi [16] ſuperuenirent legiones, quas in Cappadocia trans Taurum habebat, ſtudioſe cum proditore egit, vti ſollenni

12 *Captum ſeſe*] *captum ſe* MSS. mei ſeptem: *captus eſſe* Gudian. et Leid. ſec. *captus gratia* recte Palat. et Reg. pr. Oudend.

13 *Vt ad mores*] *Vt* pro *et*, quod adhuc fuit in vulgatis, recte omnium Codd. MSS. conſenſu reuocauit Oudendorpius: *ſic* vel *adeo* nimirum per ellipſin ſuppreſſo. Quod ad rem attinet, Gabinianos quoque milites, qui cum Achilla erant, *in conſuetudinem Alexandrinae vitae atque licentiam veniſſe* dixit Caeſar de bell. ciu. L. III. c. 110.

14 *Pharnaeum*] *Phaneum* citat Scaliger ad Varronem. Verum apud Dionem Caſſium, quo latius nemo hiſtoricorum hoc Ventidii ſtrategema enarrat L. XLIX. p. 403. ed. Wech. hic dynaſta vocatur χαυναῖος, ſiue vt aliae habent editiones χαυναῖος, vnde optime doctiſſimus vir P. Weſſeling in litteris ad me datis hic quoque ſubſtituendum iudicat *Channaeum*, quod nomen Syro homini conuenire gentis ſermo probat. Iuuat paullulum Reg. ſec. in quo exaratur *Franeum*. Aliter poſſet vno ex altero correcto ſcribi *Pharnaeum*, quod fieri curaui, vt ſaltem diphthongus ſeruetur, Φαρναῖον, quomodo dicimus *Pharnaeen*, *Pharnabaſum*, *Pharnapaten* etc. ſed prius magis placet. Oudendorp.

15 *Cyrreſten*] *Cyrreſtes* recte ſcribitur a *Cyrro* vrbe Syriae, vnde κυῤῥήστης: non enim cum ε, ſed cum η ſcribendam eſſe hanc vocem, cum alia veterum ſcriptorum, *Dionis*, *Plutarchi*, *Strabonis* loca, tum numiſmata probant, in quibus κυῤῥηστῶν exhibetur, v. commentatores ad Stephanum de vrbib. ad v. κύῤῥος p. 494.

16 *Superuenirent*] Quodſi durius et ineleganter dictum videtur hoc loco *ſuperuenirent*, ſcribamus *ſubuenirent*, vt clare exhibet Medic. primus, quae variatio occurrit quoque L. II. c. 5. §. 45. vbi certe mutari non eſt neceſſe, *aliam claſſem in auxilium ſuperuenire ei arbitrati*, et L. III. c. 15. §. 1. *Donec Camillus ſubueniret*: al. *ſuperueniret*. Adde Curtium L. IV. c. 4. §. 9. Oudendorp.

17 *Omiſſo*]

lenni perfidia Parthis suaderet, per Zeugma traiicerent exercitum, qua et breuissimum iter est, et [17] omisso alueo Euphrates decurrit. Namque si illae venirent, adseuerabat, se [18] opportunitate collium vsurum, ad eludendos sagittarios: omnia autem vereri, si se in [19] patentes campos proiecissent. Inducti hac adfirmatione barbari inferiore itinere per circuitum adduxerunt exercitum: dumque fusiores ripas, et ob hoc operosiores [20] pontes iungunt, instrumentaque moliuntur, quadraginta

17 *Omisso*] Variant in huius loci scriptura non multum Codd. MSS. nisi quod in Medic. sec. sit *obmisso*; et in edit. paris. priore *emisso*: vnde Lipsius et Scriuerius in margine notarunt, scribendum sibi videri *remisso*; alius vir doctus malebat *demisso*; vt tradit Oudendorpius. *Omisso alueo* equidem veram esse scripturam censeam. sicuti enim *accipere alueum* flumen dicitur, cum patulum antea et vagum, intra ripas suas coercitum fluit: ita contra idem *omittit*, vel *deserit alueum*, cum extra ripas diffluit, ac sine alueo diffusum fertur. Sic de ipso hoc Euphrate Mela L. III. c. VIII. §. 35. *nec secat continuo agros, sed late diffusus in stagna, diu sedentibus aquis piger, et* sine alueo patulus, *post vbi marginem rupit, vere fluuius*, acceptisque ripis, *celer et fremens, per Armenios et Cappadocas occidentem petit.* Eadem fere ratione *Tiberis* aestate fluminis *nomen deserere*, autumno *resumere* dicitur apud Plinium L. V. ep. 6. §. 13. Ea autem fuit Euphratis natura, vt verno, ac magis solstitii aestiui tempore aquis intumescat, ripisque superatis vniuersam circumiacentem regionem inundet, vti auctor est Arrianus de exp. Alex. L. VII. 21. quo facto omnino *omisso alueo decurrere*, dici potest.

18 *Se opportunitate collium vsurum*] Magnam fiduciam in collium opportunitate positam habuerunt veteres; vnde et castra saepius in locis editis metati sunt, et acies in iisdem instruxerunt, v. noster L. I. c. X. §. 3. Agesilaus suis dixit, responso Deum se ex collibus pugnare iussum L. I. c. 10. §. 3. Hinc inter campestres fuit exercitationes, *λόφυς, ἢ ὀρθίυς βυνὺς, ἢ τόπυς σὺν δρόμῳ καταλαμβάνειν*, v. Onosander c. X. p. 47.

19 *In patentes campos*] *Infra pat.* habent nouem vel decem nostri vetustiores cum Edd. Paris. Quidsi legamus *infra in patentes campos*. Infra Zeugma scilicet, *ἑτέρᾳ ὁδῷ κάτω τῦ ποταμῦ* ait Dio. *Infra* sine casu saepe significat *deorsum*. Liu. L. I. c. 43. *Nec fere vmquam infra ita descenderent, vt ad infimos peruenirent.* Statius L. II. Theb. 163.

Isthmos et alterno quas margine
submouet infra. Oudendorp.

20 *Pontes iungunt*] Eodem modo auctor locutus est etiam L. IV. c. 2. §. 1. *Ad fluuium, in quo pontem iungi oportebat.* Imo dudum Io. Frid. Gronouius Taciti locis docuit, aeque dici *iungere pontem*, ac *amnem ponte*, ad Plinii adpositum locum L. XXXIV. c. 15. *Et exstare ferream catenam apud Euphratem amnem in vrbe, quae Zeugma adpellatur, qua Alexander magnus illi iunxit pontem*: Seneca de breuitate vitae c. 18. *pontes nauibus iungit.* Vt ripas ergo iungant et committant,

draginta amplius dies impenderunt: quo ſpatio Ventidius ad contrahendas vſus eſt copias; eisque triduo, antequam Parthus adueniret, receptis, acie commiſſa, vicit [21] Pacorum, et interfecit.

VII. Mithridates, circumuallante Pompeio, fugam in proximam diem moliens, huius conſilii obſcurandi cauſſa, latius et vſque [22] ad adplicitas hoſti valles pabulatus, colloquia quoque cum pluribus, auertendae ſuſpicionis cauſſa, [23] in poſterum conſtituit. Ignes etiam frequentiores per tota caſtra fieri iuſſit. Secunda deinde vigilia, praeter ipſa hoſtium caſtra agmen eduxit.

VIII. Imperator Caeſar Domitianus Auguſtus, Germanicus, cum Germanos, qui in armis erant, vellet opprimere, nec ignoraret, maiore bellum molitione inituros, ſi aduentum tanti ducis praeſenſiſſent, [24] profectio-

mittant, pontes quoque iungere debent. Hoc ſenſu *iungere ratem, naues* etc. eſt ex multis partibus conſtruere. Conſule viros doctos ad Valer. Flacc. L. I. 123. ad Curtium L. VIII. c. 10. Silium Ital. L. V. 553. De praedicta catena vide quoque Stephanum in Ζεῦγμα, et Io. Nicol. Loeenſem Epiphyll. L. IV. c. 8. Reliquias autem pontis ſua aetate adhuc exſtitiſſe, et catenam ſeruari ex epiſtola P. Gylii MSta, notante hic Scriuerio, monet Ortelius. Oudend.

21 *Pacorum*] Omnes vno ore Hiſtorici, Iuſtin L. XLII. c. 4. Florus L. IV. c. 9. Velleius Paterc. L. II. c. 78. aliique teſtantur, *Pacorum* hoc praelio interfectum. Quare, conſentientibus inſuper plerisque Codd. MSS. recte pro vulgata *Parthos*, in textum *Pacorum* reuocáuit Oudendorpius, qui ipſe monet, frequentem et facilem apud omnes auctores in MSS. et Edd. eſſe varietatem inter *Pacorum* et *Parthorum*.

22 *Ad adplicitas hoſti valles*] Duo Medicei praeferunt, *ad adplicitos hoſti vallos*; quae ſcriptura, quamquam illis, *circumuallante Pompeio*, commode reſpondere videtur, ob plurimorum tamen Codicum diſſenſum, non omni ex parte probatur, cum reuera valles eſſe potuerint ad hoſtium vſque caſtra porrectae, in quibus pabulati fuerunt. Nec vero, vt *ſegetes*, vel *prata* ſubaudiamus, quod Oudendorpius cenſet, opus eſſe putamus.

23 *In poſterum*] Petrenſis addit *in poſterum diem* vulgata vero recte ſe habet. Sic Tacitus Annal. L. IV. c. 73. *pugna in poſterum extracta:* nec L. II. c. 5. §. 20. omnes codices v. *diem* agnoſcunt.

24 *Profectionem ſuam cenſu*] *Profectionem ſuam ſenſu* MSS et Edd. primae conſtanter exhibent, excepto regio primo, in quo eſt *percenſu*. dein pro *obtexuit* quod ſumtum pro *praetexuit, obſcurauit*, Mediceus pr. *obtexit*, quomodo ex ingenio maluerat olim Salmaſius ad Florum L. II. c. 12. Ed. pr. Mihi ſecus videtur. Oudendorp.

25 *Sub*

fectionem suam censu obtexuit Galliarum. [25] Sub quibus inopinato bello adfusus, [26] contusa immanium ferocia nationum, prouinciis consuluit.

IX. Claudius Nero, cum cuperet Hasdrubalem copiasque eius, antequam Hannibali fratri iungerentur, [27] excidi; idcircoque festinaret, se Liuio Salinatori, colle-

25 *Sub quibus*] MSS. non variant. Mira phrasis significare videtur *quo praetextu, inter quae, inter eam dissimulationem* exemplo v. dixit *per haec* C. V. ex. 18. Scriu. *Sub* cum Ablatiuo notare tempus, vel praetextum saepius docuerunt viri docti. Hoc tamen loco durius videtur *sub quibus*: cum praecedat modo vnum quid, ad quod referri possit, nisi admittamus lectionem, quam profert Modius, vel ex Regio et Mediceo rescribamus *per census obtexit Galliarum*; *sub quibus* scilicet censibus, siue eorum praetextu, vt apud Virgil. L. II. Aencid. v. 83. *Sub proditione*; aut *sub quibus* erit *post quos*, simulac census illic egerit; de qua locutione consule cel. Burmannum ad Vell. L. II. c. 127. *sub his exemplis*. Si haec minus placent, et coniecturis indulgere licet, diuinare possis, *sic quietis*, quales describit Liuius L. XX. c. 19. *Quietos in tentoriis suis nihil minus, quam hostem, aut praelium eo die exspectantes*. Et passim *quietis* vel *securis* hostibus superueniendi exempla apud cuiuscumque linguae scriptores. An etiam dedisset Frontinus *sic Cattis?* nam haec de expeditione in Cattos, cuius meminerunt Suetonius, Eutropius aliique, intelligenda videntur. *Cattorum* a Domitiano victorum mentionem facit noster quoque L. II. c. III. §. 23. vbi vide, nam et illic erat corruptum. Oudendorp.

Communis et, vt ita dicam, pertinax MSS Codd. consensus facit, vt vulgatam relinquere durum omnino videatur. Quid? si *sub quibus* simpliciter et sine respectu intelligamus, vt apud Graecos ἐφ' ὅις positum dicamus i. e. *statim post haec*. Nam ἐπὶ cum Datiuo significat etiam *post*. Sic apud Aelian. V. H. L. III. c. 18. καὶ ἐπὶ τούτοις ἐξανηλώθη, L. XIII. c. 20. ἐπὶ τούτοις, ὡς λόγος, τὴν ψυχὴν ἀπέλιπεν. Sicuti porro ἐπὶ *tempus* significat, vt Aelian. L. II. c. 34. ἐπὶ δυσμαῖς ἐστιν: ita apud Latinos *sub* usurpatur: vt apud Sueton. in Claud. c. 43. *Sub exitu vitae*. Vnde rarior quidem haec locutio, *sub quibus*; et *callidum* Domitiani *praetextum*; et *maturandi consilii tempus*, inuoluere videtur. Quodsi tamen ab antiquis libris lubeat discedere, cl. Herelii coniectura mihi inprimis placet, qui leuissima mutatione pro *sub quibus* scribendum censet, *subitus*que, vel etiam *subitus*, omissa copula, vt saepius noster loqui amat; cuius vide coniecturas ad calcem positas.

26 *Contusa*] MSS. tres *contussa*. Recto stat talo vulgata. *Contundi* dicuntur res corporeae, quae franguntur atque comminuuntur. Praeterea etiam de hominum animis vsurpatur. Sic Cicero L. XII. ad Attic. ep. 44. *Contudi enim* animum *et fortasse vici*. Plinius L. VIII. 14. *ingenia nostra in posterum quoque hebetata, fracta, contusa sunt*. Et *Horatius* L. III. Od. 6. 10.

Inauspicatos contudit impetus.

Valerius Max. L. V. c. 3. contusam et confractam belli Punici armis Rempublicam — Carthaginis dominam reddidit.

27 *Excidi*] *Occidere* in vulgatis adhuc legebatur. Oudendorpius pri-

collegae fuo, cui bellum mandatum fuerat, (parum fidens viribus, quae fub ipfo erant) adiungere, neque tamen difceffum fuum ab Hannibale, cui oppofitus erat, fentiri vellet, decem millia fortiffimorum militum delegit, praecepitque legatis, quos relinquebat, vt eaedem ftationes vigiliaeque agerentur, totidem [28] ignes arderent, eademque facies caftrorum feruaretur, ne quid Hannibal fufpicatus, auderet aduerfus paucitatem relictorum. Quum deinde in Vmbria, occultatis itineribus, collegae fe iunxiffet, [29] vetuit caftra ampliari, ne quod fignum aduentus fui Poeno daret [30] detractaturo pugnam, fi confulum iunctas vires intellexiffet. Igitur [31] infcium duplicatis adgreffus copiis fuperauit et velo-

primus, auctoritate omnium, quos ipfe confuluit, et Scriuerii codicum, veram lectionem *excidi* Frontino reftituit. *Excidi* autem copiae dicuntur, quae ad internecionem caeduntur, quam vecem ifti Hasdrubalis cladi conuenire *Liuius* docet L. XXVII. c. 51. *qui eam vel ducis, vel exercitus interitu, Cannenfi cladi aequam redditam, et quinquaginta fex millia hoftium occifa fuiffe teftatur.*

28 *Totidem ignes arderent*] Hinc ftrategici fcriptores, quotiescumque caftra clam hoftibus erant mouenda, exercitum πυρὰ πολλὰ καύσαντα ἀναχωρεῖν praeceperunt; cuius rei rationem adfert Onofander c. X. §. 5. et qui hunc ad verbum fere expri-mit Leo c. XI. §. 24. Idem obferuanit *Spartacus*, qui ignibus per tota caftra factis, et vana imagine delufo hofte, copias filentio noctis eduxit, v. Frontin. L. I. c. V. §. 22. nec non *Iphicrates* ibid. §. 24.

29 *Vetuit caftra ampliari*] Sapiens igitur monitum eft ftrategicorum, ne exercitus duces, vel magnitudine; vel paruitate caftrorum ab hofte fibi imponi patiantur; fed ea fcienter omnique cura confiderent. Quomodo caftrorum facies fit diiudicanda, docet Onofander c. X. S. 8. quae vero artes ad id requirantur, Polybius T. I. p. 776. fqq. Conftat quoque, acie denfius inftructa, moxque in ipfo certamine diducta; hoftes faepe fuiffe deceptos circumuentosque v. Frontinus L. II. c. 3. §. 12. Aelianus Tact. c. XLVI.

30 *Detractaturo*] Legebatur vulgo *detracturo*, vti et in manu exaratis libris. In edit. Wechel. *detrectaturo*, quod tacitus feruauit Tennulius; eamque phrafin fexcenties inuenias apud Liuium, ceterosque auctores vid. Ciofan. ad Ouid. Metam. L. XIII. 56.

— — *detrectauitque furore*
Militiam ficto.

At aliam orthographiam hic feruarunt recte Edd. Bononienfis et Parifina *detractaturo*: vnde correptum *detracturo*: Atque ita vbique legi amant multi viri docti. Confule cl. Burm. ad Ouid. L. V. Metam. 246. Cortium ad Sall. Iug. c 57. in fin. fic MSS. L. II c. I. §. 3. L III. c. 6. §. 9. L. IV. c. I. §. 21. 43 Oudend.

31 *Infcium*] Sic fere Valer. Max. L. VII. c. 4. §. 4. Verum Liuius diferte enarrat, Hasdrubalem minime fuiffe infcium ipfius aduentus, et ex repetito bis in confularibus caftris figno, et ex aduftiore militum

velocius omni nuntio rediit ad Hannibalem. Ita ex duobus callidiſſimis ducibus Poenorum, eodem conſilio alterum celauit, alterum oppreſſit.

X. Themiſtocles exhortans ſuos ad ſuſcitandos feſtinanter muros, quos [32] iuſſu Lacedaemoniorum deiecerant, legatis Lacedaemone miſſis, qui interpellarent, reſpondit, venturum ſe ad diluendam hanc [33] exiſtimationem; et peruenit Lacedaemonem. Ibi ſimulato morbo aliquantum temporis [34] extraxit, et poſtquam intellexit, ſuſpectam eſſe tergiuerſationem ſuam, contendit, falſum ad eos [35] rumorem; et rogauit, vt mitterent

tum colore ſenſiſſe duplicatas Romanorum vires, quod ipſe noſter auctor c. II. §. 7. ipſis paene Liuii verbis memoriae quoque prodit. Qua re dicendum, hoc ex alio ſcriptore a Frontino ſumtum, et dein auctorem ſui oblitum, illa, quae habet c. 2. ex Liuio deſcripſiſſe. Oudendorp.

32 *Quos iuſſu Lacedaemoniorum deiecerant*] Immo vero Xerxes cum Thermopylis expugnatis, protinus acceſſiſſet aſtu, id nullis defendentibus, interfectis ſacerdotibus, quos in arce inuenerat, incendio deleuit, vt ſcribit Nepos in Themiſt. c. IV. Ex quo patet, Frontinum quodam errore haec tempora cum illis Cononis confudiſſe, qui muros a Lyſandro dirutos, deuictis apud Aegos flumen Athenienſium copiis, vtrosque et Pyraeei et Athenarum, reficiendos curauit, Idem in Con. c. IV. Lacedaemonii vero Themiſtoclis tempore cum audierunt, muros inſtrui, legatos Athenas miſerunt, qui id fieri vetarent, Idem in Themiſt. c. VI.

33 *Exiſtimationem*] *Exiſtimatio* actiue ſumta idem eſt, quod *opinio* vel. vt noſter paullo poſt habet, *rumor*: vnde vtraque vox συνωνύμως vſurpatur. Sic vtitur *Terentius* Prol. Heaut. v. 25. *Arbitrium veſtrum, veſtra exiſtimatio, valebit.* Plinius L. II. ep. 5. *In ceteris actionibus exiſtimationi hominum diligentia tantum et fides noſtra; in hac etiam pietas ſubiicietur.* Nepos in Eum. c. XIII. §. 2. *In quo quanta fuerit omnium opinio i. e. exiſtimatio.* Plura exempla ad hunc locum adfert Tennulius, quem vide ſis.

34 *Extraxit*] Sic noſter auctor L. I. c. V. §. 19. *Cauillatus deinde conditionibus dies aliquot extraxit.* Quidam codices minus recte habent *contraxit.*

35 *Falſum ad eos rumorem*] *Stewechius* primus contra omnium Codd. MSS. et vett. edd. auctoritatem addidit *perlatum*, forſan Nepotem ſecutus, qui habet: *falſa his eſſe delata*, in Themiſt. c. VII. §. 2. In Colonienſi editione itidem abeſt v. *perlatum.* Eſt vero abrupta locutio, voce, *perlatum*, per Ellipſin ſuppreſſa; quae loquendi ratio optimis ſcriptoribus non eſt infrequens, praeſertim in citandis veterum auctorum dictis. Sic Horatius L. II. Sat. 6. 55.

— — *At omnes DI exagitent me*

Si quidquam ſc. *noui*

et ibid. v. 83. *Quid multa* ſc. *dicam.* Plinius L. I. ep. V. §. 9. *Euigilaueram. Nuncius a Spurina: venio ad te: immo ego ad te* ſc. *veniam*: L. IX. ep. 36. §. 4. *Poſt*

coenam

rent aliquem ex principibus, quibus crederent de munitione Athenarum. Suis deinde clam scripsit, vt eos, qui venissent, retinerent, donec, refectis operibus, confiteretur Lacedaemoniis, munitas esse Athenas, neque aliter principes eorum redire posse, quam ipse remissus foret: quod facile praestiterunt Lacedaemonii, ne vnius interitum multorum morte pensarent.

XI. L. Furius, [36] exercitu producto in locum iniquum, quum constituisset occultare sollicitudinem suam, ne reliqui trepidarent, paullatim se inflectens, tamquam circuitu maiore hostem adgressurus, conuerso agmine, ignarum rei, quae agebatur, exercitum incolumem reduxit.

XII. [37] Metellus Pius in Hispania interrogatus, quid postera die facturus esset, Tunicam meam, si id eloqui posset, inquit, [38] comburerem.

XIII.

coenam comoedus, aut lyristes; adest, vel auditur. Florus L. III. c. 6. *Ipse Pompeius in originem fontemque belli Ciliciam.* Senec. Troad. Act. III. 844.

Numquid Aiacis Sulamina veram? et quae alia exempla laudant Γennulius ad h. l. et Gronouius ad Liuii L. XLI. c. 3. et L. XXXVII. c. 10. Nec erat, cur dubitaret *Buchnerus* ad Plinii L. I. ep. II. §. 2. verbis, *quos aequus amauit*, adiiciendum, an subaudiendum sit *τὸ Iupiter*. Sic idem L. IX. I. §. 3

Ουχ ὁσίη φθιμένοισι.

quorum illa ex Virgilii Aen. L. VI. 129. haec vero ex Homeri Odyss. L. XXII. 436 sunt deriuata.

36 *Exercitu producto*] In meorum MSS. sex est *perducto*; vt vulgo infra, vbi idem repetitur exemplum, ex quo melius esse *perducto* ad marginem sui libri adposuit Scriuerius. Contra censet cel. Burmannus ad Quinctil. Declam. CCCV. *An alicuius insidiis perducti.* Adde quae congessimus ad Lucani L. IX. v. 389. Oudendorp.

37 *Metellus Pius*] Non modo Aurelius Victor, sed etiam Valerius Maximus L. VII. c. IV. §. 5. hoc dictum tribuunt Q. Metello Macedonico, quo longe posterior est Metellus Pius Numidici filius. Quod forsan iam viderunt editores primi: nam in Edd. Romana et Bononiensi non comparet *τὸ Pius*. Sed MSS. et Sanutus agnoscunt, nisi quod in Leidensi tertio desit, vt et in vno Scriuerii, qui margini quoque adscripsit *Recte: nam Macedonicus fuit.* Oudendorp.

38 *Comburerem*] Tantum non omnes strategici scriptores *taciturnitatem* inter praecipuas Ducis virtutes commendant, eiusque consilia arcana esse iubent; vt *Onosander* c. X. S. 10. *Leo* c. III. §. 10. c. XVII. §. 57. c. XX. §. 8. 66. 133. *Mauricius* p. 176. 217. Rationem vtilissimi huius praecepti tradit *Polybius* Tom. II. p. 1541. οἱ πλεῖστοι

XIII. M. Licinius Crassus, percontanti, quo tempore castra moturus esset, respondit: [39] vereris, ne tubam non exaudias.

τῶν ἀνθρώπων τὸ κυφότατον ἥκιστα φέρειν δύνανται. λέγω δὲ ΤΗΝ ΣΙΩΠΗΝ.

39 *Vereris, ne tubam non exaudias*] Variant valde in his verbis Codd. MSS. multi vero adstipulantur vulgato, quod sani sensus est. His verbis ad filium quoque Demetrium vsus est Antigonus: Plutarch. Demetr. fol. 902: Ἀγωνιᾷς, μὴ μόνος σὺ τῆς σάλπιγγος οὐκ ἀκούσῃς. de Antigono vide etiam Plutarch. in Apophthegm. p. 181. Oudendorp.

CAP. II.

De explorandis consiliis hostium.

Exemplum I.

Scipio Africanus, capta occasione, mittendae ad Syphacem legationis, cum Laelio seruorum habitu tribunos et centuriones electissimos ire iussit, quibus curae esset, [1] perspicere regias vires. Hi, quo liberius [2] castrorum positionem scrutarentur, equum de industria dimissum, tamquam fugientem [3] persectati, maximam partem munimentorum circuierant; quae cum nuntiassent, incendio confectum est bellum.

II. Q.

1 *Perspicere*] In duobus Scriuerii et quinque Oudendorpii Codd. nec non Rom. Bonon. Paris. editionibus pro *perspicere* est *prospicere*: merito autem hic *perspicere*; quod est rem plane cognoscere atque exploratam habere, locum suum prae altera lectione tuetur. Sic Velleius Paterc. L. II. c. 14. §. 3. *Tu vero*, inquit, *si quid in te artis est, ita compone domum, vt quidquid agam, ab omnibus perspici possit.*

2 *Castrorum positionem*] Quae cautio in hostilium castrorum consideratione sit adhibenda praeter alios Tacticos scriptores, docet Onosander c. X. S. 8. vid. not. ad C. I. §. 9.

3 *Persectati*] Quidam Codd. cum edd. Rom. Bonon. ac Sanuto referunt *persecuti*. Medicei *prosecuti*: nec vero est, quod vulgatam in aliis scriptis et impressis obuiam sollicitemus, quamquam rarius apud veteres scriptores reperiatur, nisi quod Lucretius eam vindicat L. II. 165. *Per* nimirum auget significationem, estque *persectari* idem quod *penitus sectari*; vt in *persequi, percontari, perferre* aliisque.

4 *Fa-*

II. Q. Fabius [4] Maximus bello Hetrusco, quum adhuc incognitae forent Romanis ducibus sagaciores explorandi viae, fratrem Fabium Caesonem, peritum [5] linguae Hetruscae, iussit Tusco habitu penetrare [6] Ciminiam siluam, [7] intentatam ante militi nostro. Quod is adeo prudenter atque industrie fecit, vt transgressus siluam, Vmbros Camertes, quum animaduertisset, non [8] alienos nomini Romano, ad societatem compulerit.

III. [9] Carthaginienses quum animaduertissent Alexandri ita magnas opes, vt Africae quoque immineret, vnum ex ciuibus, virum acrem, nomine Hamilcarem [10] Rhodinum, iusserunt simulato exsilio ire ad regem, omnique studio in amicitiam eius peruenire: qua is potitus, consilia eius nota ciuibus suis faciebat.

 IV. Iidem

4 *Fabius Maximus*] Addit Cantabrigiensis *consul*, quod historiae veritati conuenit. Explorator autem num fuerit Fabius Caeso, an alius, dubitat Liuius L. IX. 36. vbi vide Gronouium. Oudendorp.

5 *Linguae Hetruscae*] Lingua Etrusca fuit, qua Tyrrheni, qui etiam Tusci et Etrusci dicebantur, vsi fuerunt. Cum ex priscis annalium monumentis constet, antiquissimos Italiae populos, *Ausones*, *Auruncos*, *Pelasgos*, *Tyrrhenos*, fuisse Graecorum colonos, qui nouas sedes quaerentes in Italiae regionibus domicilia sibi constituerunt: dubitari non potest, Tyrrhenos a Graecis litterarum elementa accepisse; ipsamque adeo Etruscam linguam sua origine Graecam fuisse, nec ab ea nisi dialecto diuersam; id quod eruditissimus Garius in conficiendà Eugubinae tabulae interpretatione luculentissime cumprobauit; vid. Epitomen Musei Etrusci p. 106.

6 *Ciminiam*] Variant Codd. in vocis huius scriptione: vnus Regius et duo Hill. *Cuminam*; Arcerianus *Geminiam*: Regius *Cumeriam* praeferunt. *Ciminiam*, vt est in *Liuio*, *Floro* aliisque, seruauit Oudendorpius.

7 *Intentatam*] Pro *intentatam siluam* habet, *inuium ante saltum* Florus L. I. c. 17. §. 3. quem adeo terrori tunc fuisse scribit, vt Senatus consuli denuntiaret, ne tantum periculi ingredi auderet.

8 *Alienos nomini Romano*] *Alienus* Datiuo iunctum occurrit quoque L. II. c. I. §. 11. *Arbitratus alienum dimicationi tempus.* Tacit. L. II. Histor. c. 74. *Muciani animus nec Vespasiano alienus.*

9 *Carthaginienses*] Variant mei Codd. in Edd. antiquis est *Carthaginenses*. Sed vbique Carthaginienses recte posse scribi, clare docet vir summus I. Fr. Gronouius ad Liuium L. XXVIII. 26. et post eum multi alii. Oudend.

10 *Rhodinum*] Mire variant Codd. MSS. et Edd. vett. Eruditissimus Abr. Gronouius ad Iustin. L. XXI. c. 6. docuit, ab aliis quoque gestum nomen *Rhodani*: et sic apud Gruter. Inscript. p. DCCVI. N. 15. T. SEXTIVS RHODANVS. Verum haec non

IV. Iidem Carthaginienses miserunt, qui [11] per speciem legatorum longo tempore Romae morarentur, [12] exciperentque consilia nostrorum.

V. M. Cato in Hispania, quia ad hostium consilia [13] alia via peruenire non poterat, iussit trecentos milites simul impetum facere in stationem hostium, [14] raptumque vnum ex his in castra perferre incolumem. Tortus ille, omnia suorum arcana confessus est.

VI. C. Marius Cos. bello Cimbrico et Teutonico, ad excutiendam Gallorum et Ligurum fidem, litteras eis misit, quarum pars prior praecipiebat, ne interiores, quae [15] praesignatae erant, ante certum tempus aperirentur: easdem postea ante praestitutam diem repetiit, et quia resignatas repererat, intellexit, hostilia agitari.

non satisfaciunt: nam et *Rhodinus* occurrit apud eumdem Inscr. p. DXC. n 2 Oudend.

11 *Per speciem*] Sic omnes MSS. Edd. Pariss. *propter* inepte. *consilia Romanorum* Vatican. Reg. sec. Leid. tert. cum Edd. Rom. ac Bononiensi. Oudend.

12 *Exciperentque*] Non est, quod Cod. Hillensb. sequamur, qui, teste Tennulio, habet, *expeterentque*. *Excipere alicuius verba*, *consilia* pro *inuestigare*; vel *inuestigando consequi* cum apud alios eosque optimos scriptores occurrit; tum apud nostrum L. III. c. 16. 4. *Palam pronuntiauit, non debere transfugas vocari sollertissimos milites, qui ipsius iussu exierint ad excipienda hostium consilia.*

13 *Alia via*] *Via* hic pro *ratione*, *modo* ponitur, vti apud Graecos ὁδὸς eodem sensu reperitur Hinc Cicero in Verr. II. *viam rationemque* coniunxit. Plura exempla tam Graecorum, quam Romanorum laudat Gataker. ad Anton. L. I. §. 9. quibus adde Tacit. Annal L. I. c. 54. *Alia Tiberio morum via:* et Epictet. c. XXIV. δεικνύετε τὴν ὁδὸν, καὶ κτήσομαι. c. XIX. μία δὲ ὁδὸς πρὸς τοῦτο: vt apud Plinium L. IX. ep. 37. 3. *medendi vna ratio.* Vnde frustra omnino sunt, qui in sacris Pandectis hanc vocis notionem Ebraismi arguere conantur.

14 *Raptumque*] Notabilis est lectio Cod. Palatini *Onosanen vnum ex his:* quasi sit nomen illius Hispani, quem secum in castra pertulerint. Vide, num potius hic lateat gentile populi nomen, cum quo bellum Cato in Hispania gerebat, vtpote *Lacetanum*. Vide, quae notabimus ad L. III. c. X. §. I. et Plutarch. in Catone p. 342. ed. Par. Oudend.

15 *Praesignatae*] Quidam libri scripti et impressi habent *signatae*: nec placet vulgata, *praesignatae*, Oudendorpio. Cum vero *praesignare* vox proba sit, atque *Catonis Pliniique* mai. auctoritate munita; insuperque ipsi rei conueniat, nolim equidem lectionem a plerisque MSS. et excusis libris receptam loco suo mouere. Nam *interiores illas litteras* ante priorem epistolae partem reuera fuisse signatas ex praecepto patet, *ne ante certum tempus aperiren.*

agitari. [16] Est et aliud explorandi genus, quo ipsi duces nullo extrinsecus adiutorio per se prouident. Sicut

VII. [17] Aemilius Paullus Cos. bello Hetrusco apud oppidum [18] Poploniam [19] demissurus exercitum in planiciem,

virentur, et quia postea *resignatas easdem repererat*. Sic Latini Graecorum προχειμάζειν per *praesiderare* reddiderunt, quia tempestas maturius et *ante* sideris tempus moueri dicebatur. Sicuti igitur *praestituere*, *praepetere*, *praesiderare*: ita recte dici posse *praesignare*, dubitari non potest.

16 *Est et aliud* cet.] Vltima vox *sicut*; immo tota haec periodus vehementer mihi pro Glossemate est suspecta. Oudend.

17 *Aemilius Paullus*] Verissime obseruant viri docti, hunc fuisse non *Aemilium Paullum*, sed *Papum*, vti ex Fastis, aliisque auctoribus constat. Consule Pighium T. II. p. 118. Non tamen temere in textum admitterem *Papus*, vt fecit Tennulius cap. IV. n. I. Non enim facile dixeris, operarum, an vero auctorum incuria id acciderit vitium. Confudisse potius videntur eos ipsi scriptores. Nam et ita Appianus de B. Gallico p. m. 1191. ἔστησε δὲ κατὰ Κελτῶν καὶ Παῦλος Αἰμύλιος τρόπαια. Plinius L. III. c. 20. *L. Aemilio Paullo, C. Attilio Regulo Coss. nuntiato Gallico tumultu.* Sic in MSS. omnibus legi testatur Harduinus; sed Fabricius Pighiusque illic emendant quoque *Papo*. Vide ad Orosii L. IV. c. 13. vbi ineptius vulgo *L. Aemilio Catulo*. Quidquid sit, si nostrum erroris absoluere velimus, cum MS. regio mallem delere τὸ *Paullus*. Nam saepissime simpliciter *Aemilius* dicitur, ne nominato quidem antea eius cognomine. Florus L. II c. IV. *Victos enim Aemilius in Capitolio discinxit.* Eutropius L. III. c. 2. *L. Aemilio Cos. ingentes Gallorum copiae Alpes transierant.* Neque aliter ipse Polybius, Zonaras aliique. Deinde caute accipienda sunt illa *bello Hetrusco*. Erat enim *bellum Insubricum*. Sed auctor id nominat a loco, vbi rerum gesta est summa, in Hetruria scilicet, quo vsque ad mare Boii iam penetrauerant. Polyb. L. II. c. 27. ἤδη δὲ περὶ Τελαμῶνα τῆς Τυῤῥηνίας τῶν Κελτῶν ὑπαρχόντων. Oudendorp.

18 *Poploniam*] Omnes cum MSS. tum typis excusi libri praeferunt *Coloniam*; quam vero scripturam eruditi viri ad hunc locum commentati, vitiosam fatentur. Qua re vir summus I. Fr. Gronouius reposuit *Telamona* Polybium forte secutus L. II. c. 27. ἤδη δὲ περὶ Τελαμῶνα τῆς Τυῤῥηνίας τῶν Κελτῶν ὑπαρχόντων. Verum cum haec vox a MSS. Codd. nimis recedat, cl. Oudendorpius *Poploniam*, quae vrbs Telamoni fuit vicina, legendum censuit, inque textum auctoris recepit. Hanc vero eius coniecturam confirmat Med. primus, in quo exstat, supra scripta quidem littera c, *Poloniam*: quae vox sine dubio ex *Poplonia* fuit corrupta. Huc accedit, quod praelia a vicinis interdum locis et vrbibus varie dicta fuerunt; vt exemplo luculenter probat illud postremum Alexandri cum Dario praelium, quod alii ad *Arbela*, alii ad *Gaugamela*; alii denique ad *Ninum* factum scripserunt, vt docti commentatores ad Curtii L. IX. c. 9. dudum monuerunt.

19 *Demissurus*] Ita sane pro vulgata *dimissurus* legendum; fauentibus quibusdam Codd. MSS. *Demitti* enim, non *dimitti* dicitur exercitus, quando ex altioribus locis in planiciem, vel valles descendere iubetur. Sicuti vero *deligere* et *diligere*, *de-*

strin-

niciem, contemplatus procul auium multitudinem citatiore volatu ex silua consurrexisse, intellexit, aliquid illic insidiarum latere, quod et turbatae aues, et plures simul euolauerant. Praemissis igitur exploratoribus, comperit, decem millia Boiorum excipiendo ibi Romanorum agmini imminere; eaque alio, quam exspectabatur, latere missis legionibus, circumfudit.

VIII Similiter [20] Tisamenus, Orestis filius, quum audisset, iugum ab hostibus natura munitum teneri, praemisit sciscitaturos, quid rei foret: ac referentibus eis, non esse verum, quod opinaretur, ingressus iter, vbi vidit, ex suspecto iugo magnam vim auium simul euolasse, neque omnino residere, arbitratus est, latere illic agmen hostium: itaque circumducto exercitu elusit insidiatores.

IX. Hasdrubal frater Hannibalis [21] iunctum Liuii et Neronis exercitum, quamquam hoc illi non duplicatis castris dissimularent, intellexit; quod ab itinere [22] strigosiores notabat equos, et coloratiora hominum, vt ex via, corpora.

CAP,

stringere et *distringere*: ita etiam *demittere* et *dimittere* in Codd. MSS. saepe inuicem turbantur. Sic apud nostrum L. I. c. V. §. 16. *demisso in angustias exercitu*; et L. I. c. V. § 15. *Cum demissum in eam vallem videret exercitum.* L. III. c. XIII. §. I. *Per saxa Tarpeia demissus.* In quibus locis, quamquam variant vett. libri, *demitti* tamen omnino est legendum.

20 *Tisamenus*] Ita vero, non *Tisamenes*, vel *Tyamenus*, vt veteres libri variant, legendum esse, paret ex Velleii Paterc. L. I. c. I. §. 4. Polyb. L. IV. c. I.

21 *Iunctum*] Ita pro vulgata, quae in omnibus antiquis libris obtinet, scriptura *tunc*, Modius primum substituit *iunctum*, quod Scriuerius et Oudendorpius recte exprimendum curarunt: ipseque auctor noster probare videtur L. I. c. I. ex. 9. *Claudius Nero, eum cuperet Hasdrubalem, copiasque eius, antequam Hannibali fratri iungerentur, excidi.*

22 *Strigosiores*] *Strigosiores equi*, auctore *Nonio Marcello* p. 196. dicebantur equi a morbo, quem fame aut alia vitii caussa contraxerunt; iidemque sunt, qui *viribus exhausti* et *macilenti*; id quod ex Masurii Sabini verbis a Nonio citatis colligitur, vbi equitem *habitissimum* equo *nimis strigoso* et *male habito* opponit. Adde Gellium Noct. Att. L. IV. c. 20. qui eadem habet verba. Adde Liuium L. XXVII. c. 47. vnde sua noster videtur deriuasse.

CAP. III.

De constituendo statu belli.

Exemplum I.

Alexander Macedo, quum haberet vehementem exercitum, semper eum statum belli elegit, vt acie confligeret.

II. C. Caesar bello ciuili quum veteranum exercitum haberet, hostium autem [1] tironem esse sciret, acie semper decertare statuit.

III. Fabius Maximus aduersus Hannibalem, successibus praeliorum insolentem, recedere ab ancipiti discrimine, et tueri tantummodo Italiam constituit, Cunctatorisque nomen, et per hoc summi Ducis meruit.

IV. Byzantii aduersus Philippum omne praeliandi discrimen [2] euitantes, omissa etiam finium tutela, intra munitiones oppidi se receperunt, adsecutique sunt, vt Philippus obsidionalis morae impatiens recederet.

V. Hasdrubal, Gisgonis filius, secundo Punico bello, [3] in Hispaniam victum exercitum, quum P. Scipio

1 *Tironem*] Quidam Codd. habent *tiranum*. Placet vulgata, qua alii quoque scriptores vsi fuerunt. Sic Vegetius L. III. c. 10. *Ergo, si tironem, vel diu armis desuetum exercitum ducit.* Auctor de Bell. Hispan. c. XXVI. *Sed exercitum tironem non audent in campum deducere.* Idem c. XXVIII. *Quod maiorem partem exercitus tironem haberet.*

2 *Euitantes*] Quidam vett. libri praeferunt *vitantes*. Quamquam *vitare* aeque recte ac *euitare* dicatur: altero tamen Frontinus aliis quoque locis vtitur, L. II. c. III. §. 8. *Quum Hasdrubal bello Punico secundo decertandi necessitatem euitans* cet. L. III. c. XII. §. *suspectae noctis periculum euitatum est.*

3 *In Hispaniam*] Pro *in Hispaniam* nolui temere reponere *Hispania*. Nam alterum seruant plerique Codd. et Edd. primae; et notare potest *intra Hispaniam* L. II. c. 4. §. 4. *Aciem, quam is in Achaiam per angustias Thermopylarum direxerat.* Iustin. L. XLII. c. 5. *Caesarem in Hispaniam bellum tunc temporis gerentem:* vt est etiam in duobus Oruillii Codd. In vno eiusdem codice L. V. c. I. *Dum Athenienses in Siciliam bellum gerunt.* et L. III. c. I. vbi vide, vti et quae congesserunt Schegk. ad Vell. L. II. c. 59. Passerat. ad Propert. III. 7. Dauies. ad Hirt. B. Afric. c. 47. Walle ad Sallust. B. Catil. c. XI. et quos adduxit Cortius ad B. Catil. c. 19. ac nos ad Obsequ. c. 100. Liu.

pio instaret, per vrbes diuisit. Ita factum est, vt Scipio, ne oppugnatione plurium oppidorum [4] distringeretur, in hiberna suos reduceret.

VI. Themistocles, aduentante Xerxe, quia neque praelio pedestri, neque finium tutelae, neque obsidioni credebat sufficere Athenienses, auctor fuit eis, liberos et coniuges [5] in Troezena, et in alias vrbes emittendi, relictoque oppido, statum belli ad nauale praelium transferendi.

VII. Idem fecit in eadem ciuitate [6] Pericles aduersum Lacedaemonios.

VIII. Scipio, manente in Italia Hannibale, transmisso in Africam exercitu, necessitatem Carthaginiensibus imposuit reuocandi Hannibalem. Sic a domesticis finibus [7] hostile transtulit bellum.

IX. Athe-

Liu. L. XXX. 10. *In animum habere*. Vide plura ad c. II. 5. XII. §. 10. ad L. II. 1. 14. 2. 10. *In Africam* MSS. Oudendorp.

4 *Distringeretur*] Quidam Codd. habent *distinqueretur*, vitio librariorum. Vnus Reg. teste Tennulio, *distineretur*. Veram autem scripturam esse *distringeretur*, dubitari non potest; quam etiam plurimi Codd. MSS. tuentur. Sic, vt alios non dicamus, ipse Frontinus L. I. c. VIII. §. 1. *Qua consensus Romanorum distringeretur*. Hinc *distrietus curis*, *negotiis*, *officiis*, quae fere vbique sunt obuia. Nimirum *distringi* dicitur, qui in diuersas partes trahitur.

5 *In Troezena*] Pristini editores Praepositionem *in*, refragantibus tantum non omnibus Codd. MSS. eiecerunt, quam adeo eorumdem auctoritate recte in textum reuocauit Oudendorpius, vid. Sanctii Min. L. IV. c. 6. et Perizon. ad eumd. notam.

6 *Pericles*] Quid? Ergone Pericles vmquam Atheniensibus auctor fuit, vrbem cum coniugibus et liberis, rebusque pretiosissimis deferendi, eaque omnia alio amandandi? id nemo tradit. Verum, cum Peloponnesii fines Atticos depopularentur, Pericles cum Atheniensibus, nihil sentientibus hostibus, naues conscendit, et totam Spartam depraedatus est, et coegit eos ex agro Attico ad sua defendenda reuerti. Consule Thucydid. L. II. Plutarch. in eius vita, Polyaenum L. I. 36. Iustinum L. III. c. 7. aliosque. Leuissima vero opera noster auctor tam turpis erroris absolui potest, si hoc exemplum hinc transferamus post Ex. IX. vt in litteris ad me datis verissime monuit doctissimus P. Wesselingius. Infra aliquoties occurret, ordinem horum exemplorum contra fidem historicam esse immutatum (V. L. II. c. VIII.) quod facile accidere potuit: dum librarii omissum casu vel incuria exemplum, animaduerso errore, quouis loco tantum inseruerint, credentes perinde esse, vbi ponatur. Oudendorp.

7 *Hostile transtulit bellum*] Corruptum esse hunc locum, non est quod dubitemus, quamquam mirus sit tantum non omnium Codd. MSS. consensus. Nec sana videtur quorumdam

IX. Athenienſes, quum Deceliam caſtellum ipſorum Lacedaemonii communiſſent, et frequentius vexarentur, claſſem, [8] qua Peloponneſum infeſtarent, miſerunt: conſecutique ſunt, vt exercitus Lacedaemoniorum, qui erat Deceliae, reuocaretur.

X. Imperator Caeſar Domitianus Auguſtus, quum Germani more ſuo e ſaltibus et obſcuris latebris ſubinde impugnarent noſtros, tutumque regreſſum [9] in

rumdam ſcriptura, qui pro *finibus* habent *funeribus*; niſi quid exciderit ſupplendum forte aliorum Codd. ope, vt recte cenſet Oudendorpius: nec facile *hoſtile bellum* reperiamus in probato ſcriptore, niſi illud ciuili opponatur; vt apud Florum L. III. c. XXII. §. 1. *Hoſtile potius, an ciuile dixerim, neſcio.* Quare inprimis adridet Oudendorpii coniectura, qui pro *bellum* ex *Liuio*, quem forte Frontinus hic ſecutus eſt, ſubſtituit *vallum*: cuius haec ſunt verba L. XXVIII. c. 44. *Requieſcat aliquando vexata tam diu Italia: vratur euaſteturque inuicem Africa. Caſtra Romana potius Carthaginis portis immineant, quam nos iterum* VALLVM HOSTIVM *ex moenibus noſtris videamus. Africa ſit reliqui belli ſedes: illuc terror fugaque, populatio agrorum, caeterae belli clades, quae in nos per XIV. annos ingruerunt, vertantur.* Pro *hoſtile* Freinshemius emendauit *in hoſtiles*, vt notat Berneccerus ad Iuſtini L. XXII. c. IV. Quid? ſi legamus *in hoſtile*, ſcil. *ſolum*, reuocata Praepoſitione *in*, a librariis inſcitia vel incuria omiſſa. *Hoſtile ſolum* plene habet Valerius Max. L. VI. c. IX. ex. 9. Quemadmodum vero Graeci ἐλλιπῶς, φιλίαν, et πολεμίαν ſub: γῆν dixerunt; vt Onoſander c. VI. ἐκ γὰρ τῆς πολεμίας — τροφὴν ἕξει καὶ ἀφθονίαν· εἰ δὲ μή, τήν γε φιλίαν οὐ λυμανεῖται. Xenophon. K Π L. I. c. 33. ἐν φιλίᾳ: et c. 34. ἐν πολεμίᾳ: ita Latini quoque Graecorum imitatione, *pacatum*, *hoſticum*, ſub: v. *ſolum* vſurparunt. Liuius L. VIII. c. 34. *Sine commeatu milites vagi in pacato, in hoſtico errent:* et L. XVIII. c. 24. *Milites in hoſtico laxius rapto ſueti viuere.* L. LXV. c. IV. *Quod in hoſtico natus eſſet.* Nequid tamen diſſimulemus, *hoſticum* potius quam *hoſtile*, in hac locutione adhibuerunt; ac praeplacet adeo Oudendorpii coniectura, legentis *hoſtile vallum.*

8 *Qua infeſtarent*] Antea in vulgatis erat, *quae infeſtaret.* Oudendorpius vero omnium MSS. auctoritate, *qua infeſtarent*, in textum recepit: quibus nos quoque adſentiendum putamus.

9 *In profunda ſiluarum*] Eſt Graeca loquendi ratio, quae vero apud Romanos quoque ſcriptores adeo frequens eſt, vt vbiuis exempla obuia reperiantur. Sic Iuſtinus L. XLI. c. I. *Fines deinde in tantum protulere, vt non immenſa tantum iam ac profunda camporum, verum etiam praerupta collium, montiumque ardua occupauerint.* Cicero de Nat. Deor. L. II. c. 64. *Immenſa camporum.* Tacitus Annal. L. IV. c. 24. *Locorumque opportuna muniuit.* Ibid. *Quod erat militum.* Horat. L. II. Sat. II. 25,

Corruptus vanis rerum — —

ibid. Sat. VIII. 83.

Ridetur fictis rerum — —

10 *Li-*

profunda siluarum haberent, [10] limitibus per centum viginti millia passuum actis, non mutauit tantum statum belli, sed subiecit ditioni suae hostes, quorum refugia [11] nudauerat.

10 *Limitibus — actis*] Si vspiam ex hoc certe loco patet, quantus saepius sit tantum non omnium Codd. MSS. in tuenda vitiosa scriptura consensus. Omnes MSS. pro *limitibus* exhibent *militibus*, manifesto errore, qui librariorum incuriae debetur: insuperque apud nostrum occurrit L. I. c. V. §. 10. *ab altera limitem agere coepit:* et paucis interiectis: *vniuersi a limite obstiterunt:* vbi quidam Codd. denuo nobis obtrudunt *militem* et *milite:* refragantibus tamen aliis melioris notae libris MSS. qui *limitem* et *limite* confirmant. *Limitem agere* idem est, quod limitem ducere; estque locutio agrimensorum propria. *Limes* adeo *agi* dicebatur, cum prouincia aliqua a natura non satis munita, variis manu factis operibus, praesidiisque aduersus hostium incursiones fuit firmata. Vnde *Spartianus* in Hadrian. c. XII. *Per ea tempora et alias frequenter in plurimis locis, in quibus barbari non fluminibus, sed limitibus diuiduntur, stipitibus magnis in modum muralis sepis funditus iactis atque connexis, barbaros separauit.* Quodsi fines imperii armis proferebantur: *limes* etiam *promoueri* dicebatur. Sic Lucan. L. I. 404.

Finis et Hesperiae, promoto limite, Varus.

Tacitus de M. G. c. 29. *Mox limite acto, promotisque praesidiis, sinus imperii, et pars prouinciae habentur.* Plura hac de re differentes vide Casaubon. ad Spartiani Hadrian. c. XII. et Io. Frid. Gronou. ad Taciti Annal. L. I. c. 50. Drakenb. ad Silium Ital. L. XVI. 338.

11 *Nudauerat*] Sic omnes MSS. Excisa silua, atque in exstruendo limite seu vallo consumta Scriuer. cur. post.

CAP. IV.

De transducendo exercitu per loca hosti infesta.

Exemplum I.

Aemilius [1] Paullus Cos. quum [2] in Lucanos iuxta littus angusto itinere exercitum duceret, et Tarentini ei classe insi-

1 *Paullus*] Fuit is quidem Q. Aemilius Papus, qui A. CDLXXI. cum C. Fabricio Luscino Consul fuit, et contra Tarentinos et Lucanos aliosque bellum gessit. Vid. Pigh. Fast. T. I. p. 416. Verum cum constanter scripti cum Sanuto retineant *Paullus*, ob rationes ad cap. II. §. 7. nil mutari velim. Oudendorp.

2 *In Lucanos*] i. e. contra Lucanos quoque Tarentinorum socios exercitum duxit Papus. Tres Hill. et duodecim ab Oudendorpio excussi Codices seruant *in Lucanis*, i. e. in Lucania, vbi angusto itinere exercitum duxisse dicitur, quod magis placet. Quid vero obseruandum sit copiarum Duci, cum exercitum per angustias ducturus est, docent Onosander

insidiati, agmen eius [3] scorpionibus adgressi essent, captiuis latera euntium praetexuit, quorum respectu hostes inhibuere tela.

II. Agesilaus Lacedaemonius, quum praeda onustus ex Phrygia rediret, insequerenturque hostes, et ad locorum opportunitatem lacesserent agmen eius, ordinem captiuorum ab vtroque latere exercitus sui [4] explicuit: quibus dum parcitur ab hoste, spatium transeundi habuerunt Lacedaemonii.

III. Idem, tenentibus angustias Thebanis, per quas [5] transeundum habebat, flexit iter, quasi Thebas contenderet. Exterritis Thebanis, digressisque ad tutanda

ander c. VII. Leo c. IX. §. 9. 26. 46. Mauricius L. IX. c. 4. Constantinus p. 30

3 *Scorpionibus*] *Scorpiones* in numero machinarum bellicarum relatos, suaque aetate *manuballistas* vocatos fuisse, quod paruis subtilibusque spiculis inferrent mortem, testis est Vegetius L. IV. c. 22. De *manuballistis* vero notam ad eiusdem L. II. c. 15. Praeterea vero, *scorpio* dicebatur quoque *sagitta venenata arcu vel tormentis excussa, quae dum ad hominem venerit, virus, qua figit, infundit; vnde et scorpio nomen accepit*, auctore *Isidoro* L. XVIII. cui adstipulatur *Nonius Marcellus*, qui item *scorpionem* genus teli appellat p. 578. ed. Plant.

4 *Explicuit*] *Adplicuit*, quod est in Mediceo, auctoris hic esse non puto. Nam optimi codices scribunt *explicuit* i. e. captiuorum ordinibus latera exercitus in longum praetexuit. Militaris autem rei verbum est *explicare*. Liuius L. I. c. 27. *Erigit totam aciem, fluctuansque animo, vt tereret tempus, ordines explicat.* Noster L. II. c. 2. *Phalangi regis Pyrrhi explicitae restiti.* Adposite hoc libro c. VI. §. I. *Explicato per vtraque latera milite.* Adde Gronou. ad Liuium L. XLIV. c. 38. me ad Lucanum L. VII. 417. Oudendorp. Plura vide ad L. II. c. 2. §. 1.

5 *Transeundum habebat*] In vulgatis legitur *transire habebat*, minus recte: pro quo Oudendorpius auctoritate quatuor Scriuerianorum, nouemque suorum MSS. reuocauit *transeundum habebat*. Est quidem, vbi Latini, Graecorum more, dicunt: *habeo dicere, habeo precari. transire*, si nimirum *facultatem* denotat, idemque valet, quod Graecorum δύναμαι: quo modo ipse Cicero v. *habeo* vsus est. Quodsi vero *necessitatem* faciendi vel omittendi aliquid innuit, tunc omnino optimorum scriptorum exemplo, *habeo dicendum, precandum, transeundum* dici debet. Sic Plinius in Paneg. c. XV. §. 2. *nihilque discendum haberes.* L. I. ep. 8. *Enitendum haberemus.* Et noster Frontinus L. III. c. XI. §. I. *Finxit, litteras sibi superuenisse ciuium suorum, propter quas redeundum haberet.* Vide Vechner. Hellen. p. 259. Vorstium de Latin. falso susp. c. VII. p. 71.

6 Quo

tanda moenia, repetitum iter, quo destinauerat, emensus est, nullo obsistente.

IV. Nicostratus, dux Aetolorum aduersus Epirotas, quum ei aditus in fines eorum angusti fierent, per alterum locum inrupturum se ostendens, omni illa ad prohibendum occurrente Epirotarum multitudine, reliquit suos paucos, qui speciem remanentis exercitus praeberent: ipse cum cetera manu, [6] qua non exspectabatur, aditum intrauit.

V. Autophradates Perses, quum in Pisidiam exercitum duceret, et angustias quasdam Pisidae occuparent, simulata [7] vexatione traiiciendi, instituit reducere: quod quum Pisidae credidissent, ille noctu validissimam manum ad eumdem locum occupandum praemisit, ac postero die totum traiecit exercitum.

VI. Philippus Macedonum Rex, [8] Graeciam petens, quum Thermopylas occupatas audiret, et ad eum legati

6 *Qua non exspectabatur, aditum intrauit.*] Variis modis hunc locum eruditi viri sollicitarunt. Stewechius legendum censet: *qua non exspectabatur, intrauit:* vel, *qua non sperabatur aditus, intrauit: sperare* nimirum, vti apud Graecos τὸ ἐλπίζειν, pro *timere* posito; sic apud Virgilium Aen. L. IV. 419.

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem,

cuius priori coniecturae, deleta voce *aditus*, fauet etiam Salmasius ad Flor. L. II. c. 12. Heinsius coniecerat: *quo non exspectabatur aditu.* Oudendorpius vero, sine necessitate a Codd. MSS. non recedendum arbitratus, qui omnes, nec non edd. Rom. Bonon. et Paris. habent: *qua non exspectabatur, aditum intrauit:* eamdem hanc scripturam seruauit. Quamquam enim *aditus* saepe pro *adeundi* facultate ponitur, vt apud Nepot. in Pauf. c. IV. §. 2. *Aditum petentibus conueniendi non dabat:* vtplurimum tamen *locum*, per quem alium *adimus*, significat. Sic, praeter alios noster Frontinus L. III. c. III. §. . *In ipso aditu portae.* L. I. c. IV. §. 10. *Duos iussit quaeri aditus.* Et in ipso hoc exemplo IV. *Quum ei aditus in fines eorum angusti fierent.*

7 *Vexatione*] i. e nimio labore, et inde orta fatigatione. Male margini adleuerat editionis suae legendum forte *cessatione* Scriuerius. Liuius L. XLIII. c. 21. *cum ingenti vexatione iumentorum.* Iustinus L. XLII. c. I. *Stipendium pro vexatione poscerent.* Colum. L. I. c 3 *vexationem viae non reformidet.* Curt. L. IV. c. 4. 21. *multa cum vexatione processit.* Infra quoque c. VIII. §. 9. *vt citra vexationem suorum hostilia impediret consilia.* Saepius *vexari* pro fatigari ponitur. Oudendorp.

8 *Graeciam petens*] Varii Codices seruant *Graeciae* petens: vnde Oudendorpius coniicit, forte legendum *Graeciae appetens.* Cum vero vulgata

legati Aetolorum venissent acturi de pace, retentis eis, ipse [9] magnis itineribus ad angustias pertendit securisque custodibus, et legatorum reditus exspectantibus, inopinatus Thermopylas traiecit.

VII. Iphicrates, Dux Atheniensium aduersus Anaxibium Lacedaemonium in Hellesponto contra Abydon, quum transducendum exercitum haberet per loca, quae stationibus hostium tenebantur, alterum autem latus eius transitus [10] abscisi montes premerent; alterum mare adlue-

vulgata optimorum librorum auctoritate nitatur, nil mouendum censemus. Sic Nepos in Them. c. II. §. 6. *et maxime Athenienses peti dicerentur*. Iustin. L. IX. c. 5. *Neque enim dubium erat, imperium Persarum his apparatibus peti.* Iam vero si subdolum atque insidiosum Philippi ingenium perpendamus, hanc vocem, quae notante Burmanno ad Petron. Sat. c. 106. proprium est de iis, qui *insidias* et *dolos* nectunt, eius indoli adcommodatissimam esse intelligemus.

9 *Magnis itineribus*] *Magnis itineribus tendere, properare* dicebantur exercitus, cum itinera solito maiora fecerunt. Sic Tacitus Hist. L. IV. c. 24. *vt quam maximis per ripam itineribus celeraret.* Diurnum vero, vel *iussum diei iter* viginti millia passuum complectebatur: ac si viginti quatuor millia absoluissent, pleno gradu incedere milites dicebantur. Quod supra fuit, *cursus* appellabatur, cuius spatium non potest definiri. *Cursu* vero saepius hostem aggredi solebant; vnde Tacticorum praeceptum, *ἐπάγειν τὸ στράτευμα σὺν δρόμῳ*, Onosand. c. XXIX. In itinere quando citato gradu incesserunt, *cursu* quoque *tendere* dicebantur exercitus, vbi Alexander quingenta stadia trans Taurum cursu fecisse memoratur a Iustino L. XI. c. 8. Qua celeritate cum saepe in bellicis expeditionibus opus esset, inter campestres quoque meditationes obtinuit *cursus*, in quo tirones cum apud Graecos, tum Romanos mirum quantum exercebantur, vt tradit Vegetius L. I. c. 9. Sic Epaminondas in palaestra velocitati potissimum seruiuit, quod hanc ad belli vtilitatem existimabat pertinere, Nepos in Epam. c. II. §. 4. Quo factum est, vt eorum exercitus in itineribus incredibili saepe celeritate vterentur. Sic Agesilaus, cum Artaxerxes Graeciam bello peteret, prius in Asiam cum suis copiis peruenit, quam satrapae eum scirent profectum: et quod iter Xerxes anno vertente confecerat, idem transiit triginta diebus, vt tradit Nepos in Agesil. c. II. §. 2. et c. 4. §. 3.

10 *Abscisi*] Longe plurimi codices et Edd. Rom. ac Bonon. *abscisi* verissime, non *abscissi*, vt est in vulgatis. *Abscindere* diuisionem notat, quae hic locum non habet: tunc ab vtroque latere debuissent esse montes. *Abscisi* montes sunt praecipites, abrupti et de summo ad imum quasi ferro caesi, ita vt eo adscendere non sit procliue. Liuius L. XLV. 5. *Qua rupes abscisae erant*, vbi vide I. F. Gronouium. Curt. L. V. c. 3. §. 17. *Rupes abscisas et vndique praeruptas*, sic MSS. VII. 10. 11. *abscisa et abrupta.* Lucanus L. VI. 473. *de rupe pependit Abscisa fixus torrens.* Sic MSS. meliores. Quibus locis *abscissas* retinendum sit, docent bene cl. Duker. ad Flor. L. II. c. 2.

et

adlueret, aliquamdiu moratus, quum incidiſſet frigidior ſolito dies, et ob hoc nemini ſuſpectus, delegit firmiſſimos quosque, quibus oleo ac mero calefactis, praecepit, ipſam oram maris legerent, abruptiora tranarent: atque ita cuſtodes anguſtiarum inopinatus oppreſſit a tergo.

VIII. Cn. Pompeius, quum flumen tranſire propter oppoſitum hoſtium exercitum non poſſet, adſidue producere et reducere in caſtra inſtituit: deinde, in eamdem perſuaſionem hoſte perducto, [11] ne vllam viam ad progreſſum Romanorum tenerent, repente impetu facto, [12] tranſitum rapuit.

IX. Alexander Macedo, prohibente rege Indorum Poro traiici exercitum per flumen Hydaſpen, aduerſus aquam adſidue procurrere iuſſit ſuos: et, vbi eo more exercitationis [13] adſecutus eſt, qui a Poro aduerſa ripa

et Markl. ad Stat. Silu. L. III. 2. 61. Oudendorp.

11 *Ne vllam viam ad progreſſum Romanorum tenerent.*] Scriuerius reliquiſſe Frontinum cenſet: *nullam viam ad progreſſum Romanorum tenere.* Lipſius codicis ſui margini adleuerat: *ne vllam vim ad progreſſum Romanorum timeret:* non male iudice Oudendorpio, ſi per MStos libros liceret. Cod. Petrenſ. optimae notae, paullo ante pro *eamdem* habet *eam*, quae lectio ſine vlla dubitatione eſt praeferenda. Qua re ſenſus verborum hic eſſe videtur: *Pompeium, crebrius producendo et reducendo exercitum, hoſtes in eam perſuaſionem perduxiſſe, vt callidum hoc eius conſilium, pro campeſtri tantum meditatione haberent; nec vllam viam ad progreſſum Romanorum tenerent.* Reuera autem inter militares exercitationes obtinuiſſe, vt aſſiduo exercitio ambulare celeriter et aequaliter diſcerent, teſtatur Vegetius L. I. c. 9.

12 *Tranſitum rapuit*] Eleganter pro, *flumen magna celeritate tranſiit.* Sic Lucanus L. II. 116. *rapit greſſus.* L. X. 428. *Non rapuere nefas.* Virgilius Aeneid. L. II. 619. *Eripe, nate, fugam.* Plura huius locutionis exempla congeſſerunt Oudendorp. ad Lucan. L. III. 299. Heinſius ad Ouid. Epiſt. XIX. Her. 74 in quibus *τὸ rapere* idem eſt, quod *accelerare, celeriter facere.*

13 *Adſecutus eſt*] Minus recte *aſſuetus* in Hittorp. et Wechelii edit. Omnes Scriueriani et plerique Oudendorp. *quia* praeferunt, quam vocem cum ex *qui* et *a* male coniunctis, incuria librariorum peperiſſet, alii ſequentes poſtea voces *Poro* et *caueretur*, in *Porus* et *caueret* transmutarunt. *Qui* autem hic pro *vt*, ponitur, cuius ſignificationis exempla frequentiora ſunt apud optimos ſcriptores, quam vt ea hic adferri opus videatur.

14 Sub-

ripa caueretur, per superiorem partem [14] subitum transmisit exercitum.

[15] Idem, quia Indi fluminis traiectu prohibebatur ab hoste, diuersis locis in flumine equites instituit immittere, et transitum minari: quumque exspectatione barbaros intentos teneret, insulam paulo remotiorem, primum exiguo, deinde maiore praesidio occupauit, atque inde in vlteriorem ripam transmisit. Ad quam manum opprimendam, quum vniuersi se hostes effudissent, ipse libero vado transgressus, omnes copias coniunxit.

X. [16] Xenophon, vlteriorem ripam Armeniis tenentibus, duos iussit quaeri aditus; et quum a citeriore repulsus esset, transiit [17] ad superiorem. Inde quoque prohi-

14 *Subitum*] In vulgatis *subitò*, pro quo omnes MSS. *subitum* tuentur. Sic apud nostrum denuo n. XIII. *subitus euasit*. L. II. c. I. 12. *subitam hostibus necessitatem decernendi iniecit*. L. II. c. 3 §. 14. *subita consurrexit acies*. c. IV. §. 3. *subitus se ostenderet*; §. 4. *subitus apparuisset*. Hanc dicendi rationem sequitur quoque Tacitus Histor. L. III. *subita arma mouerat*; et paucis interiectis, *subitus irrupit*.

15 *Idem, quia I. f. t. prohibebatur*] In vulgatis adhuc, *idemque prohibitus*, contra fidem omnium MSS. et primarum editionum legebatur, in quibus omnibus recepta a nobis scriptura seruatur.

16 *Xenophon*] Ipse hanc militiam posteris memorauit in curis, quibus nomen est ἀναβάσει; felicissimus mehercle, cui et scribenda facere, et legenda scribere datum. Quis enim melius scriberet bella, quam qui optime gessit? Platoni condiscipulatu apud Socratem familiaris, sapientia praestantissimus, lucunditatem inaffectatam fuerat consecutus, vt nulla affectatio posset hanc consequi, eiusque sermonem ab ipsis Graiis fictum et ore Musas locutas Tullius existimauerit. Verum, ne quisquam philosophum a capessenda republica submoueat, aut ignaua opera philosophetur; Xenophon auxilia Cyro missa, atque orientem secutus, et magna dixit, et magna vixit: amisso dein Cyro, Clearcho, Proxeno et Menone Graiorum ducibus ab Artaxerxe deletis, ipse cepit moderamen, et decem millium exercitum, supra Euphratis capita, trans Armenios montes, per indomitas nationes et barbaras gentes duxit tanta arte; vt a Persa centum millibus ornato, nec vinci, nec dolo capi potuerit, sed incolumis patrios lares repetierit, vt ille ϛρατηγῶν φιλοσοφώτατος, et φιλοσόφων ϛρατηγικώτατος appellari nobis meruerit. Tennul. Certe ex eius scriptis, maximeque ex eiusdem Cyropaedia, tantum non omnes Strategici Tacticique scriptores, tamquam ex fontibus, multa hauserunt.

17 *Ad superiorem*] Tacent in hoc corruptissimo exemplo viri docti, quasi nulla in MSS. esset varietas. Cum tamen in Regio primo, Palatino, Mediceis, Cantabrigiensibus, Gudiano, Leidensi sec. Vossian. collatione

prohibitus hostium occursu, repetiit vadum inferius; [18] iussa ibidem militum parte subsistere, ex qua, quum Armenii ad inferioris vadi tutelam rediissent, per superius transgrederetur. Armenii credentes, decursuros omnes, decepti sunt a remanentibus. Hi quum, resistente nullo, vadum superassent, transeuntium suorum fuere propugnatores.

XI. Ap. Claudius Cos. primo bello Punico, quum a Rhegio Messanam traiicere militem nequiret, custodientibus fretum Poenis, sparsit rumorem, quasi bellum iniussu populi inceptum gerere non posset, classemque [19] in Italiam versus se agere simulauit. Digressis deinde Poenis, qui profectioni eius habuerant fidem, circumactas naues adpulit Siciliae.

XII.

latione et edit. Rom. inuenerim *superius*; contra Syntaxin. In Leidens. prim. *superioris*. Mihi non est dubium, quin exciderit supra vox *vado* vel *vadis*, quod satis declarant sequentia *vadum inferius* etc. Frontinum scripsisse puto; *duos iussit quaeri vado aditus*, et q. *a. c. r. e. t. ad superius*. Quae vox, aut etiam *vadis*, quam facile excidere ob vicinas easdem litteras potuerit, quiuis videt. *Aditus vado*, vt *transitus vado* Liuius L. XXXVIII. 18. *Halym vado transire* c. V. §. 4. et Caesar B. Gall. L. VII. 55. *Quaerere vada* h. sensu Lucan. L. IV. 150. Oudendorp.

18 *Iussa* etc.] Haec sine dubio corrupta censet Oudendorpius. Mihi quidem intricatior paullo sensus ita expediri posse videtur, si per *ibidem* intelligamus *superius illud vadum*; ad v. autem *transgrederetur* nominatiuum ἐλλιπῶς suppressum, ex antecedentibus repetamus; *vt nimirum pars illa iussa subsistere transgrederetur*. Saepius autem id in vtriusque linguae scriptoribus vsu venire notauimus ad Epicteti enchirid. c. XXXII. vbi ex antecedenti πρόσει, imperatiuum πρόσιϑι: et c. XXXIII. §. 2. ex λεγομένων in proxime sequentibus, λέγωμεν repeti debere ostendimus. Forte huc referre possis illa Horatii L. I. ep. VI. 14. vt ad voces *defixis oculis*, potius τὸ *videt*, repetamus; quam vt ad *torpet* referamus: vti L. II. Od. 2. v. 23.

Oculo irretorto
Spectat aceruos.

Maiorem corruptionis speciem habent illa, *ex qua*, pro quibus forte legendum *ex quo* sc. *loco*, Graecorum more ἐξ οὗ s. τόπου. Quodsi tamen vera dicamus, si pro, *ex qua*, legamus, *quae*, conuenientissimum omnino videatur. Optima medicina huic loco ex MSS. Codd. adhuc est speranda.

19 *In Italiam versus*] In vulgatis praep. *in* abest: recte vero Oudendorpius, octo codicum et primarum editionum auctoritate, temere eiectam a pristinis editoribus, reuocauit. Sic etiam Cicero L. IV. ad Fam. ep. 12. *supra Maias in Italiam versus nauigaturus erat*. L. VIII. ep. 15. *Ad Alpes versus*. Sallust. B. Catil. c. 56. *in Galliam versus castra mouere*. Plinius L. X. ep. 82. *si in*

XII. Lacedaemoniorum duces, quum Syracuſas nauigare deſtinaſſent, et Poenorum diſpoſitam [20] penitus claſſem timerent; decem Punicas naues, quas captiuas habebant, veluti victrices, primas iuſſerunt agi, aut a latere iunctis aut puppe religatis aliis: qua ſpecie deceptis Poenis, tranſierunt.

XIII. Philippus, quum anguſtias maris, quae [21] Cyaneae adpellantur, transnauigare propter Athenienſium claſſem, quae opportunitatem loci cuſtodiebat, non poſſet, ſcripſit Antipatro, Thraciam rebellare, praeſidiis, quae ibi reliquerat, interceptis, vt ſequeretur omnibus omiſſis: quae epiſtolae vt interciperentur ab hoſte, curauit. Athenienſes arcana Macedonum excepiſſe viſi, claſſem abduxerunt. Philippus nullo prohibente [22] anguſtias freti liberauit.

Idem,

ſi in vrbem verſus venturi erant. Liuius L. I. c. 18. *ad meridiem verſus conſedit.* vid. Valla Eleg. L. II. 8.

20 *Penitus*] Caſaubonus ad Polyaen. L. II. c. II. cenſet hic pro *penitus* legendum eſſe *per littus*: itaque Graeca, Καρχηδονίων ἐφορμούντων Συρακούσαις, *Carthagin. cum claſſem per littus diſpoſitam apud Syracuſas haberent*, reddi poſſint: cui coniecturae fauet etiam Oudendorpius, quamuis MSS. Codd. refragentur.

21 *Cyaneae*] Quoquo te vertas, Cyanearum mentio hic abſurda eſt. Vix tamen dubito, quin auctor in animo habuerit Philippi expeditionem in Perinthios vel Byzantios. Quodſi certum foret, leui ope et nulla fere mutatione poſſet ſanari locus et legi *Abydenae*. *Fauces Abydenae*, eſt artiſſimum totius Helleſpontiaci maris ſpacium. Virgil. L. I. Georg. 207. *oſtriferi fauces tentantur Abydi*; τὰ περὶ et κατ' Ἄβυδον ςενὰ eas vocat Strabo L. XIII. p. 583. ed. Pariſ. Hinc Ouidio *Abydena aqua* in Ib. v. 590. Eſt et in Propontide ſinus *Cianus* prope Apacenum, teſte Scylace p. 83. Sed ibi, ſi claſſis Athenienſium ſtetiſſet, non potuiſſet curſum Philippi, qui aduerſam maris partem tenere debuit, impedire. Oudend. Lapſos autem in eiusmodi ſaepius fuiſſe veteres ſcriptores, vel vnico exemplo apparet, quo celebratiſſima illa praelia, *Caeſaris et Pompeii*; *Bruti Caſſiique* et *Auguſti* inuicem turbantur. Conſtat vtique illud ad Pharſalum in Theſſalia; hoc vero in campis Philippicis in Macedonia geſtum fuiſſe: nihilo tamen minus Florus L. IV. c. 7. *eamdem illam, quae fatalis Cnaeo Pompeio fuit, harenam inſeſſam* dixit; quo errore alii quoque, Poetae maxime, qui Philippos in Macedonia; et alteram vrbem, in Theſſalia, cui item *Philippi* et *Thebae* nomen fuit, confuderunt; Velleius Paterc. L. II. c. 70. Florus L. IV, 2.

22 *Anguſtias freti liberauit*] Eadem locutione noſter Frontinus vtitur L. I. c. V. 3. *ſi flumen liberaſſet* L. IV. c. VII. §. 28. *Pelopidas Theba-*

Idem, quia [23] Cherronesum, quae iuris Atheniensium erat, occupare prohiberetur, tenentibus transitum non Byzantiorum tantum, sed Rhodiorum quoque, et Chiorum nauibus, conciliauit animos eorum reddendo naues, quas ceperat, quasi [24] sequestres futuras ordinandae pacis inter se atque Byzantios, qui caussa belli erant: tractaque per magnum tempus postulatione, quum de industria subinde aliquid in conditionibus retexeret, classem per id tempus praeparauit, eaque in angustias freti, imparato hoste, subitus euasit.

XIV. Chabrias Atheniensis, quum adire portum Samiorum, obstante nauali hostium praesidio, non posset, paucas e suis nauibus, praeter portum missas, iussit transire, arbitratus, qui in statione erant, persecuturos: iisque per hoc consilium auocatis, nullo obstante, portum cum reliqua adeptus est classe.

CAP.

Thebanus, quum — flumen liberasset: quibus in locis Stewechius, in-ustis MSS. Codd. legi vult, *superauit*, quomodo L. I. c. V. § 2. *dumque ignibus submouentur hostes, ipse fluuium superauit.* L. I. c. IV. §. 10. *Hi cum resistente nullo vadum superassent.* At enim vero vulgarae omnes fauent MSS. aliique scriprores, *Hyginus* fab. CCLVII, *liberato flumine.* Perronius c. 136. *Nec dum liberaueram cellulae limen.* Quid autem sit *flumen liberare* ipse Fronrinus diserte explicat L. I. c. V. §. 3. vbi sub finem habet: *Catulo non solum flumen traiiciendi occasionem dederunt* cet. et §. III. *flumen libere transgressus est.*

23 *Cherronesum*] Perpetuae fere turbae in vett. libris, quorum alii *Chersonesum*; alii *Cherronesum* praeferunt, *Cherronesum* autem rectius scribi, cum optimi MSS. tum Strabonis et Stephani auctoritas, probare potest, qui χεῤῥόνησος habent, vnde etiam χεῤῥονήσιος et χεῤῥονησίτης, nec non χεῤῥονησιάζειν, v. Stephanus in v. χεῤῥόνησος et Strabo p. 491.

24 *Sequestres futuras*] *Sequestres pacis* dicit illas naues, quia quasi arbitri et mediae futurae essent pacis inter Byzantios et Philippum, vt explicat Drakenborchius ad Silii Ital. L. VI. 347.

Consultant mandare duci, pacisque sequestrem
Mittere:

vbi eriam laudat Pricaeum ad Apul. L. IX. Metam. p. 187. et Heinsium ad Ouid. L. I. Fast. v. 287. vbi suo more καλῶς hanc vocem illustrat.

CAP. V.

De euadendo ex locis difficillimis.

Exemplum I.

Q. Sertorius, in Hispania, quum, a tergo instante hoste, flumen [1] traiicere haberet, vallum in ripa eius in modum [2] cauae Lunae duxit, et oneratum [3] materiis incendit: atque ita, exclusis hostibus, flumen libere transgressus est.

II. Similiter Pelopidas Thebanus, bello Thessalico transitum quaesiuit: namque castris ampliorem locum supra ripam complexus, vallum [4] ceruulis, et alio materiae genere constructum incendit: dumque ignibus submouentur hostes, ipse fluuium superauit.

C 2 III. Q.

1 *Traiicere haberet*] De hac locutione v. supra ad §. 3. vnde Oudendorpius hic *τὸ necesse* interponendum censuit, quod ob vicinitatem litterarum in praecedenti voce *traiicere* facile potuit excidere.

2 *Cauae lunae*] Haec forma a luna tertium referente ortum, *μηνοειδὴς*; et a littera Graecorum C, ab iisdem *σιγμαтοειδὴς* fuit appellata, Aelian. Tact. c. XLIII. Leon. c. XX. §. 184. eaque in acie, ad cingendum hostem, saepe vsi fuerunt: v. not. ad Onosandri c. XXI.

3 *Materiis incendit*] Iusto longior est Tennulius in illustranda vocis huius significatione; *lignum* nimitum igni faciendo; *materia* aedificiis, nauibus aliisque inseruiebat, Plinius L. X. ep. 50. *per hunc* (lacum) *marmora, fructus, ligna, materiae* — deuehuntur. Quid multa in re trita?

4 *Ceruulis*] *Cerui* et *ceruuli*, secundum Varronem de L. L. L. IV. p. 30. *a similitudine cornuum cerui* dicti, erant trunci ramosi vel minores, vel grandiores, qui aggeri inserti, vel operi committendo muniendoque inseruiebant; vel adscensum hostium tardabant, Caesar de B. G. L. VII. c. 22. Quodsi castra fossa vel vallo non muniebantur, quod vero apud Romanos, vigente disciplina, rarissime fieri solebat, grandiores eiusmodi cerui castris praeducebantur, vt illa Silii Italici, innuunt L. X. 413

Quaque patet campus planis ingressibus hosti
Ceruorum ambustis imitantur cornua ramis.

Tibullus in Paneg. ad Messal. L. IV. 1. 83.

Qua deceat tutam castris praeducere fossam,
Qualiter aduersos hosti defigere ceruos,
Quemue locum ducto melius sit claudere vallo.

De ceruis castrensibus scriptores laudat cl. Bronkhusius ad citatum locum, Seruium ad Virgil. Ecl. II. v. 29. Gnellium et de la Cerdam ibidem. Turneb. Aduers. L. 29. c. 32. Lipsium in Poliorc. L. II. dial. 2. aliosque.

5 Ab

III. Q. Lutatius Catulus, quum a Cimbris pulſus vnam ſpem ſalutis haberet ſi flumen liberaſſet, cuius ripam hoſtes tenebant, in proximo monte copias oſtendit, tamquam ibi caſtra poſiturus: ac praecepit ſuis, ne ſarcinas ſoluerent, aut onera deponerent ne quis [5] ab ordinibus, ſignisque diſcederet: et quo magis perſuaſionem hoſtium confirmaret, pauca tabernacula in conſpectu erigi iuſſit, ignesque fieri, et quosdam vallum ſtruere, quosdam in lignationem, vt conſpicerentur, exire: quod Cimbri vere agi exiſtimantes, et ipſi caſtris delegerunt locum: diſperſique in proximos agros ad comparanda ea, quae manſuris neceſſaria ſunt, occaſionem dederunt Catulo non ſolum flumen traiiciendi, ſed etiam caſtra eorum infeſtandi.

IV. Croeſus, quum Halyn vado tranſire non poſſet, neque nauium aut pontis faciendi copiam haberet, foſſa ſuperiori parte poſt caſtra deducta, alueum fluminis a tergo exercitus ſui reddidit.

V. Cn. Pompeius Brundiſii, quum excedere Italia, et transferre bellum propoſuiſſet, inſtante a tergo Caeſare, conſcenſurus claſſem, quasdam obſtruxit vias, alias parietibus interſepſit, alias intercidit foſſis, easque, ſudibus erectis praecluſas, operuit cratibus, humo adgeſta; quosdam aditus, qui ad portum ferebant, trabibus transmiſſis, et in denſum ordinem ſtructis, ingenti mole [6] tutatus. Quibus perpetratis, ad ſpeciem retinendae vrbis raros pro moenibus ſagittarios reliquit, cete-

5 *Ab ordinibus ſignisque*] In vulgatis legitur, *ab ordinibus, aut ſignis.* Oudendorpius fidem MSS. ſecutus, *ab ordinibus ſignisque* recte reſtituit. Ordines enim pariter ac ſigna, eadem religione ſeruare tenebantur milites, militari ſacramento obſtricti, quo *ſe ex ordine non receſſuros; nec ſigna deſerturos eſſe iurarunt*, Polyb. L. VI. c. 19. Dionyſius Halic. L. IX.

6 *Tutatus*] Lenius constructio procedet, et rotundius claudetur periodus, vt mihi videtur, ſi ſcribas cum Mediceo primo *tutatus eſt.* Nunc abruptior eſt ſenſus, quam vt patiantur aures. Mox inepte omnes editiones occupauit *reduxit* ſine idoneo ſenſu. Legendum autem ex tredecim MSS. *deduxit.* Oudend.

7 *Dui-*

ceteras copias fine tumultu ad naues deduxit: nauigantem eum mox fagittarii quoque per itinera nota digreffi, paruis nauigiis confecuti funt.

VI. C. [7] Duilius Cof. in portu Syracufano, quem temere intrauerat, obiecta ad ingreffum catena claufus, vniuerfos in puppim retulit milites, atque ita refupina nauigia magna remigantium vi concitauit. Leuatae prorae fuper catenam procefferunt: qua parte fuperata, transgreffi rurfus milites proras prefferunt, in quas verfum pondus decurfum fuper catenam dedit nauibus.

VII. Lyfander Lacedaemonius, quum in portu Athenienfium cum tota claffe obfideretur, obrutus hoftium nauibus, ab ea parte, qua faucibus anguftiffimis influit mare, milites fuos clam in litus egredi iuffit, et fubiectis rotis naues ad proximum portum [8] Monychiam traiecit.

 VIII.

7 *Duilius*] Varie hanc vocem fcriptam exhibent antiqua monumenta, *Duillius*, *Duilius*, *Duellius* et in columna roftrata *Bilios*, ex quo deinde formatum eft *Duilius*, quae fcriptura fine vlla dubitatione reliquis eft praeferenda; vid. Quinctil. Inftitut. L. I. c. 4. et Petr. Ciacconius ad Columna. roftrat. Tom. IV. Antiqu. Rom. col. 1814. quem adeo Γάϊον Δυίλιον vocat Polybius L. I. c. 21. Nifi hic Frontinus memoria lapfus pro alio Romanae claffis duce, quales forte *Appius Claudius Caudex*; vel *Marcellus*; vel *M. Valerius Laeuinus* fuerunt, de quibus, inter alios, Florus L. II. c. II. et c. VI. Velleius Paterc. L. II. c. 38. Liuius L. XXVI. c. 40. celebratiffimum illum *Duilium* pofuit, haec qua ratione expediri poffint, non videmus. Noftrum vero in eiusmodi narrationibus interdum humani quid paffum, non eft, quod multis probemus. vid. L. I. c. 5. §. 12. et ad h. l. notas Oudendorpii. et L. I. c. VI. §. 1. Cum enim Hiero iam A. V. C. DXC. in amicitiam populi Rom. veniffet, eamque fancte feruaffet; Duilius autem poft naualem victoriam ipfe Syracufas obfidione liberaffet, vt ex Pighii Annal. T. II. p. 16. 22. probat Oudendorpius, haec de Duillo capi haud poffunt: quare hic vir doctiffimus pro *Syracufano* legendum *Segeftano* arbitratur.

8 *Monychiam*] Mirum fane, cur recentiores editores poft Modium, corruptam lectionem *Monoecium* feruarint, cum omnino legendum fit *Munichiam*, vel *Monychiam*, vt MSS. ac primae editiones habent. Nam Μουνιχία et μουνυχία dicitur Stephano portus ille Atticae, a Munycho Athenarum rege, de quo etiam Harpocration in v. Μουνυχία: *Monoecus* autem fuit vrbs Liguriae, vt Stephanus tradit; vel portus Herculis Monoeci, vnde gentile *Monoecius*; de quo Seruius ad Virgil. L. VI. v. 831. quod hic plane locum non habet.

9 AS-

VIII. Hirtuleius, legatus Sertorii, quum in Hispania inter duos montes abruptos longum et anguſtum iter ingreſſus, paucas duceret cohortes, comperiſſetque, ingentem manum hoſtium [9] aduentare, [10] foſſam transuerſam inter montes preſſit, vallumque materia exſtructum incendit, atque ita intercluſo hoſte euaſit.

IX. C. Caeſar, bello ciuili, quum aduerſus Afranium copias educeret, et recipiendi ſe ſine periculo facultatem non haberet; ſicut conſtiterat, [11] prima et ſecunda acie furtim a tergo ad opus adplicata, quindecim pedum foſſam fecit, intra quam ſub occaſum Solis armati ſe milites eius receperunt.

X. Pericles Athenienſis, a Peloponneſiis in eum locum compulſus, qui vndique abruptis cinctus, duos tantum exitus habebat, ab altera parte foſſam ingentis latitu-

9 *Aduentare*] Hanc vocem pro vulgata *aduenire* repoſuit Oudendorpius vndecim MSS. et Sanuti auctoritate; quae cum alibi, tum apud noſtrum frequenter occurrit; ac de *propinquo aduentu* ſolet adhiberi, L. III. c. XVII. 6. *cum duabus legionibus aduentaret*; L. II. c. IV. §. 5. *Galli exiſtimantes, aduentare auxilia Romanis*. Nepos in Miltiad. c. VII. §. 4. *Miltiades timens, ne claſſis regia aduentaret*. Id. in Eum. c. III. §. 3. *aduentare autem dicerentur, Helleſpontumque transiſſe Antipater et Craterus:* quae loca de propinquo hoſtium aduentu intelligenda eſſe, ſatis, opinor, patet. Quomodo vero per anguſtias ducendae ſint copiae, quidue tunc duci ſit obſeruandum, docent Onoſander c. VII. Leo c. IX. §. 9. 26. 46. Conſtantinus p. 31. Mauricius L. I. c. 4. quibus iungi poſſunt Polyaenus L. I. c. XLIX. §. 4. Polybius L. V. c. 7.

10 *Foſſam preſſit*] Stewechius ad Veget. L. III. c. 8. eumque ſecuti Keuchenius et Tennulius, pro *premere foſſam*, ſubſtituunt *percutere foſſam*. Recte autem receptam a nobis ſcripturam ſe habere, optimorum ſcriptorum exempla probare poſſunt, adſentientibus quoque Codd. MSS. Sic Tacitus L. XV. c. 42. *Foſſam vſque ad oſtia Tiberina depreſſuros promiſerant*. Plinius L. X. ep. 72. *foſſam longius ducere et arctius preſſam mari aequare*. Cicero Verrin. V c. 27. *Saxum in mirandam altitudinem depreſſum*; et non vno loco Plinius maior, vt ait cl. Erneſti, ad c. l. in delectu talium verborum curioſus.

11 *Prima et ſecunda acie*] Hunc locum corruptum eſſe, ac quaedam excidiſſe, cum ipſa res; tum Caeſaris verba B. Ciu. L. I. c. 41. abunde comprobant: *Sed a fronte contra hoſtem pedum XV foſſam fieri iuſſit. Prima et ſecunda acies in armis, vt ab initio conſtituta erat, permanebat: poſt hos opus in occulto a tertia acie fiebat*. Ecquis vero ea polleat imaginatione, vt ſibi perſuadeat, aciem primam et ſecundam, ſicut conſtiterant, a tergo ad opus fuiſſe adplicatam foſſamque feciſſe. Optime loci corruptionem iam Oudendorpius perſpexit; cuius medela e vett. libris eſt ſperanda.

12 *Limi-*

latitudinis duxit, velut hoſtis excludendi cauſſa; ab altera limitem agere coepit, tamquam per eum erupturus. Ii, qui obſidebant, quum per foſſam, quam ipſe fecerat, exercitum Periclis non crederent euaſurum, vniuerſi a limite obſtiterunt. Pericles pontibus, quos praeparauerat, foſſae iniectis, ſuos, qua non reſiſtebatur, emiſit.

XI. Lyſimachus, ex his vnus, in quos opes Alexandri tranſierunt, quum editum collem caſtris deſtinaſſet, imprudentia autem ſuorum in inferiorem deductus, vereretur ex ſuperiore hoſtium incurſum triplices foſſas intra vallum obiecit: deinde ſimilibus foſſis circa omnia tentoria ductis, tota caſtra confodit; et [13] interſepto hoſtium aditu, ſimul humo quoque, [14] et fron-

12 *Limitem agere coepit*] Ita omnino pro vulgata, *militem agere*; et paullo poſt; *a limite obſtiterunt*, pro *milite*, legendum. vid. not. ad L. I c 3. §. 10.

13 *Interſepto*] Iam Tennulius *interſepto* pro vulgata *intercepto*, legendum ſuaſit; quod etiam optimorum MSS. Codd. auctoritate confirmatur. Sic noſter Frontinus ex: V. *quasdam obſtruxit vias, alias parietibus interſepſit*, Hirtius de B. Alexandr. c 6. *Interſeptis ſpecubus, atque omnibus vrbis partibus excluſis.*

14 *Et in frondibus*] Corruptiſſimum hunc locum ingenioſe Salmaſius ad Florum L. II. c. 12. emendabat; *ſimul humo contecta frondibus.* Poſſet etiam *humo cooperta frondibus* Scriuer. Coniecerat etiam Scriuerius, *ſemiluna cinctus frondibusque*, vel quod eſſet veriſimilius, *ſimul humo coenoque et frondibus.* Keuchenius, *ſimul humo completa et frondibus.* Omnes fruſtra; et primo quidem τὸ *in* deleui, quod non comparet in vllo vel ſcripto, vel edito codice ante Scriuerianum, in cuius textum quo modo irrepſerit, neſcio. Dein *quoque*, vt dixi, ſurſum poſſet retrahi; quamquam non opus ſit. Excidiſſe autem vocem, quo pertinerent *humo* et *frondibus*, bene ſuſpicati ſunt viri docti, ſed ſine codicum ope non potuerunt verum adſequi. In decem, vel vndecim MSS. non legitur *impetu*. in vno Cantabr: *tranſitu facto in ſ.* quod correctorem ſapit: nam optime Palatinus exhibet, *facto ponte*, fecit pontem Lyſimachus ex humo et frondibus, quas foſſis ſuperiecerat, et ſic euaſit. Cum excidiſſet vox *ponte*, ſuppleuiſſe τὸ *facto* videntur per *impetu* ex cap. IV. §. 9. *repente impetu facto tranſitum rapuit.* Quamquam ita noſter quoque L. IV. c. 7. §. 39. *impetu facto pronunciauit.* Nec aliter Liuius, Caeſar, aliique ſaepius. Vel potius in aliis MSS. *ponte*, in aliis *impetu* crediderim, deſideratum iam antiquitus fuiſſe; adeoque, vt feci, vtrumque retinendum, *facto ponte, impetu euaſit.* *Impetu* enim notat celerem conatum. Conſule Gronouium ad Liu. L. I. c. 57. *Impetu capi Ardea poſſet.* L. VI. c. 2. *Quum caſtra impetu cepiſſet.* Infra L. IV. c. 7. 12. *Impetu in claſſem hoſtium cum tranſiluiſſet.* Oudendorp.

15 Tr

frondibus, quas foſſis ſuperiecerat, facto ponte, impetu in ſuperiora euaſit.

XII. [15] T. Fonteius Craſſus, in Hiſpania, cum tribus millibus hominum praedatum profectus, ([16] *locoque iniquo circumuentus*) ab Hasdrubale, ad primos tantum ordines relato conſilio, incipiente nocte, quo tempore minime exſpectabatur, per ſtationes hoſtium prorupit.

XIII. L. Furius, exercitu perducto in locum iniquum, quum conſtituiſſet occultare ſollicitudinem ſuam, ne reliqui trepidarent, paullatim inflectit iter, tamquam circuitu maiore hoſtem adgreſſurus: conuerſoque agmine, ignarum rei, quae agebatur, exercitum incolumem reduxit.

XIV. P. Decius Tribunus bello Samnitico, Cornelio Coſſo Conſuli, iniquis locis deprehenſo ab hoſtibus, ſuaſit, vt ad occupandum collem, qui erat in propinquo, modicam manum mitteret; ſeque ducem iis, qui mittebantur, obtulit. Auocatus [17] in diuerſum hoſtis dimiſit Conſulem, Decium autem cinxit, obſe-

15 *Titus Fonteius Craſſus*] Hoc, et ex. XIV. ac XV. repetuntur L. IV. c. 5. §. 8. 9. 10. ſequens iam habuimus cap. I. Ex. II. Ineptiſſimum eſt cognomen Craſſi, quod numquam *Fonteiae genti* adhaeſit, ab ineptis librariis adiectum. Vel pro *Craſſus* reponendum *legatus*. Hic enim *T. Fonteius legatus* fuit P. Cornelii Scipionis in Hiſpania. Vid. Liuium L. XXV. 34. XXVI. 17. Oudend.

16 *Locoque iniquo circumuentus*] Haec verba in nullo omnino MS. Cod. occurrunt: bono autem fato ſeruata leguntur L. IV. c. 5. nec video, cur Oudendorpius de iis haeſitarit, cum in reliquis omnibus ad verbum haec hiſtoria, vtrobique relata, eadem ſit; et ad explendum ſenſum plane neceſſaria haec verba reperiantur. Ac mirum, ni etiam pro *prorupit*, ex loco laudato legendum ſit *erupit*, quod etiam Cod. Petrenſis tuetur; et noſter habet L. IV. c. V. §. 7. *cum — per hoſtium praeſidia erumperent ſecum*. L. I. c. V. §. 16. *per intermiſſas hoſtium ſtationes eruperunt*.

17 *In diuerſum*] Scriuerii editio habet *in diuerſa*. Verum optimi Codd. MSS. ſeruant *in diuerſum* cum hic; tum L. IV. c. 5. §. 9. Sic L. II. c. 4. §. 3. *vt — ſubitus ex diuerſo ſe oſtenderet*. Tacitus Hiſtor. L. IV. c. 16. Liuius L. XXXVI. c. 16. *In diuerſum ſententiae tendebant*. Pro eo *in diuerſam partem* dicit Plinius L. X. ep. 34. *In contrariam partem* Caeſar de B. Ciu. L. I. c. 69.

18 *H-*

obſeditque. [18] Illas quoque anguſtias, noctu eruptione facta, quum eluctatus eſſet Decius, incolumis cum militibus Conſuli acceſſit.

XV. Idem fecit ſub Atilio Calatino Coſ. is, cuius varie traditur nomen. Alii Laberium, nonnulli Q. Caeditium, plurimi Calpurnium Flammam vocitatum ſcripſerunt. Hic, quum demiſſum in eam vallem videret exercitum, cuius latera omnia ſuperiora hoſtis inſederat, depoſcit, et accepit trecentos milites; quos adhortatus, vt virtute ſua exercitum ſeruarent, in mediam vallem decucurrit: [19] et ad opprimendos eos vndique deſcendit hoſtis, longoque et aſpero proelio retentus, occaſionem Conſuli ad extrahendum exercitum dedit.

XVI. [20] L. Minucius Coſ. in Liguria, demiſſo in anguſtias exercitu, quum iam omnibus obuerſaretur Caudinae cladis exemplum, Numidas auxiliares, tam propter ipſorum, quam propter equorum deformitatem deſpiciendos, iuſſit adequitare faucibus, quae tene-

 ban-

18 *Illas quoque anguſtias eluctatus*] Conſentiunt Scriueriani et Oudendorpiani Codd. omnes, cum edit. Pariſ. in tuenda hac lectione. Neque tamen ſecius Oudendorpius corruptas eſſe *illas anguſtias* exiſtimat, de quibus tam demonſtratiue auctor ait, *illas* Decium eluctatum fuiſſe. Non erat is in anguſtiis, *pergit*, ſed in edito colle, quem cingebat hoſtis. Qua re coniicit legendum forte: *illico quoque*, vel *illic quoque Samnitas cum fruſtratus eſſet*: nam multi codices pro *eluctatus* habent *fruſtratus*. At enim vero, *illas anguſtias*, omnium fere codicum auctoritate munitas, equidem haud mouendas cenſeam; ſed intelligi potius *difficultates* et *anguſtias*, quibus Decius vrgebatur, cum in colle, cum modica manu, ab hoſte vndique cingeretur. Sicuti enim *vrgeri*, *premi anguſtiis*, *in anguſtias adduci* apud optimum quemque: ita quoque *anguſtias eluctari* dicuntur, qui ex iis ſe expediunt. Sic Tacitus in vit. Agric. c. 17. de ipſo noſtro Frontino: *ſuper virtutem hoſtium, locorum quoque difficultates eluctatus.*

19 *Et ad opprimendos eos*] Rotundior omnino expeditiorque orationis ſeries legitur L. IV. c. V. §. 10. omiſſa particula *et*: et mallem hic quoque eam deleri.

20 *L. Minucius*] Quem hic memorat Frontinus, fuit Q. Minucius, Q. F. L. N. Thermus, conſul cum L. Cornelio Merula A. V. C. DIX, vti non tantum ex Faſtis, ſed etiam ex Liuio clare patet L. XXXIV. c. 55. et L. XXXV. c. 11. vbi fuſe enarratur Strategema. Noſter ab omnibus conſtanter Q. appellatur; vt vel Frontini error, vel librariorum ſit hoc loco. In MSS. tamen conſtanter L. Oudend.

21 *Su-*

bantur. Primo intenti hoſtes, ne laceſſerentur, ſtationem obiecerunt. De induſtria Numidae ad augendum ſui contemptum, labi equis, et per ludibrium ſpectaculo eſſe adfectauerunt. Ad nouitatem rei laxatis ordinibus, barbari in ſpectaculum vsque reſoluti ſunt. Quod vbi animaduerterunt Numidae, paullatim [21] ſuccedentes, additis calcaribus per intermiſſas hoſtium ſtationes eruperunt: quorum deinde quum proximos inruerunt agros, neceſſe Liguribus fuit auocari ad defendenda ſua, incluſosque Romanos emittere.

XVII. L. Sulla, bello ſociali, apud Aeſerniam inter anguſtias deprehenſus, [22] ad exercitum hoſtium, cui Mutilus praeerat, colloquio petito, de conditionibus pacis agitabat ſine effectu: hoſtem tamen propter inducias negligentia reſolutum animaduertens, nocte profectus relicto buccinatore, qui vigilias ad fidem remanentium diuideret, et, quarta vigilia commiſſa, conſequeretur, incolumes ſuos cum omnibus impedimentis tormentisque in tuta perduxit.

XVIII. Idem aduerſus Archelaum praefectum Mithridatis in Cappadocia, iniquitate locorum et multitudine hoſtium preſſus, fecit pacis mentionem: interpoſitoque tempore etiam induciarum, et per haec auocata intentione, [23] aduerſarium euaſit.

XIX. Hasdrubal, frater Hannibalis, quum ſaltum euadere non poſſet, faucibus eius obſeſſis, egit cum Claudio Nerone accepitque, dimiſſum ſe Hiſpania exceſſu-

21 *Succedentes*] Liuius L. XXXV. c. 11. *Numidae adequitare, dein refugere: ſed propius ſaltum paullatim euehi: velut quos impotentes regendi equi inuitos efferrent: poſtremo ſubditis calcaribus, per medias ſtationes hoſtium erupere.*

22 *Ad exercitum*] Modius coniecerat *ab exercitu* legendum, cui fauet vnus Reg. Sed non opus eſt mutatione. *Ad exercitum* hic eſt *apud, prope hoſtilem exercitum*; ſicuti alias *ad* vſurpatur apud optimos ſcriptores, e. g. *ad vrbem eſſe*; *ad focum ſedere.*

23 *Aduerſarium euaſit*] In antiquiore Mediceo eſt, *intentione aduerſarii euaſit*, praeter neceſſitatem; ſi quidem *euadere* etiam Accuſatiuo Perſonae iungitur. Plinius L. II. ep. 1. *Caeſares euaſit.* Suetonius in Tiber. c. 61. *Cornulius me euaſit.*

24 Cor-

cessurum: cauillatus deinde conditionibus dies aliquot extraxit; quibus omnibus non omisit per angustos tramites, et ob id neglectos, dimittere per partes exercitum. Ipse deinde cum reliquis expeditis facile effugit.

XX. Spartacus fossam, qua erat a M. Crasso circumdatus, caesis captiuorum pecorumque [24] corporibus noctu repleuit, et supergressus est.

XXI. Idem [25] in Vesuio obsessus, ea parte, qua mons asperrimus erat, ideoque incustoditus, [26] ex vimine siluestri catenas conseruit, quibus demissus non solum euasit; verum etiam ex alio latere Clodium ita terruit, vt aliquot cohortes gladiatoribus quatuor et septuaginta cesserint.

XXII. Idem, quum a [27] P. Varinio Procos. praeclusus esset, palis per modica interualla fixis ante portam,

24 *Corporibus*] De Thracibus idem Tacitus Annal. L. IV, c. 51. *Nunc virgultis et cratibus et corporibus exanimis complere fossas.* Florus L. IV. c. 2. De Caesarianis apud Mundam: *Ex congestis cadaueribus agger effectus est, quae pilis iaculisque confixa inter se tenebantur.* Valerius Max L. IX. c. 2. *Annibal, cuius maiore ex parte virtus saeuitia constabat, in flumine Vergello corporibus Romanis ponte facto, exercitum traduxit.* Tennul.

25 *In Vesuio*] *Vesuuium* hic intelligi certum est, qui contracte etiam *Vesuius*, a recentioribus Graecis Βέσβιος, dictus est. Sic Valerius Flaccus L. III. v. 208.

Vt magis Inarime, magis vt mugitor anhelat
Vesuius. Plura loca laudant Drakenborchius et Nic. Heinsius ad Silii Italici L. XII. v. 152.

26 *Ex vimine siluestri*] Spartacum eiusque socios, cum in Vesuuio, a Clodio Glabro obsiderentur, per fauces caui montis vitineis delapsos vinculis, ad imas eius descendisse radices Florus testatur L. III. c. 20. §. 4. Vnde Freinshemius in notis ad h. l. *ex vite siluestri* scribendum censet. Cum vero omnes Codd. dissentiant, vulgatam haud reiiciendam esse arbitramur; Cum enim *vimen* varii generis sit, et quodcumque virgultum ita dici soleat, *vimen* etiam pro *vite* positum videri possit.

27 *P. Varinio Procos.*] Varie hoc nomen in Codd. MSS. reperitur. *Varinius* autem verum nomen recte habetur, vt optimi libri seruant. Dum vero hic *Proconsul* dicitur, cum fuerit *Praetor*, vt Historicorum fide constat; vocem hanc in genere, pro *viro praetorio*, sumendam esse, qui cum imperio pro consule apud exercitum vel in prouinciis est, coniicit Oudendorpius: vt nimirum loquatur auctor, pro sui aeui more, quo propraetores etiam in Prouinciis populi dicti fuerint *Proconsules*. Vnde Sergius in Act. Apost. c. XIII. Cypri vocatur ἀνθύπατος: de quo vid. dissertat. Gall. in Histor. Crit. T. XV. artic. X. Oudend.

28 Bra-

tam, erecta cadauera, adornata veste atque armis, adligauit, vt procul intuentibus stationis species esset, ignibus per tota castra factis. Imagine vana deluso hoste, copias silentio noctis eduxit.

XXIII. [28] Brasidas, dux Lacedaemoniorum, circa Amphipolin ab Atheniensium multitudine numero impar deprehensus, claudendum se praestitit, vt per longum coronae ambitum [29] extenuaret hostilem frequentiam: quaque rarissimi obstabant, erupit.

XXIV. Iphicrates in Thracia quum depresso loco castra posuisset, explorasset autem ab hoste proximum teneri collem, ex quo vnus [30] ad opprimendos ipsos descen-

28 *Brasidas*] De hoc *Brasida*, eiusque strategemate videri possunt Thucydides L. IV. p. 321. sqq. et Polyaenus L. I. c. 38. vbi Casaubonus: quid est, inquit, *claudendum se praestitit?* suspicabar, *claudendum se praebuit.* Sed ne id quidem proбo. At enim vero proba omnino est lectio, voxque, *praestare*, perquam familiaris Frontino. c. XI. §. 19. *postridie praestitit eis liberalissimas epulas.* L. III. c. 15. §. 6. *per totam vrbem epulas praestitit.* L III. c. 8. §. 3. *nullum aditum praestabat.* c. X. §. 2. *speciem fugientis praestitit.* c. XVII. §. 7. *praestitit eis suspicionem metuentis.* Tacitus in vit. Agricol. c. XXXVII. *cateruae armatorum paucioribus terga praestare*, pro quo alias, *terga dare hostibus.* Quae omnia exempla satis docent, *praestare* idem esse quod *dare*, more illius aeui scriptoribus satis frequenti.

29 *Extenuaret hostilem frequentiam*] Hoc exemplum veritatem Tactici praecepti comprobare valet, *μὴ οὕτως ἐπὶ μῆκος ἐκτείνειν τὴν δύναμιν, ὥςε πάμπαν ἀσθενῆ καὶ ἀβαθῆ ποιῆσαι τὴν φάλαγγα*; eo quod hostes tunc eam facile perrumpere ac terga premere possunt; Onosander c. XXI. Haec regula perito copiarum duci tunc maxime est obseruanda, cum timet, ne ab hoste circumueniatur. vid. Arrian. Tact. p. 60. sqq. Leo c. XIV. §. 108.

30 *Ad opprimendos ipsos*] Stewechius reposuit ad *opprimendum ipsum*, vt ad Iphicratem referatur *τὸ ipsum*; sed refragantur Codd. MSS. qui *ipsos* seruant, aeque ac, *opprimendos*. Quare ita hunc locum explicat Oudendorpius: ait auctor, Iphicratem sensisse, se nulla alia via opprimere hostes posse, quam ex illo colle, quem ipsi insidebant. curauit ergo, vt eo illi descenderent, eumque ipse caperet. Quo facto improuiso rursus descendit, eosque oppressit. Tacticorum praeceptis perquam conuenienter egit Iphicrates, qui transire barbaros passus est, vt mox terga eorum aggrederetur. Nam *ἐκπληκτικωτάτη καὶ δραστηριωτάτη μάλιστα πάντων ἡ κατὰ νώτου τῶν πολεμίων αἰφνίδιος ἐπιβολή*, secundum Onosandrum c. XXII. cui iungi possunt Polyaenus L. I. c. 15. L. III. c. I §. 2. L. VIII. c. X. §. 2. c. XXIII. §. 7. 11. Polybius T. I. p. 169. 241. 311. 314. 581. 868. Tom. II. p. 1059. quae loca largam satis exemplorum copiam suppeditabunt. Hac

arte,

descensus erat, nocte paucis intra castra relictis, imperauit, multos ignes facerent; eductoque exercitu, et disposito circa latera praedictae viae, passus est transire barbaros: locorumque iniquitate, in qua ipse fuerat, in illos conuersa, parte exercitus terga eorum cecidit, parte castra fecit.

XXV. Darius, vt falleret Scythas discessu, canes atque asinos in castris reliquit: quos quum latrantes rudentesque hostis audiret, remanere Darium credidit.

XXVI. Eumdem errorem obiecturi nostris Ligures, per diuersa loca [31] buculos laqueis ad arbores adligauerunt, qui [32] diducti frequentiori mugitu speciem remanentium praebebant hostium.

XXVII. Hanno ab hostibus clausus, locum eruptioni maxime aptum, adgestis leuibus materiis incendit; tum hoste ad ceteros exitus custodiendos auocato, milites per ipsam flammam eduxit, admonitos ora scutis, crura veste contegere.

XXVIII. Hannibal, vt iniquitatem locorum, et inopiam, instante Fabio Maximo, effugeret, noctu boues, quibus ad cornua fasciculos adligauerat sarmentorum, subiecto igne, dimisit: quumque ipso motu [33] adole-

arte, insequenti tempore, Graeci aduersus Scythas, Turcas, aliasque septemtrionis gentes vsi fuerunt, vnde Σκυθικαὶ ἐνέδραι dicuntur a Mauricio L. IV. c. 2. et L. XI. c. 3.

31 *Buculos*] Quidam codices repraesentant *bubalos*, quos in Africa procreari testatur Isidorus. Quare verisimile haud videtur, Liguribus tot fuisse, vt remanentis exercitus speciem potuerint praebere. Merito adeo Reg. et Vatican. Codd. auctoritate *buculos* Tennulius et Oudendorpius reposuerunt.

32 *Diducti*] Variis coniecturis vulgatam, *deducti*, quam omnes veteres libri pertinacissime tuentur, sollicitarunt. Nos, omnibus aliis omissis, lubenter amplectimur τὸ *diducti*, quod facile ac leui mutatione, librariorum incuria, in *deducti* potuit transire; quemadmodum aliae quoque voces compositae syllabas, *de* et *di*, e. g. in *demitto* et *dimitto*; *destringo* et *distringo* turbatas exhibent; qualia exempla vbique, et saepius in nostro Frontino deprehenduntur, v. supra §. XIV. XIX. et c. VIII. §. I. Quare optime fecit Oudendorpius, qui *diducti* pro altera, *deducti*, in textum recepit. Nec displicet altera eiusdem coniectura *deducto mugitu* legentis, cuius haec sunt verba: *deducto mugitu* est in longum tracto, vt solent boues soli edere longos mugi-

33 adolescente flamma turbaretur pecus, magna discursatione montes, in quos actum erat, collustrauit: Romani, qui ad speculandum concurrerant, primo prodigium opinati sunt; deinde quum certa Fabio renuntiassent, ille de insidiarum metu suos castris continuit: barbari, obsistente nullo, profecti sunt.

mugitus, Metaphora deducta a filo. Vide notas ad Propertium L. II. 24. 38.
Et mea deducta carmina voce legis.

33 *Adolescente flamma*] h. e. *crescente*. Seruius ad I Aeneid. v. 708. *Adolere* proprie est augere. *Festus*. *Adolescit ab olesco, id est, cresco, venit. Exoletus, qui excessit olescendi, id est, crescendi modum.* Isidor. L. XI. Orig. c. 11. Nonius in *adolere*. Tennul. In Arceriana ex glossa erat *Augescente*. Vid. Perizon. ad Sanct. Mineru. p. 757. Oudend.

CAP. VI.

De insidiis in itinere factis.

Exemplum I.

1 Fuluius Nobilior quum ex Samnio in Lucanos exercitum duceret, et cognouisset a perfugis, hostes nouissimum agmen eius adgressuros, fortissimam [2] legionem primo ire, vltima sequi iussit [3] impedimenta. Ita factum

1 *Fuluius Nobilior*] Liuio et Fastis Capitolinis vocatur *Fuluius Paetinus*. Primus hoc cognomento venit eius filius, qui tamen ab aliis quoque simpliciter *Paetinus*, vel *Paetinus Nobilior* nominatur. Vnde non certo constat, an non et hic *Fuluius*, de quo agimus, in aliorum scriptorum annalibus *Nobilioris* cognomine memoratus fuerit. Alioquin hic et c. XI. 2. errasset auctor. Confer Pighium T. I. Ann. p. 386. et T. II p. 35. Oudendorp.

2 *Legionem*] Leidens. sec. et vnus Scriuer. *legionis*. Reliqui vero omnes excussi adhuc codices optime seruant *legionem*, de qua loquendi forma cum Graecis, tum Latinis vsitata, qua totum et partes, eodem casu ponuntur, vid. Sanct. in Mineru. L. IV. c. 8. vbi Perizonius exempla larga manu adfert.

3 *Impedimenta*] Strategematis huius vis in eo sita fuit, quod Fuluius contra Tacticorum praecepta, imminente a tergo hoste, fortissimam legionem primam; impedimenta vero vltima sequi iussit; eo quidem consilio, vt paullo post hostes praedationi intentos opprimere posset. Alias enim θεραπεία, καὶ τὰ ὑποζύγια, καὶ ἀποσκευὴ ἅπασα in medio erant plerumque collocanda, secundum Onosandri c. VI. et Veget. L. III. c. 6. potissimum enim ambulantibus vel a fronte; vel a tergo supernentus inferri solebant. Nec tamen semper haec impedimentorum collocandorum ratio obtinuit; sed

ctum pro occasione amplexi hostes, diripere sarcinas coeperunt. Fuluius legionem, de qua supra dictum est, quinque cohortes in dextram viae partem direxit, quinque ad sinistram; atque ita praedationi intentos hostes, explicato per vtraque latera milite, clausit, ceciditque.

II. Idem, hostibus tergum eius in itinere prementibus, [4] dum, flumine interueniente, non ita magno, vt transitum prohiberet, moraretur tamen rapiditate, alteram legionem in occulto eitra flumen collocauit, vt hostes, paucitate contempta, audacius sequerentur. Quod vbi factum est, legio, quae ob hoc disposita erat, ex insidiis [5] hostem adgressa vastauit.

III. Iphicrates in Thraciam quum propter conditionem locorum, [6] longum agmen deduceret, et nuntiatum

sed pro locorum positione atque hostilis impressionis metu variauit et quinque eius modi a Tacticis memorantur. Consuli hac de re possunt Arrianus p. LXXI. Aelian. c. I. Leo c. IX. §. 36. 37. c. X. §. 17. Mauric. L. V. c. 1. 5. L. IX. c 3. Constantin. p. XXXII. Aeneas Tact. c. XV

4 *Dum*] Cogitaui, in praecedentibus auctorem esse corruptum, et dudum conieci, scribendum, *vt transitu prohiberetur* sc. Fuluius. Hoc pacto certe omnia melius procedent. c. IV. §. 9. *Indi fluminis traiectu probibitus*. Nepos in Hannibale c. 3. *Alpicos conantes probibere transitu*; vti legendum esse, non *transitum* monuit Heinsius ad Ouid. Art. am. 335. l. II. et confirmat Cod. Leidensis Hirtius B. Alex. c. 29. *qui transitu Caesarem probiberent*. Curtius L. VIII. 13. 5. *transitu probibiturus bostes*. Oudend. Nisi me omnia fallunt, vitium in particula *dum* latere videtur, pro qua si per Codices MSS. voculam *ac* reponere liceret, reliqua satis commodum sensum forent habitura. In praesenti sine Codicum ope nil mouere sustinemus.

5 *Hostem adgressa vastauit*] Rariorem hanc locutionem recte dicit Oudendorpius, ita tamen vt laudet Senecam Epist. III. *Alexander Persas atque Indos vastabat*. Obsequentem c. 114. *vt vastando suos bostile imaginarentur bellum*. Quibus nos addimus Tacitum, qui aliquoties habet, *vastare nationes*. Annal. L. XIV. c. 38. *quodque nationum ambiguum — igne atque ferro vastatur*. L. XV. c. 1. *conterminam nationem vastauerat*.

6 *Longum agmen deduceret*] Qualis locorum conditio hic intelligatur, ex Tacticorum praeceptis facile coniectari potest. Quodsi enim per loca *aspera*, *montana*, *angusta* ducendae erant copiae, *agmine longo*, vel *pilato* incedebant, in quo fronte angusta et in longum extento exercitu iter faciebant: cuiusmodi omni studio euitandum esse, omnes Tacticae Magistri vno ore docent; Onosander c. VI. Leo c. IX. §. 29. Constantinus p. XXXI. Xenophon Cyrop. p. 321. edit. Wels. inter alia

in

tiatum ei esset, hostes summum id adgressuros, cohortes in vtraque latera secedere, et consistere iussit, ceteros subfugere, et iter maturare. Transeunte autem toto agmine [7] lectissimos quosque retinuit: et ita passim circa praedam occupatos hostes, iam etiam fatigatos, ipse requietis et ordinatis suis adgressus, fudit, exuitque praeda.

IV. [8] Boii in silua Litana, qua transiturus erat noster exercitus, succiderant arbores, ita vt ex parte exigua sustentatae starent, donec impellerentur: delituerant deinde ad extremas ipsi Boii, ingressoque siluam hoste, [9] in proximas vlteriores impulerunt. Eo modo propagata pariter supra Romanos ruina, magnam manum eliserunt.

CAP.

in Historicorum scriptis obuia, exemplum praebet Alexander Macedo, cum *Susidas Pylas* temere intrauit, de quo Curtius L. V. c. 3. Pro *deduceret*, quod omnes MSS. tuentur, Stewechio placuit *duceret*; Scriuerio, *educeret*. Probe autem monet Oudendorpius *deducere* idem esse cum *extendere* et in longitudinem extenuare; quam significationem *longo agmini* esse conuenientissimam quisque facile intelligit.

7 *Lectissimos q. retinuit*] Recte adeo Onosander c. VI. *τὴν οὐραγίαν ἐκ τῶν ἐῤῥωμενεστάτων καὶ ἀνδρειοτάτων* constitui iubet. Adde Arrianum p. XXI. et XXXVIII. Leon c. IX. §. 47. Constantinum p. XXXII. Rationem, cur in nouissimo agmine non minus, quam in primo fortissimi collocari debeant, reddit Onosander c. XXII. *ἐκπληκτικωτάτη δὲ καὶ δραστηριωτάτη μάλιστα πάντων ἡ κατὰ νώτου τῶν πολεμίων ἀειφυλίδιος ἐπιβολή.*

8 *Boii in silua Litana*] Sic Liuius hoc strategema refert. L XXXIII. c. 24. *Silua erat vasta (Litanam Galli vocabant) qua exercitum traducturus erat. Eius siluae dextra laeuaque circa viam Galli arbores ita inciderant, vt immotae starent, momento leui impulsae occiderent.* Fuisse autem hos Boios in Gallia togata, ex Liuii L. XXXIV. c. 22. clare patet; cuius haec sunt verba: *L. Valerius Flaccus in Gallia cum Boiorum manu propter Litanam siluam signis collatis secundo praelio conflixit. Consul reliquum aestatis circa Padum Placentiae et Cremonae exercitum habuit.* Male adeo hi Boii in Gallia Lugdunensi illo tempore a Stewechio collocantur.

9 *In proximas vlteriores impul.*] Huic loco illustrando optime inseruiunt Liuii verba, vnde haec Frontini sunt deriuata, L. XXIII. c. 24. *Galli oras extremae siluae cum circumsedissent, vbi intrauit agmen saltum, tum extremas arborum succisarum impellunt, quae alia in aliam instabilem per se, ac male haerentem, incidentes, ancipiti strage, arma, viros, equos obruerunt, vt vix decem homines effugerent.* Ex quibus colligi posse videtur, *vlteriores* hic dici arbores, in oris extremae siluae positas; ita quidem, vt respectu Romanorum *vlteriores*, id est extremae dicantur. Tennulius Boios respexit, tuncque omnino legendum foret, *proximas in vlteriores impulerunt.*

CAP. VII.

Quemadmodum ea, quibus deficimur, videantur non deesse, aut usus eorum expleatur.

Exemplum I.

L. Caecilius Metellus, quia vsu nauium, quibus elephantos transportaret, deficiebatur, [1] iunxit dolia, constrauitque tabulamentis, ac super ea positos per Siculum fretum transmisit.

II. Hannibal, quum in praealti fluminis transitum elephantos non posset compellere, neque nauium, aut materiarum, quibus rates [2] contexerentur, copiam haberet, iussit ferocissimum elephantum sub aure vulnerari, et eum, qui vulnerasset, transnato statim flumine, procurrere. [3] Elephantus exasperatus, ad persequendum doloris sui auctorem, transnauit amnem, et reliquis idem audendi fecit exemplum.

III. Carthaginiensium duces instructuri classem, quia sparto deficiebantur, crinibus tonsarum [4] mulierum ad funes efficiendos vsi sunt.

IV. Idem Massilienses, et Rhodii fecerunt.

V. M.

1 *Iunxit dolia*] De variis modis traiiciendi maiora flumina agit Vegetius L. III. c. 7.

2 *Contexerentur*] In vulgatis legebatur *consternerentur*, nulla vero Codd. MSS. auctoritate, qui, teste Oudendorpio, omnes habent, *continerentur*; pro quo idem vir acutissimus legendum censet *contexerentur*, pariterque laudat commentarios VV. doctorum ad Ouid. L. XIV. Met. v. 530. I. F. Gronouium L. II. Obs. c. 7. Caesarem B. Gall. L. IV. c. 17. qui differentiam inter *contexere* et *consternere*, in fabrica pontis clare docet.

3 *Elephantus exasperatus*] De elephantis, quos contra Romanum exercitum primus in Lucania rex Pyrrhus eduxit, in praeliis magnitudine corporum, barritus horrore, formae ipsius nouitate, homines equosque conturbare scribit Vegetius L. III. c. 24.

4 *Mulierum*] Iam in Capitolii obsidione, cum neruorum copia defecisset, matronae abscissos crines viris suis obtulere pugnantibus, reparatisque machinis, aduersariorum impetum repulerunt, vt auctor est Vegetius L. IV. c. 9. De Carthaginiensium matronis, quae item in tormentorum vincula crines suos obtulerunt, Florus L. II. c. 15. §. 11.

V. M. Antonius, a Mutina profugus, cortices pro scutis militibus suis dedit.

VI. Spartaco, copiisque eius, [5] scuta ex vimine fuerunt, quae coriis tegebantur.

VII. Non alienus, vt arbitror, hic locus est, referendi factum Alexandri Macedonis illud nobile, qui [6] per deserta Africae itinera, grauissima siti cum exercitu adfectus, oblatam sibi a milite in galea aquam, spectantibus vniuersis, effudit; vtilior exemplo temperantiae, quam si [7] communicare potuisset.

C A P. VIII.

De distringendis [1] hostibus.

Exemplum I.

Coriolanus, quum ignominiam damnationis suae bel-

5 *Scuta*] Heroica aetate ex coriis bubulis, aere tectis, confecta fuisse scuta, Homerus testis est, cum alibi; tum Iliad. L. XII. v. 404. Adde not. ad Onosandri c. XX. De scutis ex vimine factis Sallustius Histor. Fragm. L. IV. p. 70. ed. Wass. *Hi locorum perignari,* (pergnari) *et soliti nectere ex viminibus vasa agrestia, ibi tum, quod inopia scutorum fuerat, ad eam artem se quisque in formam parmae equestris armabat.*

6 *Per deserta Africae itinera*] Barthius Aduers. L. XIV. c. 9. omittendum censuit τὸ *itinera*; cui etiam Tennulius et Oudendorpius accedunt, nisi quod omnes codices seruant *itinera*. Nec ego sustineam hanc vocem contra omnium MSS. fidem sollicitare. Quamquam enim eiusmodi adiectiua omnino ἐλλιπῶς frequentius ponuntur: Graeci tamen pariter atque Romani Ellipsin interdum expressam habent. Sic ἔρημον τόπον Marc. c. VI. 31. ἔρημον χωρίον apud Lucian. in asin. p. 104. Eodem modo apud Varronem L. VI. p. 67. *qui in deserta et tesca te apportes loca:* nisi locus in mendo cubat. Nepos in vita Eumen. c. VIII. §. 5. *Duae erant viae — quarum breuior per loca deserta:* pro quo paullo post idem; *sin per loca sola contenderet*; vti apud Sallustium B. Iug. c. 110. *proficiscitur in loca sola.*

7 *Communicare potuisset*] *Potuisset* recte se haber, vt ostenderunt viri docti. Eius locutionis exempla plena manu praebent Rittershus. et Burmannus ad Phaedri Fab. 15. et ad Ouid. Epist. Her. XVII. 209. quosque ibi laudant. Adde Broukhusium ad Propert. II. 15. et I. F. Gronou. ad Liuium L. XXXII. 13. *An reuerti in Italiam posset*, pro *reuerteretur.* Oudend. Sic explicanda sunt illa Marci c. VI. 5. καὶ οὐκ ἠδύνατο ἐκεῖ οὐδεμίαν δύναμιν ποιῆσαι.

1 *De distringendis hostibus*] Quam frequenter in verbis compositis,

bello vlciſceretur, populationem patriciorum agrorum inhibuit, deuſtis vaſtatiſque plebeiorum; vt diſcordiam moueret, qua conſenſus Romanorum diſtringeretur.

II. Hannibal Fabium, cui neque virtute, neque artibus bellandi par erat, vt infamia deſtringeret, agris eius abſtinuit, ceteros populatus. Contra ille, ne ſuſpecta ciuibus fides eſſet, magnitudine animi effecit, publicatis poſſeſſionibus ſuis.

III. Fabius Maximus quinto Cos. quum Gallolorum, Vmbrorum, Hetruſcorum, Samnitiumque aduerſus populum Romanum exercitus coiſſent, contra quos et ipſe trans Apenninum [2] in Sentinate caſtra communiebat, ſcripſit Fuluio et Poſtumio, qui in praeſidio vrbi erant, copias [3] ad Sitium mouerent. [4] Quibus adſecutis, ad ſua defendenda Hetruſci Vmbri-

ſitis, *di* et *de* inter ſe in vett. libris confundantur, nos ſupra ad *c. V. §. 26.* notauimus. Ad hunc locum ita commentatur Oudendorpius: *Diſtringere* eſt diuidere, diſtrahere, diſtinere, de qua re agit hoc caput: quare hoc, et exemplo primo ita legendum eſt. *Deſtringere* vero eſt criminari, taxare, famae alicuius abradere, et illi detrahere. Hinc patet, exemplo ſecundo ſcribendum, vt feci, *deſtringeret infamia*, quod monuit iam Cuperus L. IV. Obſeru. c. 5. Et recte in locis Phaedri a Tennulio adductis reſtitutum eſt per viros doctos. Conſule Scheffe늘rum, Heinſium, et alios. Ouid. L. II. Triſt. v. 563.

Non ego mordaci deſtriuxi carmine quemquam.

2 *In Sentinate*] Ἐλλιπῶς pro, in *Sentinate agro*; vti expreſſa ellipſis eſt apud Liuium L. X. c. 27. *Conſules ad hoſtes transgreſſo Apennino in agrum Sentinatem peruenerunt.*

3 *Ad Sitium*] Variae ſunt eruditorum virorum de vera huius loci ſcriptura coniecturae. Modius et cum eo Cluuerius Ital. Ant. L. II. p. 568. *Cluſium* coniectando augurati ſunt, Liuium ſecuti L. X. c. 27. *Conſules* (Decius et Fabius) *Fuluio, vt ex Faliſco, Poſthumio, vt ex Vaticano exercitum ad Cluſium admoueant, ſummaque vi fines hoſtium depopulentur, ſcribunt. Huius populationis fama Etruſcos ex agro Sentinate ad ſuos fines tuendos mouit.* Codex Vatican. *Aſitium*, et margo coll. Voſſ. *Aſſicium*; vnde facile *Aeſiſium*, Vmbriae oppidum, elici poſſit. Oudendorpio magis adridet *Sutrium*, Hetruriae clauſtra, vti de ea vrbe loquitur Liuius Lib. IX. c. 32. Vterque Liuii locus animum plane ſuſpenſum tenet, vt, cui coniecturae, *Cluſium*, an *Sutrium* tuenti accedamus, dicere haud poſſimus, niſi quod *Sutrium* propius ad vulgatam accedere videtur.

4 *Quibus adſecutis*] MSS. nihil mutant. Forte *obſecutis*, vel *id ſecutis*. Oudend.

brique descenderunt. Relictos Samnites Gallosque Fabius et collega Decius adgressi, vicerunt.

IV. M'. Curius aduersus Sabinos, qui ingenti exercitu conscripto, relictis finibus suis nostros occupauerant, occultis itineribus, manum misit, quae desolatos agros eorum, vicosque per diuersa incendit. Sabini ad arcendam domesticam vastitatem recesserunt. Curio contigit et vacuos infestare hostium fines, et exercitum sine proelio auertere, sparsumque caedere.

V. T. Didius paucitate suorum diffidens, quum in aduentum earum legionum, quas exspectabat, traheret bellum, et occurrere eis hostem comperisset, concione aduocata, aptari iussit milites ad pugnam, ac de industria negligentius custodiri captiuos; ex quibus pauci, qui profugere, nuntiauerunt suis, pugnam inminere. At illi, ne [5] suspectione proelii diducerent vires, omiserunt occurrere eis, quibus insidiabantur. Legiones tutissime, nullo excipiente, ad Didium peruenerunt.

VI. Bello Punico quaedam ciuitates, quae a Romanis deficere ad Poenos destinauerant, quum obsides dedissent, quos recipere, antequam desciscerent, studebant, simulauerunt seditionem inter finitimos ortam, quam Romanorum legati dirimere deberent, missosque eos, velut contraria pignora, retinuerunt, nec ante reddiderunt, quam ipsi recuperarent suos.

VII. Legati Romanorum, quum missi essent ad Antiochum regem, qui secum Hannibalem victis iam Carthaginiensibus habebat, [6] consiliumque eius aduersus Romanos instruebat, crebris cum Hannibale colloquiis effecerunt, vt is regi fieret suspectus, cui gratissimus

5 *Suspectione*] *Suspectionibus* pro *suspicionibus* apud Vegetium etiam duo veterrimi Leidenses. De v. *suspectio* consule cl. Burmann. ad Quinctiliani Declam. l. 2. et Munker. ad Fulgent. L. III. init. Oudend.

6 *Consiliumque eius a. R. instruebat*] de locutione *instruere consilium* vid. not. ad Praef.

mus alioquin et vtilis erat propter calliditatem et peritiam bellandi.

VIII. Q. Metellus aduerſus Iugurtham bellum gerens, miſſos ad ſe legatos eius corrupit, vt ſibi proderent regem. Quum et alii veniſſent, idem fecit. Eodem conſilio vſus eſt et aduerſus tertios. Sed de captiuitate Iugurthae res parum proceſſit; viuum enim tradi ſibi volebat: plurimum tamen conſecutus eſt; nam, quum interceptae fuiſſent epiſtolae eius ad regios amicos ſcriptae, in omnes eos rex animaduertit, [7] ſpoliatuſque conſiliis, amicos poſtea parare non potuit.

IX. C. Caeſar, quum per exceptum quemdam aquatorem comperiſſet, Afranium Petreiumque caſtra noctu moturos, vt citra vexationem ſuorum hoſtilia inpediret conſilia, initio ſtatim noctis [8] vaſa conclamare milites, et praeter aduerſariorum caſtra agi mulos cum fremitu, et ſonum continuare iuſſit, quo retentos volebat arbitrari, caſtra [9] Caeſarem mouere.

7 *Spoliatuſque conſiliis*] *Conſilia* hic dicuntur pro *conſiliariis*; vt ſupra L. I. c. 11. §. 1. *Legatio* pro *legatis*. Sic etiam *ſeruitia*, *coniugia*, pro *ſeruis*, *coniugibus*, et multa alia, quae vbiuis ſunt obuia. *Conſiliariorum* neceſſitatem probe perſpexerunt ſcriptores Tactici, cuius rationem adferr Onoſander, docetque, quomodo dux copiarum iis vti debeat, c. III. *γνώμη γὰρ, ἡ μὲν ἀνεπικύρωτος μονουμένη, πταίει περὶ τὴν ἰδίαν αἵρεσιν· ἡ δὲ ὑπὸ τῶν πέλας ἐπιμαρτυρηθεῖσα, πιστοῦται τὸ μὴ σφαλερόν.*

8 *Vaſa conclamare*] Ad Caeſaris L. I. B. Ciu. c. 66. locum D. Voſſius hic legendum eſſe monet, *vaſa conclamari*, deleta voce *milites*. Et, vt ego quidem arbitror, recte. Milites enim ipſi non conclamant vaſa; ſed praecones vel teſſerarii; vnde paſſim imperſonaliter *vaſa conclamari*; et *conclamari* ſimpliciter apud Caeſarem, et alios occurrit, cum iubet imperator caſtra moueri. Vid. L. III. B. Ciu c. 37. 38. L. I. c. 67. III. 75. Liuius L. XXII. c. 3. *Signo dato conclamatur inde, vt colligantur vaſa: profecti et agmine incedentes* etc. Hanc autem coniecturam vehementer firmat Cod. primus Mediceorum, in quo *milites* modo erat ſupra ſcriptum, non in ipſo contextu. Oudend.

9 *Caeſarem mouere*] Haec et ſuperiora ita reſtituenda eſſe cenſet Oudendorpius: *Initio ſtatim noctis vaſa conclamari*, etc. *et ſonum continuare milites iuſſit. Quo territos volebat arbitrari, caſtra ad ſe Caeſarem mouere.*

X. Scipio Africanus ad excipienda auxilia cum commeatibus, Hannibali venientia, M. [10] Thermum, dimisit, ipse subuenturus.

XI. Dionysius, Syracusanorum tyrannus, quum Afri ingenti multitudine traiecturi essent in Siciliam, ad eum obpugnandum, castella pluribus locis communiit, custodibusque praecepit, vt ea aduenienti hosti dederent, dimissique Syracusas [11] occulte redirent. Afris necesse fuit, capta castella praesidio ibi tenere; quos Dionysius, redactos ad quam voluerat paucitatem, pene iam par numero adgressus vicit, quum suos contraxisset, et aduersarios sparsisset.

XII. Agesilaus Lacedaemonius, quum inferret bellum Tissaphernae, Cariam se petere simulauit; quasi [12] aptius locis montuosis, aduersus hostem equitatu praeualentem, pugnaturus. Per hanc consilii ostentationem [13] auocato in Cariam Tissapherne ipse Lydiam, vbi caput hostium regni erat, inrupit; obpres-

10 *Thermum dimisit*] Omnino summi Gronouii sententiae accedendum purem, qui in epistola ad Keuchenium data pro *dimisit* legendum censet *immisit*, voce huic rei propria: vti apud Graecos τὸ ἐπαφίεναι. Polybius L. III. c. 102. ἐπαφῆκε τοῖς προνομεύουσι. Hinc eleganter Macro, qui gratiam C. Caesaris cum acrius in dies foueret, iuuenemque amore inlicere studeret, vxorem suam Enniam ei dicitur *immisisse* apud Tacitum Annal. L. VI. c. 45. Eadem notione *immittere alicui percussores, sicarios*.

11 *Occulte redirent*] *Vt occulte* Leid. pr. quod cur praeceperit Dionysius, non capio. Quorsum enim alio, deditis per pactionem castellis, se reciperent milites? Non tradit hoc etiam Polyaenus L. V. 2. 9. An *ocissime?* certe quid *occulte* hic faciat, non video. Oudendorpius.

12 *Aptius locis montuosis* cet.] Optime secundum Tacticorum praecepta, qui *loca aspera*, *angusta* et *montuosa* occupanda suadent, si hostes praeualent equitatu. Sic Onosander c. XXXI. Ἱπποκρατούντων δὲ τῶν πολεμίων, ἐὰν ᾖ δυνατὸν, ἐκλεγέσθω χωρία τραχέα, καὶ στενὰ, καὶ παρόρεια ἥκιστα ἱππάσιμα. Cui iungendi Leo c. XIV. §. 86. c. XX. §. 189. Mauricius L. XII. p. 359. Polybius L. III. c. 110.

13 *Auocato*] Ita sane pro *aduocato*, vt in Scriueriana aliisque editionibus male legitur. Perpetuo fere errore *aduocare* et *auocare* in Codd. MSS. turbata reperiuntur, vt L. I. c. IV. §. 14. et c. V. §. 16. in quibus recte Tennulius et Oudendorpius τῷ *auocare* locum dederunt.

pressisque, qui illic agebant, pecunia regia potitus est.

CAP. IX.

De seditione militum compescenda.

Exemplum I.

A. Manlius Cos. quum comperisset, coniurasse milites in hibernis Campaniae, vt, iugulatis hospitibus, ipsi res eorum inuaderent, rumorem spargit, [1] eodem loco hibernaturos; atque ita coniuratorum consilio turbato, Campaniam periculo liberauit, et ex occasione nocentes puniuit.

II. L. Sulla, quum legiones ciuium Romanorum perniciosa seditione furerent, consilio restituit sanitatem efferatis. [2] Propere enim adnuntiari iussit, hostem adesse, et [3] ad arma vocantium clamorem tolli,

 signa

1 *Eodem loco*] Egregie Oudendorpius defectum orationis supplet ex Liuio L. VII. c. 38. *Haec agitata occultis coniurationibus, nec dum vulgata in omnes consilia inuenit nouus consul C. Marcius Rutilus, cui Campania sorte prouincia euenerat. Itaque — optimum ratus, differendo spem, quandocumque vellent, consilii exsequendi, militarem impetum frustrari; rumorem dissipat, in iisdem oppidis ET ANNO POST praesidia hibernatura. Eo laxamento cogitationibus dato, quieuit in praesentia seditio.* Haec secutus, vna addita voce, corrupto loco succurrit, legendo: *eodem dein loco hibernaturos:* quae particula, ob vltimam praecedentis vocis syllabam, facile potuit absorberi.

2 *Propere enim* cet.] Prudenter adeo praecipit Onosander c. XIV. ὅταν ῥαθυμῇ στρατόπεδον, καὶ ἀπειθέστερον ᾖ τοῖς ἡγεμένοις, τὸν ἀπὸ τῶν πολεμίων ὑποσημαίνειν δεῖ κίνδυνον. Adde Xenophont. Cyrop. L. I. c. VI. §. 12. Hoc praeceptum etiam Hermocrates Syracusanus secutus est, qui, cum ingentem captiuorum manum in potestatem redegisset, veritus, ne parum diligenter custodirentur, finxit, proxima nocte equitatum hostilem venturum, vt noster Frontinus tradit L. II. c. IX. §. 6. et §. 7. vbi aliud eiusdem exemplum prodit.

3 *Ad arma vocantium*] *Ad arma*, voces erant sollennes, quibus imperator ad pugnam capessendam milites exhortabatur, quem reliqui copiarum duces ac milites secuti, iisdem procul dubio verbis se mutuo concitarunt; quod *conclamare ad arma* dicebatur. Caesar L. I. de B. Ciu. c. LXIX. *Conclamatur ad arma; atque omnes copiae — exeunt.* Inter praecepta imperatoria refert Aelianus Tact. c. LIII. Ἄγε εἰς ὅπλα. Xenophon Ἀναβ. L. I. εὐθὺς παραγγέλλει, εἰς τὰ ὅπλα. Leo c. VII.

ſigna canere. Diſcuſſa ſeditio eſt, vniuerſis aduerſus hoſtem conſentientibus.

III. Cn. Pompeius, trucidato ab exercitu Mediolani ſenatu, ne tumultum moueret, ſi ſolos euocaſſet nocentes, mixtos eis, qui extra delictum erant, venire iuſſit. Ita et noxii minore cum metu, quia non ſegregati, ideoque non ex cauſſa culpae videbantur arceſſiri, comparuerunt, et illi, quibus integra erat conſcientia, cuſtodiendis quoque nocentibus adtenderunt, ne illorum fuga inquinarentur.

IV. C. Caeſar, quum quaedam legiones eius ſeditionem mouiſſent, adeo, vt in perniciem quoque ducis viderentur conſurrecturae, diſſimulato metu, proceſſit ad milites, poſtulantibuſque miſſionem, vltro minaci vultu dedit. Exauctoratos poenitentia coegit [4] ſatisfacere Imperatori, obſequentioreſque in reliquum [5] operas edere.

CAP.

VII. §. 88. Eamdem conclamationem in ſeditione atque tumultu vulgari obtinuiſſe, patet ex illis Horatii L. I. Od. XXXV. v. 14.

— — — *neu populus frequens*
Ad arma ceſſantes, ad arma
Concitet, imperiumque frangat.

vbi poeta ad exprimendum vehementiorem affectum, atque tumultuantium feſtinationem, eamdem vocem ingeminat, de qua ratione nos ad Bionis Idyll. I. v. 16.

4 *Satisfacere*] *Satisfacere alicui* pro *deprecari* eſt locutio apud optimos ſcriptores ſatis frequens. Sic apud Caeſarem, vnde haec hauſit noſter, L. I. de B. Gall. c. XLI. *Deinde reliquae legiones per tribunos militum et primorum ordinum centuriones egerunt, vti Caeſari ſatisfacerent.* Suetonius in vit. Tiber. c. XXVII. *Adulationes adeo auerſatus eſt, vt — Conſularem ſatisfacientem ſibi, ac per genua orantem ita ſuffugerit, vt caderet ſupinus.* Vnde *ſatisfactionem accipere*, eſt *deprecationem admittere, veniam dare:* vti eſt apud Caeſarem l. ſupra cit: *ſatisfactione accepta — profectus eſt.* Velleius Paterc. L. II. c. 29, de Pompeio, *in reconcilianda gratia fideliſſimus, in accipienda ſatisfactione facillimus.*

5 *Operas edere*] Non debuerunt haec alibi ſollicitare viri docti, quae ſincera et elegantia ſunt. Adi notas I. F. Gronouii ad Liuium L. III. c. 63. *Caſtigati fortium ſtatim virorum operam edebant.* Oudendorp.

CAP. X.

Quemadmodum intempeſtiua poſtulatio pugnae inhibeatur.

Exemplum I.

Q. Sertorius, quod experimento didicerat, inparem ſe vniuerſo Romanorum exercitui, vt barbaros quoque, inconſulte pugnam expoſcentes, doceret, adductis in conſpectum duobus equis, altero praeualido, altero admodum exili, duos admouit iuuenes ſimiliter adfectos, robuſtum et gracilem: et robuſtiori imperauit, equo exili vniuerſam caudam abrumpere; gracili autem, valentiorem [1] per ſingula vellere. Quumque gracilis feciſſet, quod imperatum erat, validiſſimus cum infirmi equi cauda ſine effectu luctaretur: Naturam, inquit Sertorius, Romanarum cohortium per hoc vobis exemplum oſtendi, milites: inſuperabiles ſunt vniuerſas adgredientibus: easdem lacerabit et carpet, qui per partes adtentauerit.

II. [2] Idem, quum videret, ſuos pugnae ſignum inconſulte flagitantes, crederetque rupturos imperium,

 niſi

1 *Per ſingula vellere*] MSS. omnes et Edd. Rom. Bonon. Pariſ. receptam ſcripturam *per ſingula vellere* tuentur. In vulgatis eſt *per ſingulos pilos*, vti etiam in eadem hiſtoria L. IV. c. 7. §. 6. repetita legitur; niſi quod ibi rectius *valentioris* ſiſtitur, ſubint. *caudam*. Omnino autem, *per ſingula*, hic Codd. fide probandum cenſemus, Graecorum more poſitum, qui ἐλλιπῶς dicunt καθ' ἕκαστα ſubint. μέρη. Theophraſt. Charact. Eth. c. III. εἶθ' ὧν εἶχεν ἐπὶ τῷ δείπνῳ τὰ καθέκαστα διεξελθεῖν. Ex hac hiſtoria tracta ſunt illa Horatii L. II. Ep. I. v. 45.

Vtor permiſſo, caudaeque pilos vt equinae,
Paullatim vello, et demo vnum, demo etiam vnum;
Dum cadat eluſus ratione ruentis acerui.

Quod de Romanis hic dicit Sertorius, Carthaginienſes magna clade experti ſunt, quorum magnam partem pabulatum emiſſam ac diſperſam Fabius cecidit, ipſumque eorum exercitum in grauiſſimum periculum adduxit. Polybius L. III. c. 102.

2 *Idem cum videret*] Bene Onoſander c. XIV. πρὸς ἑκάτερον δεῖ τὸν στρατηγὸν ἡρμόσθαι, καὶ εἰδέναι, πότε δεῖ τὰ ταπεινὰ καὶ λόγῳ καὶ σχήματι ποιεῖν, καὶ πότ' ἂν τὰ δεινὰ καὶ φοβερώτερα.

nisi congrederentur, permisit turmae equitum ad lacessendos hostes ire; laborantique submisit alias, et sic recepit omnes: tum vtrisque et sine noxa ostendit, quis exitus flagitatam pugnam mansisset. Obsequentissimis inde eis vsus est.

III. Agesilaus Lacedaemonius, quum aduersus Thebanos castra super ripam posuisset, multoque maiorem hostium manum esse intelligeret, et ideo suos arcere a cupiditate decernendi vellet, dixit, responso Deûm se ex collibus pugnare iussum: et ita exiguo praesidio ad ripam posito, accessit in colles. Quod Thebani pro metu interpretati, transierunt flumen, et quum facile depulissent praesidium, ceteros insecuti auidius, iniquitate locorum a paucioribus victi sunt.

IV. [3] Scorylo, dux Dacorum, quum sciret dissociatum armis ciuilibus populum Romanum, neque tamen tentandum arbitraretur, quia externo bello posset concordia [4] in ciues coalescere, duos canes in conspectu popularium commisit, iisque acerrime inter ipsos pugnantibus, lupum ostendit, quem protinus canes, omissa inter se ira, adgressi sunt. Quo exemplo

3 *Scorylo*] Varia est vocis huius scriptura in Codd. MSS. aliis *Scorilo*, aliis *Scoriolo*, aliis denique *Corilo* et *Arocilo*, exhibentibus. Bentleius suspicatur, num scribendum sit *Cotiso*, ad Horat. L. III. Od. 8. *Occidit Daci Cotisonis agmen.*

4 *In ciues coalescere*] Regio codici accedunt vterque Mediceus et Petrensis *inter ciues*. Quod cum Tennulio, prima specie, credas vulgatae lectioni praestare. Vix tamen videntur librarii hoc corrupturi fuisse; immo ter tam paucis versibus *inter* repetiuisset auctor. Vide potius, num dederit auctor *inuicem*, i. e. mutuo. Immo potius nihil mutandum, et *in ciues* capiendum pro *in ciuibus*, in animos eorum, *vt planta coalescit in terram*. Quomodo locutus est Optatus Afer, teste Gronouio obseruat. Eccles. c. 13. in f. Nam alio sensu, qui hic non quadrat, Liuius dixit, *multitudo coalescit in populi vnius corpus*, L. I. c. 8. *In* cum quarto pro sexto casu iungi saepissime, alibi vidimus; quamquam eo hic confugere non opus sit, et hoc loco motum etiam quemdam in animos denotet. Latinum etiam esset, *possent in concordiam ciues coalescere*. Sic Tacitus L. II. Histor. c. 37. *Exercitus dissonos in hunc consensum coaluisse.* Oudendorpius.

plo prohibuit barbaros ab impetu, Romanis profuturo.

C A P. XI.

Quemadmodum incitandus ſit ad proelium exercitus.

Exemplum I.

[1] M. Fabius et Cn. Manlius Coſſ. aduerſus Hetruſcos, propter ſeditiones detractante proelium exercitu, vltro ſimularunt cunctationem, donec milites probris hoſtium coacti, pugnam depoſcerent, iurarentque, ſe ex ea victores redituros.

II. Fuluius Nobilior, quum aduerſus Samnitium numeroſum exercitum, et ſucceſſibus tumidum, paruis copiis neceſſe haberet decertare, ſimulauit vnam legionem hoſtium a ſe corruptam ad proditionem; imperauitque ad eius rei fidem tribunis, et [2] primis ordinibus, et centurionibus, quantum quiſque numeratae

1 *M. Fabius* cet.] Hoc bellum cum Etruſcis geſtum narrant pluribus Liuius L. II. c. 46. Dionyſius Halicarnaſſ. L. IX. 13.

2 *Primis ordinibus*] Optime ſe habet recepta ſcriptura, *et primis ordinibus, et centurionibus*; nec opus eſt, vt *primi ordinis centurionibus*, vt quibusdam viſum, legamus; vel cum Keuchenio particulam *et* deleamus. Vult nimirum docere Frontinus, non *primorum ordinum* ſolum; ſed reliquis quoque *minoribus centurionibus* imperaſſe, vt aurum argentumque conferrent. Differebant autem *primipili, primi principes, primi haſtati* a reliquis *minorum ordinum* centurionibus; vnde *illi primi ordines*; vel *primorum ordinum centuriones* dicti fuerunt. Sic apud Velleium Patercul. L. II. c. 102. §. 6. *non incruentis centurionibus, e quibus etiam primi ordines cecidere.* Hinc ipſe Caeſar de B. Gall. L. VI. c. 40. ordinum ductores, in *inferiorum* et *ſuperiorum ordinum* centuriones diſtinguit: et de B. Ciu. L. III. c. 74. *cum ſuperioris etiam ordinis nonnulli — rem praelio committendam exiſtimarent:* niſi forte hic, duce Oudendorpio, *ſuperiores ordines* legendum cenſeamus. Tacito Hiſtor. L. IV. c. 59. *alti ordines*, et Annal. L. IV. c. 73. *inſignes centuriones* dicuntur, quales etiam ſine dubio innuit Horatius Serm. L. I. VI. v. 73.

Quo pueri magnis e centurionibus orti.

Per *primos ordines* intelligi *primorum ordinum centuriones*, Graecus quoque interpres belli Gallici Caeſaris perſpexit, qui L. VI. c. 7. *primos ordines* per πρώτους ταξιάρχους reddit; de quibus nos pauca notauimus ad Onoſandri c. II.

ratae pecuniae, aut auri argentique haberet, conferret, vt [3] repraesentari merces proditoribus posset: se autem his, qui contulissent, pollicitus est, consummata victoria, ampla insuper praemia daturum. Quae sua persuasio Romanis alacritatem adtulit et fiduciam: vnde etiam praeclara victoria, commisso statim bello, [4] patrata est.

III. C. Caesar aduersus Germanos et regem Arioiustum pugnaturus, confusis suorum animis, pro concione dixit, nullius se eo die opera, nisi decimae legionis, vsurum: quo consecutus est, vt decimani tamquam praecipuae fortitudinis testimonio [5] cogerentur, et ceteri pudore; ne penes alios gloria virtutis esset.

IV. Q. Fabius, qui egregie sciebat, et Romanos eius esse libertatis, quae contumelia exasperaretur, et a Poenis nihil iustum aut moderatum exspectabat, misit legatos Carthaginem de conditionibus pacis: quas quum illi iniquitatis et insolentiae plenas retulissent, exer-

3 *Repraesentari*] Omnes MSS. *repraesentari*, h. e. praesentem solui, non in diem. Inde *repraesentatio* pro praesenti solutione. Cicero L. XII. ad Attic. ep. 31. *si enim Faberianum venderem, explicare vel repraesentatione non dubitarem de Silianis*. Sueton. Aug. c. 101. *Quam summam repraesentari iussit*. Etiam de quibuslibet aliis rebus, quae statim fiunt. Cicero V. Famil. 16. *Neque exspectare temporis medicinam, quam repraesentare ratione possimus*. Plinius Paneg. *An mediocris animi est, bis potius repraesentare, quibus negari magis potest*. Sueton. Claud. c. 34. *Poenas parricidarum repraesentabat, exigebatque coram*. Phaedrus Fab. 49. *Repraesentauit in se poenam facinoris*. Vide Gronouium L. I. c. 6. de pecunia veteri. Tennul.

4 *Patrata est*] Hittorp. margo *parata*. Sed duo Scriuetiani, Cantabrigienses, Leidenses et Palatinus etiam *patrata*. Verissime. Tacitus L. XII. Annal. c. 16. *Patrata expugnatio*. Sed vide omnino cel. Burmannum ad Quinctil. L. VIII. Institut. Orat. c. 3. Oudend.

5 *Cogerentur*] Cum alio loco in hac re et ex. seqq. habeamus *concitarentur*, et Mediceus det *congerentur*, a Frontini manu hic omnino esse putem, sensu exigente, *concirentur*, hoc est, instigarentur. Frequens hoc verbum est apud Liuium, Velleium, Tacitum, Valerium Flaccum, et alios *concire*, *concire in arma*; vnde *concitor belli*, quod saepe abiit in *concitator*. Hoc ipsum tempus ita apud Lucan. L. III. 54.

— *vanos populi conciret amores*. *Concitatus* et *concitus* variantur etiam L. IV. c. 5. §. 16. Oudendorpius.

exercitus Romanorum ad pugnandum concitatus eſt.

V. Ageſilaus, Lacedaemoniorum dux, quum prope ab Orchomeno, ſocia ciuitate, caſtra haberet, comperiſſetque, pleroſque ex militibus pretioſiſſima rerum deponere intra munimenta, praecepit oppidanis, ne quid ad exercitum ſuum pertinens reciperetur, quo ardentius dimicaret miles, qui ſciret, ſibi pro omnibus ſuis pugnandum.

VI. Epaminondas, dux Thebanorum, aduerſus Lacedaemonios dimicaturus, vt non ſolum viribus milites ſui, verum etiam [6] adfectibus adiuuarentur, pronuntiauit in concione, deſtinatum Lacedaemoniis, ſi victoria potirentur, omnes virilis ſexus interficere, vxoribus autem eorum et liberis in ſeruitutem abductis, Thebas diruere: qua denuntiatione concitati, primo impetu Thebani Lacedaemonios expugnauerunt.

VII. Leutychidas, dux Lacedaemoniorum, pugnaturus eodem die, quo [7] claſſe vicerant ſocii, quamuis

6 *Adfectibus*] Notanda vocis huius notio, ſequioris aeui ſcriptoribus recepta, qua *vehementiores animi motus* ſignificantur; quibus homines ad audenda quaeuis, mirum quantum, incitantur. Hinc Plinius in Paneg. c. LXXVIIII. *Tentabitque affectus noſtros, vt ſolet, cohibere; nec poterit.* Quos adeo in acri militia ſi rite nouerit excitare in militum animis imperator, plurimum omnino proficiet. Grauiter Horatius de eiusmodi milite ad pugnam concito L. III. Od. 2. v. 9.

Eheu! ne rudis agminum
Sponſus laceſſat regius aſperum
Tactu leonem, quem cruenta
Per medias rapit ira caedes.

Quae cum probe explorata habuiſſet Epaminondas, litterarum ſtudiis ac philoſophiae doctrina aeque ac rei militaris ſcientia mirabilis, recte Iuſtino L. VI. c. 8. §. 9. caedem omnis virilis ſexus, vxorum liberorumque ſeruitutem, ac patriae excidium ab hoſte imminere, prudentiſſimo ſane conſilio finxit; militumque animos pariter miſericordia, iracundia, timore, deſperatione impleuit: ex quo factum eſt, vt primo impetu Lacedaemonios expugnarent.

7 *Claſſe*] 4 Regii, 3 Hill. *claſſem.* Tennul. Vehementer miror, interpretum neminem, nec ſummum Caſaubonum, dum recte noſtri Frontini verba ad hiſtoriam et pugnam prope Mycalen factam refert, vidiſſe, aut certe nos monuiſſe, magnum hic errorem a Frontino fuiſſe commiſſum; ſi haec quidem ver-

uis ignarus actae rei, vulgauit nuntiatam sibi victoriam partium, quo constantiores ad pugnam milites haberet.

VIII. A. Postumius proelio, quo cum Latinis conflixit, oblata specie duorum in equis iuuenum animos suorum erexit, Pollucem et Castorem adesse dicens, ac sic proelium restituit.

IX. Archidamus Lacedaemonius aduersus Arcadas bellum gerens, [8] arma in castris statuit, et circa ea

verba, *quo classe vicerant socii*, eo ordine, quo vulgo scribuntur, sana sunt. Ipse enim Leutychidas classe pugnauit, et eodem die ad Plataeas, duce Pausania, pedestri praelio res gesta et victoria est comparata; vti ex Herodoto, Diodoro, Plutarcho, Polyaeno, Iustino et C. Nepote aliisque constat. Hinc primo intuitu legendum putabam, *pugnaturus classe eodem die:* quomodo deinceps vidi a Doctiss. Eduardo Simsono in Chronic. ad A. M. 3526 tentatum esse hunc locum. Verum mox totum vocabulum *classe* coepit mihi esse suspectum. Nam cur additum hoc *classe*, si non e contrario dicatur, quo pugnae genere ipse; vel si ipse classe, quo genere pugnauerint socii? vnde patet, vel superuacuum esse, vel aliud quid latere. Quod postea ostenderunt mihi MSS. qui mordicus cum Romana editione praeferunt *classem*. Iam vero Latinum non est, *classem vincere* simpliciter, pro comparare maritimo praelio victoriam. Quare omnino, ni vehementer fallar, legendum mihi videtur, minima mutatione *Xersem*, et forsan bene: quia id Persicae linguae patitur genius, iudice harum elegantiarum peritissimo Relando Differt. 8. de vet. ling. Pers. Xerxem vero capiendum ita, vt passim solet ipse *rex*, vel *dux* poni pro eius exercitu. Nam ipse non adfuit; sed Mardonius cum Persarum in Graecia reliquiis. Facile autem *Xersem* potuit abire in *classem*: modo in veteri aliquo codice, vnde recentior exscriptus est, in litura cubuerit prima eius vocis syllaba. Vel denique, si haec coniectura non placet, considera tum, lector, in Mediceo antiquiore, et edd. Rom. Bonon. Paris. Wechel. vitiose legi, *eodem die, qua classem*, sed in tribus posterioribus Edd. *classe*. *Qua* inuenerat etiam scriptor alterius Medicei; sed ille dedit hinc, *eadem die, qua classem*. Et vide, num ex *qua classem* faciendum, *quo ad Plataeam*. Illic enim, siue, vt alii malunt, Plataeis res est gesta. In singulari Homerus quoque Πλαταιὰν dixit in catalogo v. 10. Vide Stephan. de Vrbibus. Oudendorp. Cum, hoc nostro inprimis saeculo, valeat illud tritum Graecorum dictum: ἑᾷον μωμῆσθαι ἢ μιμῆσθαι: lubens volensque τὸ ἐπέχειν amplector; cum sine accuratioris codicis ope vix quidquam tentandum videatur.

8 *Arma*] Casaubonus olim pro *arma* supposuit *aram*; et pro *circa ea*, *circa eam* legendum coniecit; adductus verbis Polyaeni L. I. c. 41. βωμὸν ἱδρυσάμενος. Verum cum statim sequatur, καὶ κοσμήσας ὅπλοις λαμπροτάτοις, recte omnino, consentientibus omnibus MSS, veterem scriptutam, quam ex

ea duci equos noctu clam imperauit: quorum vestigia mane, tamquam Castor et Pollux perequitassent, ostendens, adfuturos eosdem ipsis proeliantibus persuasit.

X. Pericles, dux Atheniensium, initurus proelium, quum animaduertisset lucum, ex quo vtraque acies conspici poterat, densissimae opacitatis, vastum alioquin et Diti patri sacrum, ingentis illic staturae hominem, altissimis cothurnis, et veste purpurea, ac coma venerabilem, in curru candidorum equorum sublimem constituit, qui, dato signo pugnae, proueheretur; et voce Periclen nomine adpellans, cohortaretur eum, diceretque, Deos Atheniensibus adesse: [9] quo pene ante coniectum teli hostes [10] terga verterunt.

XI. L. Sulla, quo paratiorem militem ad pugnandum haberet, praedici sibi a Diis futura simulauit. Postremo etiam in conspectu exercitus, priusquam in aciem descenderet, signum modicae amplitudinis, quod

ex sua editione eiecit Scriuerius, reuocauit Oudendorpius, arbitratus, forte scripsisse Frontinum, *aram et arma*: cur enim posteriora illa Polyaeni verba, iudice Casaubono, ad Frontinum non pertineant, videre non possum; cum *arma* certius, quam *ara* Deorum praesentiam indicare; et *ara* ob similem fere vtriusque vocis sonum, in tanta praesertim librariorum oscitantia, potuerit excidere. Caeterum superstitiosa antiquitas, Castorem et Pollucem praeliis credidit interesse spectatores pariter atque auxiliatores; quibus inde Postumius Dictator, in atrocissimo cum Latinis praelio, cum duo in candidis equis apparuissent, pactus victoriam, quasi commilitonibus Diis templa promisit et reddidit, vt auctor est Florus L. I. c. 11. §. 4. Nihil autem ad virtutem excitandam, animosque militum confirmandos dici cogitariue potest efficacius, quam si exercitui persuaserit Dux, se ob iustas belli caussas habere Deos συναγωνιστὰς εὐμενεῖς, vt habet Onosander c. IV. Adde, inter alios, Xenophontem L. I. K. Π. p. 55. et L. III. K. A. p. 148. Leon. c. II. §. 48.

9 *Quo pene*] Aliquid latere videtur, *perterriti* scilicet, aut *perculsi*, vel tale quid. *pene* certe non satisfacit. Oudendorp.

10 *Terga verterunt*] Quantam, in bello iniuste suscepto, vim in animis militum habeat religio, ex bello Philippi aduersus Phocenses inprimis patet. Cum enim Philippus omnes milites coronas laureas sumere iussisset, vt, quasi Deo (Apolline) duce, in praelium pergerent, Phocenses, insignibus Dei conspectis, conscientia delictorum territi, abiectis armis, fugam capessiuerunt. Iustinus L. VIII. c. 2.

quod Delphis ſuſtulerat, orabat, petebatque, promiſſam victoriam maturaret.

XII. C. Marius ſagam quamdam [11] ex Syria habuit, a qua ſe dimicationum euentus praediſcere ſimulabat.

XIII. Q. Sertorius, quum barbaro et rationis indocili milite vteretur, ceruam candidam inſignis formae per Luſitaniam ducebat, et ab ea, quae agenda aut vitanda eſſent, praenoſcere ſe adſeuerabat, vt barbari ad omnia, tamquam diuinitus imperata, obedirent.

[12] Hoc genere Strategematôn non ea tantum parte vtendum eſt, qua inperitos exiſtimabimus eſſe, apud quos his vtemur, ſed multo magis ea, quae talia erunt, excogitabuntur, vt a Diis monſtrata credantur.

XIV. Alexander Macedo ſacrificaturus inſcripſit medicamento aruſpicis manum, quam ille extis erat ſubpoſiturus. Litterae ſignificabant, victoriam Alexandro dari: quas quum iecur calidum rapuiſſet, et a rege militi eſſet oſtenſum, auxit animum, [13] tamquam Deo ſpondente victoriam.

XV. Idem

11 *Ex Syria*] In vulgatis, ipſaque etiam Scriueriana editione legebatur *ex Scythia*, pro quo, trium codicum auctoritate, iam Waſſe repoſuit *ex Syria*, quam ſcripturam ex multis aliis antiquis libris Oudendorpius comprobat; teſtemque affert Plutarchum in vita Marii p. 414. Σύραν γυναῖκα, Μάρθαν ὄνομα: cuius mulieris nomen etiam a Frontino memoratum fuiſſe, ex lectionis varietate coniicit.

12 *Hoc genere ſtrategem.*] Hunc locum ita refingit Oudendorpius. *Hoc genere ſtrategematôn tantum ea parte vtendum eſt;* etc. *Sed multo magis ea vtilia erunt, quae excogitabuntur, vt a Diis monſtrata credantur.*

13 *Tamquam Deo ſpondente victoriam*] Fraudibus eiusmodi, ſuis militibus glaucoma obiicere ſaepius ſtuduerunt veteres exercituum duces: qua de re ſacrificulos ſemper ac vates ſecum duxerunt, quorum erat, pecudum exta conſulere atque interpretari. Hinc veteres quoque Strategici hoſtiarum ante pugnam inſpectionem ſummopere commendarunt, ac ſi laeta portendiſſent, copiarum ducibus militibusque ab imperatore oſtendi iuſſerunt; ἵνα θεασάμενοι τοὺς ὑποταττομένους θαῤῥεῖν λέγοιεν, ἀπαγγέλλοντες, ὡς οἱ θεοὶ κελεύουσι μάχεσθαι etc. vt habet Onoſander c. X. §. 10. cum quo conſpirant Leo c. XIV. §. 116. quanquam non ſuperſtitioſa illa extorum interpretatione; ſed praemiis et oratione excitari milites iubens, admonerique, Dei numen praeſidiumque adeſſe, et Xenophon Cyrop. p. 186. 374. 391.

XV. Idem fecit Sudines aruſpex, proelium Eumene cum Gallis commiſſuro.

XVI. Epaminondas Thebanus, aduerſus Lacedaemonios fiduciam ſuorum religione adiuuandam ratus, arma, quae ornamentis [14] adfixa in templis erant, nocte ſubtraxit, perſuaſitque militibus, Deos iter ſuum ſequi, vt proeliantibus ipſis [15] adeſſent.

XVII. Ageſilaus Lacedaemonius, quum quosdam Perſarum cepiſſet, quorum habitus multum terroris praefert, quoties veſte tegitur, nudatos militibus ſuis, vt alba [16] corpora et vmbratica contemnerent, oſtendit.

XVIII. Gelo, Syracuſanorum tyrannus, bello aduerſus Poenos ſuſcepto, quum multos cepiſſet, infirmiſſimum quemque praecipue ex auxiliaribus, qui nigerrimi erant, nudatum [17] in conſpectu ſuorum produxit, vt perſuaderet contemnendos.

XIX. Cy-

14 *Adfixa in templis*] Horatius L. III. Od. 5. v. 18.

Signa ego Punicis
Affixa delubris, et arma
Militibus ſine caede, dixit,
Derepta vidi.

et qui hunc ob oculos habuiſſe videtur Lucanus L. I. v. 239.

Stratiſque excita iuuentus
Deripuit ſacris adfixa penatibus arma.

15 *Adeſſent*] Vnus Cantabrigienſis, *intereſſent*. Ita quidem Caſtor et Pollux *interfuiſſe ſpectaculo* dicuntur apud Florum L. I. c. 11. §. 4. Praeferenda autem vulgata: non enim *intereſſe* tantum ipſis *Deos*; ſed *adeſſe*, i. e. opem ferre, videri volebat Epaminondas.

16 *Corpora vmbratica*] Mollia intelligit atque effeminata corpora, qualia *vmbraticis* hominibus, vmbrae potius, quam ſolis aeſtusque patientibus, tribui poſſunt; vnde *vmbratilis miles* apud Ammianum Marcellinum L. XVIII. Sic Cicero Tuſcul. diſp. L. II. c. 10. *vitam vmbratilem* et *delicatam* coniungit. *Vmbratica negotia* apud Gellium L. III. c. 1. *Vmbraticae litterae* apud Plinium L. IX. 2. §. 3. occurrunt.

17 *In conſpectu*] Codices tres *in conſpectum* exhibent, quod perinde eſt. Perpetuam eſſe in hiſce variationem in antiquis libris, doctiſſimi viri dudum adnotarunt; inte[illegible]eos Oudendorpius ad c. X. 9. [illegible] Burmannus ad Phaedri L. V. I. 15.

Quinam cinaedus ille in conſpectu meo
Audet venire?

vbi doctiſſimus vir notat, multisque exemplis probat, haſce locutiones potius ad vſum loquendi veterum, quam ad Grammaticorum canones eſſe exigendas. Antiquam eſſe hanc locutionis formam, ex illis Catonis probari poteſt apud Gellium L. X.

 c. 24.

XIX. Cyrus, rex Persarum, vt concitaret animos popularium, tota die in excidenda quadam silua eos fatigauit; deinde postridie praestitit eis liberalissimas epulas, et interrogauit, vtro magis gauderent. Quumque ei praesentia probassent: Atqui per haec, inquit, ad illa perueniendum est: Nam liberi beatique esse, nisi Medos viceritis, non potestis. Atque ita eos ad cupiditatem proelii concitauit.

XX. L. Sulla, quia aduersus Archelaum, praefectum Mithridatis, apud [18] Piraea pigrioribus ad proelium militibus vtebatur, opere eos fatigando compulit ad poscendum vltro pugnae signum.

XXI. Fabius Maximus veritus, ne qua fiducia nauium, ad quas refugium erat, minus constanter pugnaret exercitus, incendi eas, priusquam iniret proelium, iussit.

CAP.

c. 24. *Mitte mecum Romam equitatum, die quinti in Capitolium tibi coena cocta erit.* Sic noster L. IV. c. 7. §. 6. *Adductis in conspectum duobus equis*: pro quo apud Caesarem de B. Gall. L. VIII. c. 8. *in conspectu hostium celerius opinione eorum exercitu adducit.*

18 *Piraea.*] Ita plane pro vulgata *Pirea* legendum Graecorum more, qui habent Πειραιᾶ, quod cum apud Stephanum in v. Πειραιὸς; tum in Polybii Excerpt. Legat. p. 1092, εἰς τὸν Πειραιᾶ, occurrit. Porro notum est, in antiquis quibusdam codicibus diphthongum *ae* per simplex *e* efferri; exindeque in hac quoque voce *Pirea* pro *Piraea*, idem obtinuisse, non sine ratione existimari potest. Dicitur etiam hic portus Πειραιεὺς et Πειραιὸς; vnde ex illo eruditissimus Oudendorpius *Piraeea* scribendum censet; cui nos quidem nolumus pertinaciter refragari. Notum autem est ex veterum annalium monumentis, Sullam cum Archelao, Mithridatis praefecto, circa Athenas rem habuisse; cumque in *Piraeei* portus oppugnatione aliquamdiu haesisset, tandem multiplicibus eiusdem munitionibus subrutis, et hunc, ipsasque Athenas expugnasse, vt tradunt inter alios Appianus Alexandrinus p. 330. Florus L. III. c. 5. Plutarchus in Sulla.

CAP. XII.

De dissoluendo metu, quem milites ex aduersis conceperint ominibus.

Exemplum I.

Scipio, ex Italia in Africam transportato exercitu, quum egrediens nauem prolapsus esset, et ob hoc adtonitos milites cerneret, id, quod trepidationem adferebat, constantia et magnitudine animi, in hortationem conuertit, [1] et, Ludite, inquit, milites: Africam obpressi.

II. C. Caesar, quum forte conscendens nauem lapsus esset, Teneo te, terra mater, inquit: qua in-

1 *Et ludite*] Restituebat ingeniosissimus et amicissimus mihi lanus Guilielmius, *et pludite. Pludo* pro *plaudo: cludo* pro *claudo*; similia sexcenta obuiam in libris antiquioribus passim. Hinc illud *ludite* ab indoctis librorum descriptoribus suppositum esse, liquido apparet. Plautus Casina sc. vlt. *Verum, qui non manibus, quantum poterit, pluserit.* Stewech. Forte, *videte, inquit, milites; Africam oppressi.* Scriuer. *Pludite* placuit quoque Grutero, *plaudite* Isaac. Vossio et Lipsio. Rubenius in Elect. L. II. c. 29. *Ludens, inquit.* Verum cum MSS. quoque mei exhibeant cum edit. Paris. *Et audite*; praeter Leid. tertium, in quo est *attendite*, omnino putem scribendum esse *At audete*. *Audete* libri sui margini adscripserat Scriuerius. Et hoc vnice, opinor, efflagitat loci sensus. Milites attoniti et consternati erant Scipionis lapsu, quare ille eos corrigens, et simul adhortans ait, *At audete.* Quid trepidatis milites, et metu perculsi estis? placet omen. Vos audete modo et viri este. Africam iam nunc oppressi. Passim ita; *audete viri*, *audendum est*, et similia occurrunt. Curtius L. IV. c. 14. 13. *Cetera in vestra potestate sunt; audete modo vincere.* Liuius L. XXXV. 33. *Agenda res est, audendaque* etc. et saepe ille *audendo atque agendo*. Elegans locus est Ouidii Fast. IV. 781:

Exitus in dubio est: audebimus vltima, dixit:
Viderit audentes, Forsne Deusne iuuet.
Cepimus audendo Gabios quoque.

Ceterum confundit Caesaris dicta auctor; et Scipioni tribuit, quod Suetonius de Caesare refert c. 59. *Prolapsus etiam in egressu nauis, verso in melius omine, Teneo te, inquit, Africa:* cum noster dicat, id a Caesare prolatum in conscensione nauis: at hoc, ni fallor, alii Alexandro adscribunt. De oppressione Africae videtur inde in mentem venisse auctori nostro; quod Caesari per somnium visa fuerit mater sibi subiecta, quam terram esse interpretati sunt hariolì, ibid. c. 7. Oudendorpius.

interpretatione effecit, vt repetiturus illas, a quibus proficiſcebatur, terras videretur.

III. [2] T. Sempronius Gracchus Cos. acie aduerſus Picentes directa, quum ſubitus terrae motus vtrasque partes confudiſſet, exhortatione confirmauit ſuos, et inpulit, vt conſternatum ſuperſtitione inuaderent hoſtem, adortusque deuicit.

IV. Sertorius, quum equitum ſcuta extrinſecus, equorumque pectora cruenta ſubito prodigio adparuiſſent, victoriam portendi interpretatus eſt, quoniam illae partes ſolerent hoſtili cruore reſpergi.

V. Epaminondas Thebanus, contriſtatis militibus, quod ex haſta eius ornamentum, infulae more dependens, ventus ablatum in ſepulcrum Lacedaemonii cuiuſdam depulerat: Nolite, inquit, milites trepidare; Lacedaemoniis ſignificatur interitus. Sepulcra enim [3] funeribus ornantur.

VI. Idem, quum fax de coelo nocte delapſa, eos, qui aduerterunt, terruiſſet: Lumen, inquit, hoc Numina oſtendunt.

VII. Idem, inſtante aduerſus Lacedaemonios pugna, quum ſedile, in quo reſederat, ſuccubuiſſet, et

2 *T. Sempronius Gr.*] Scriuerius pro eo reponit *P. Sempronius Sophus Coſ.* quod etiam antea cenſuit Pighius, cuius verba ex Annal. T. I. p. 456. ſua fecit in ſecunda editione Scriuerius, et inſuper margini ſui codicis adſcripſit videndum eſſe Eutropium ad A. V. C. CDXXCV. et Cuſpinianum p. 145. 187. Oudend.

3 *Funeribus ornantur*] Quia nimirum ſepulcra erant Lacedaemoniorum, eorumdem quoque interitum, haſtae ornamento illuc a vento delato, portendi, ſuis militibus perſuadere voluit Epaminondas. Sepulcris enim veterum columnae erant impoſitae, vel ſtatuae mortuum referentes, taeniis, coronis, aliisque rebus, quae in vita carae fuerant, ornatae; vt Homerus teſtatur Iliad. L. XVII. v. 434; et Virgilius, qui Homerum in Sepultura Elpenoris Odyſſ. XII, 14. imitatur Aeneid. VI, 232. Adde Aelianum V. H. L. XII. c. 7. Ὅτι Ἀλέξανδρος τὸν Ἀχιλλέως τάφον ἐστεφάνωσε, vbi Schefferus plura de hoc funebri ritu commentatur. Quid? quod etiam veteres in ſuis teſtamentis de annuis reditibus cauerunt, vt manibus ipſorum corollis parentaretur: de quo more Ouzel. ad Minuc. p. 109. et Gruter. Inſcr. p. 752. quos ad Iuuenal. Sat. VII. 208. laudat Henninius.

et id vulgo pro trifti fignificatione [4] confufi milites interpretarentur: Immo, inquit, vetamur federe.

VIII. [5] C. Sulpicius Gallus defectum lunae inminentem, ne pro oftento exciperent milites, praedixit futurum, additis rationibus caufi que defectionis.

IX. Agathocles Syracufanus, aduerfus Poenos, fimili eiufdem fideris [6] deminutione, qua fub diem

 pugnae,

4 *Confufi*] *Confundere* proprie idem eft, quod *mifcere*, vt apud Ciceronem Academ. L. II. c. 19. *Tunc eam Philofophiam fequere, quae confundit vera cum falfis?* Quare Plinius L. V. 8. §. 11. *confundere* et *mifcere* coniungit: *His ex cauffis non adducor, vt duo diffimilia, et hoc ipfo diuerfa, quod maxima, confundam mifceamque.* Deinde vero fignificat quoque *perturbare*. Tacitus Hiftor. L. I. c. 44. *Quamuis immitem animum imagine trifti confuderat:* vnde *confufio* pro *perturbatione* apud Plinium in Paneg. c. LXXXVI. *Quam ego audio confufionem tuam fuiffe, cum digredientem profequereris!* Sic Graeci quoque τὸ συγχέειν vfurpant; Epictetus c. XXVIII. ἵνα, ἐὰν λοιδορήσηταί σοι, ταραχθῇ ἐκείνη, καὶ συγχυθῇ. Actor. c. XXI. 27. συνέχεον πάντα τὸν ὄχλον.

5 *C. Sulpicius Gallus*] Huc egregie facit Liuius L. XLIV. c. 37. *Caftris praemunitis C. Sulpicius Gallus, tribunus militum fecundae legionis, qui Praetor fuperiore anno fuerat, confulis permiffu ad concionem militibus vocatis, praenunciauit: nocte proxima, ne quis id pro portento acciperet, ab hora fecunda vfque ad quartam horam noctis, lunam defecturam effe. Id, quia naturali ordine ftatis temporibus fiat, et fciri ante et praedici poffe.* Valerius Maximus hunc Gallum, *L. Paulli bellum aduerfus regem Perfeu gerentis legatum* fuiffe fcribit L. VIII. c. 11. nifi quod hic, contra aliorum fcriptorum fententiam, poft lunae eclipfin, rationem milites docuiffe tradit. Cum nulla res ad mouendos in vtramque partem multitudinis animos fit efficacior fuperftitione: factum eft, vt Solis Lunaeque defectionibus, vt aliis, ita exercitibus quoque portentorum religione, maximus faepe metus incuteretur; id quod exempla exercitus *Alexandri Macedonis* apud Curtium L. IV. c. 10. *Agathoclis* apud Iuftinum L. XXII. c. 6. aliaque declarant. Cladem, quam paffus eft Nicias Athenienfium Dux ad Syracufas, cum, luna deficiente, praua fuperftitione tactus, profectionem differret, memoriae prodit Polybius L. IX. c. 18. Quemadmodum vero, tefte Plinio Hiftor. Nat. L. II. c. 12. apud Graecos inueftigauit primus omnium *Thales* rerum naturam; Solisque et Lunae defectiones praedixit: ita apud Romanos hic *C. Sulpicius Gallus*, folers orbium caeleftium contemplator, primus Lunae defectionis cauffas, edito volumine, demonftrauit, tefte Plinio Hift. Nat. L. II. c. 12.

6 *Deminutione*] Solis tunc, non Lunae defectum fuiffe produnt Iuftinus l. c. et Diodorus Siculus L. XX. p. 744. *Deminutione*, non *diminutione* fcribendum effe, optimorum codicum confenfus docet,

de

pugnae, vt prodigio, milites sui consternati erant, ratione, qua id acciderit, exposita, docuit, quidquid illud foret, ad rerum naturam, non ad ipsorum propositum pertinere.

X. Pericles, quum in castra eius fulmen decidisset, terruissetque milites, aduocata concione, lapidibus in conspectu omnium collisis ignem excussit, sedauitque [7] conturbationem, quum docuisset, similiter nubium adtritu excuti fulmen.

XI. Timotheus Atheniensis, aduersus Corcyraeos nauali proelio decertaturus, gubernatori suo, qui proficiscenti iam classi signum receptui coeperat dare, quia ex remigibus quemdam sternutantem audierat, Miraris, inquit, ex tot millibus vnum [8] perfrixisse?

XII. Chabrias Atheniensis classe dimicaturus, excusso ante nauem ipsius fulmine, exterritis per tale prodigium militibus: Nunc, inquit, potissimum ineunda pugna est, quum Deorum maximus Iupiter adesse numen suum classi nostrae ostendit.

de quo videsis Casaubonum ad Suetonii Caes. c. V. et Burmann. ad Ouidii Trist. L. I. Eleg. V. 44. Sunt quidem Codices, qui *diminuere* et *diminutio* praeferunt; sed qui parum probant, cum *di* et *de* saepe a librariis confundantur. V. not. ad L. I. c. V. §. 26. Quod ad rem attinet, superstitiose nimis Onosander, si extra periculum minarentur, praecipit: *μένειν ἐπὶ τῶν αὐτῶν, κᾂν σφόδρα τι ἐπείγῃ, πᾶν ὑπομένειν τὸ δύσχρηστον.* Longe autem prudentius suadet Polybius L. IX. c. 18. qui harum rerum peritos consulere; et hostium ignorantiam in suum commodum vertere iubet.

7 *Conturbationem*] Ita plerique vett. Codd. pro vulgata *turbationem*. *Conturbatio* autem Ciceroni est, *metus excutiens cogitata*, Tusc. Quaest. L. IV. c. 8.

8 *Perfrixisse*] Vera omnino est scriptura *perfrixisse*; pro quo ex glossemate Leid. sec. est *sternutasse*: nam Polyaenus, qui eamdem historiam refert, L. III. c. 10, §. 2. *ποῖον γὰρ, ἔφη, γέγονεν οἰώνισμα, εἰ τοσούτων περιεστηκότων εἷς ἔπταρεν*; Vti vero *πταίρειν* est *sternutare*: ita a caussa sternutationis, quam Hippocrates adfert Aphor. c. VII. §. 51. *ἀπὸ διυγραινομένου τοῦ ἐν τῇ κεφαλῇ κενοῦ*, Frontinus reddit *perfrixisse*. Ceterum *sternutamenta* in suscipiendo negotio mali ominis fuisse; item de variis eorumdem generibus erudite commentatur Casaubonus ad allatum Polyaeni locum, qui hic conferri potest.

SEXTI

SEXTI IVLII FRONTINI STRATEGEMATICON LIBER SECVNDVS.

PRAEFATIO.

Dispositis primo libro exemplis, instructuris (vt mea [1] fert opinio) ducem in his, quae [2] ante commissum proelium agenda sunt, deinceps reddemus pertinentia ad ea, quae in ipso proelio agi solent, et deinde ea, quae post proelium. Eorum, quae ad proelium pertinent, species sunt:

1 *Fert opinio*] In vulgatis legitur *fuit opinio*. In quibusdam vero antiquis codicibus, *vt mea fert opinio* reperitur; quam scripturam merito verissimam vocat Oudendorpius, atque pro illa altera reposuit. Cum vero huius locutionis vbique fere exempla occurrant, vnum saltem alterumue adferre placet. Caesar de B. G. L. V. c. 13. *Vt mea fert opinio.* Cicero ad Fam. L. I. ep. 9. *His ego consiliis si te praesentem habuissem, vt opinio mea fert, essem vsus eisdem.* Cicero saepius hic illic hac locutione vtitur. Sic etiam *fert animus* frequens est apud Poetas. Ouidius Metamorph. Libr. I. v. 1.

In noua fert animus mutatas dicere formas
Corpora.

Lucanus L. I. v. 67.

Fert animus caussas tantarum expromere rerum.

2 *Ante commissum*] Hic *iussum* MSS. mei tres exhibent. Sed Palatinus et Leidensis pr. cum Hittorpii et Wechelii ora *iustum*, quod vnice verum esse puto. *Iustum praelium* est plenum, directa acie, totoque exercitu commissum, ad differentiam minorum congressionum et velitationum. Iam autem auctor agit de rebus, quae praecedunt, et sequuntur tale iustum praelium, in quo summa belli, et rerum discrimen vertitur. Sic *iustus exercitus, triumphus, iusta victoria, iusti milites*, et similia quam plurima. Liuius L. X. c. 27. *ad iustum certamen irritati animi.* Florus L. II. c. 7. *ac ne hoc quidem iusto praelio opprimitur.* Curtius L. III. 13. 8. *qui intentiore cura suos, quasi ad iustum praelium paucis adhortatus.* Infra L. II. 7. 8. *necessario ad iustum praelium conuersi.* Oudendorpius.

IN-

INDEX CAPITVM.

CAP.

CAP. I.

De tempore ad pugnam eligendo.

Exemplum I.

P. Scipio in Hispania, quum comperisset, Hasdrubalem, Poenorum ducem, [1] ieiuno exercitu mane processisse in aciem; continuit in horam septimam suos, quibus praeceperat, vt quiescerent, et cibum caperent; quumque hostes inedia, siti, mora sub armis fatigati, repetere castra coepissent, subito copias eduxit, et, commisso proelio, vicit.

II. Metellus Pius in Hispania aduersus Hirtuleium, quum ille, [2] oriente protinus die, instructam aciem vallo eius admouisset, feruidissimo tunc tempore anni, intra castra suos continuit in horam diei sextam, atque ita fatigatos aestu, facile integris et recentibus suorum vicit viribus.

 III. Idem

1 *Ieiuno exercitu*] Inter praecipuas disciplinae Tacticae regulas iam olim obtinuit, ne milites ieiuni in aciem educantur: quippe inedia, siti, ac interdum sub armis fatigati, quod hic certe Hasdrubalis copiis accidit, viribus destituti ab hoste facile vincantur. Qua de re Onosander c. XII. prouidum ducem in id potissimum animum intentum habere iubet, vt nullo vmquam tempore suis ieiunis hostes superueniant: καὶ τὸ σύνολον οὐκ ἐν σμικρῷ θετέον, οὐδὲ παρορατέον τὴν τῶν τοιούτων πρόνοιαν. ἐμφαγόντες γὰρ μετρίως στρατιῶται — δυναμικώτεροι πρὸς τὰς μάχας εἰσί. Cum quo etiam reliqui Tactici consentiunt; inter quos Leo κατὰ πόδα fere Onosandrum sequitur, c. XIII. §. 7. Vegetius L. III. c. 11. *Veteribus saeculis mos fuit, parco cibo curatos milites ad certamen educere, vt audaciores sumtus escae redderet.* Hac arte callidissimus imperator Hannibal ad Trebiam, cum suos prius cibum capere iussisset, Romanos aggressus est ἀναρίστους καὶ πρὸς τὸ μέλλον ἀπαρασκεύους, ac magna clade cecidit, vt memoriae prodidit Polybius L. III. c. 71. sqq.

2 *Oriente protinus die*] Tres Cantabrigienses, Vaticanus, ambo Leidenses, vterque Mediceus, cum editionibus Romana et Bononiensi dant *inoriente.* Quod compositum temere damnare et Latio eiicere non ausim. Tacitus L. XI. Annal. 23. *Quid si memoria eorum inoriretur.* Oudendorpius. Variam huius loci scripturam notat cl. Ernesti, vir numquam satis, pro eximiis in omnem rem litterariam meritis, laudandus; putatque hanc vocem *inoriretur* ferri posse.

III. Idem, iunctis cum Pompeio castris aduersus Sertorium in Hispania, quum saepe instruxisset aciem, hoste, qui inparem se duobus credebat, pugnam detractante, quodam deinde tempore, [3] quum Sertorianos milites animaduertisset magno impetu instinctos, deposcentes pugnam, [4] humerosque exserentes, et lanceas vibrantes, existimauit, ardori cedendum in tempore, recepitque exercitum, et Pompeio idem faciendi auctor fuit.

IV. Postumius Cos. in Sicilia, quum castra eius a Punicis trium millium passuum spatio distarent, et [5] di-

3 *Cum Sertorianos*] In duob. Reg. trib. Hill. vtroque Leidensi, Vatican. aliisque non comparet *cum*. Praeterea, pro *deinde*, in Cantabr. et Medic. pr. est *demum*. Ad hoc in nonnullis MSS. et editionibus primis praeponitur verbum *animaduertisset τοῖς Sertorianos mil.* In Mediceo sec. *a. Sertorianos et milites hos m.* Verum vox *milites* abest ab edd. Rom. et Bonon. Recte omnino: quare totum locum sic lege, *cum saepe instruxisset aciem* etc. *quodam demum* vel *dein tempore animaduertisset, Sertorianos magno impetu instinctos*, etc. Oudendorpius.

4 *Humeros exserentes*] Plerique Codd. MSS. corrupte exhibent *exercentes*. Dudum autem viri eruditi obseruarunt, *exserere et exercere* a librariis fuisse turbata; vnde iidem *exercitatissime* pro *exertissime* apud Spartianum in vit. Seueri c. III. propinarunt, quod merito damnauit Casaubonus, atque *exertissime* reuocauit. Veram autem scripturam apud nostrum Frontinum seruant vnus Hill. Cod. Petr. coll. Voss. et edd. Rom. et Bonon. quorum auctoritatem omnino sequi oportet. *Exserere* autem *manus* vel *humeros*, significat *proferre manus* vel *humeros* extra sagum, atque *ostendere* animum ad pugnam paratum: vnde locutionem *digitum exserere*, quae occurrit apud Persium Sat. V, 119. Graeci reddiderunt per ἐκτείνειν. Arrianus L. II. c. 11. δίχα αὐτοῦ μηδὲ τὸν δάκτυλον ἐκτείνοντες. Ipsa autem locutio *exserere manus, humeros*, frequens est apud optimos scriptores, cuius satis multa exempla elegantissimus adfert Broukhusius ad Propertii L. I. el. XX. 44.

Nixus, et exserto plena trahens humero.

Lucanus L. II. 543.

— — sociusque furoris
Lentulus, exsertique manus vesana Cethegi.

Quales fuerint *exserti*, quos Horatius *cinctutos* vocat de Art. Poet. v. 50. vet. Schol. ex MS. Mediolanensi, quem Gesnerus ad l. c. laudat, explicat: *Exsertus est, qui manum et humerum habet nudatum: ideo cinctuti, quod loco tunicae cinctum, h. e. campestre vel subligaculum gestaret.* Qui plura cupit, scriptores ab Oudendorpio laudatos adeat, Meursium Exerc. critic. part. II. cap. vlt. Modium ep. 49, Glandorp. in L. VII. Caes. de B. Gall. c. 49. Barthium ad Stat. Theb. L. I. 413.

[5] dictatores Carthaginiensium quotidie ante ipsa munimenta Romanorum dirigerent aciem, exigua manu leuibus adsidue proeliis pro vallo resistebat: quam consuetudinem contemnente iam Poeno, reliquis omnibus per quietem intra vallum praeparatis, ex more pristino, cum paucis [6] sustentauit incursum aduersariorum,

5 *Dictatores Carthaginiensium*] Stewechius et Palmerius contra omnium MSS. fidem auctoritatemque loco suo mouent *dictatores*, ac pro iis reponunt *ducatores*. At enim vero temere eos id fecisse, Tennulius et Oudendorpius argumentis satis euidentibus comprobarunt. Quamquam enim voces Δοῦκας, Δουκάτωρ apud sequioris aeui Tacticos, *Leonem*, *Constantinum*, *Mauricium*, aliosque scriptores occurrunt; vnde in glossariis a Labbeo collectis *ducatores*, ἀγοὶ, ἡγεμόνες: easdem tamen Frontini aetate iam obtinuisse, probari haud potest; nec ante Tertullianum, qui saeculi tertii initio obiit, nimirum a. 215, vllum earum vestigium reperitur. Satis autem ex antiquorum scriptorum monumentis constat, summum Carthaginiensium magistratum, cui summa imperii in bello credita, Romano more, *Dictatorem* fuisse appellatum, quemadmodum reliquos fere magistratus eosdem cum Romanis habuerunt. Sic Coelius ex Origine M. Catonis apud Gellium L. X. c. 24. *Igitur Dictatorem Carthaginiensium magister equitum monuit: Mitte mecum Romam equitatum, die quinti in Capitolium tibi coena cocta erit.* Iustinus L. XIX. c. 1. *cuius mortem cum luctus ciuitatis, tum et dictaturae vndecim, et triumphi quatuor insignem fecere.* Liuius L. XXIII. c. 13. *Dictatorque cum Magone in Hispaniam praemissus est.* A *Dictatore* autem diuersi fuerunt *Suffetes*, quod velut consulare imperium apud eos erat, teste Liuio L. XXX. c. 7. Vt enim Romae consules; sic Carthagine quotannis annui bini reges creabantur, auctore Nepote in vit. Hannib. c. VII. §. 4. quos forte Nepos *reges* dixit, in errorem inductus Graecorum voce, qui *Consules* quoque βασιλεῖς vocarunt. Quia nusquam dictatores plures vno occurrunt; *abusiue* Frontinum *dictatores* sumsisse putat Oudendorpius, pro quibusuis primi ordinis apud Carthaginienses ducibus; vel in historia errauisse; vel scripsisse *ductores*, vt apud Liuium L. XXII. in fine: quamquam illic quoque malit legere *dictator*.

6 *Sustentauit incursum*] 4 Reg. 3 Hill. Vossianus et Romanus *sustentauit incursum*, pro vulgata *sustinuit incursum*. Et sic lege. Tacitus 2 Annalium c. 11. *Carioualda, diu sustentata hostium saeuitia, hortatus suos, vt ingruentes cateruos globo frangerent.* Tennul. *Sustentauit* etiam est in Vaticano, Gudiano, Leidensi primo ac Cantabrigiensi ac Hittorp. marg. In Petrensi *sustentatum*. Leid. sec. *suscitauit*. Vtrumque rectum est, adeoque amplectendum, quod meliores praebent codices, vt hic, *Sustentauit*. *Sustentare aciem* apud Hirtium B. Afric. c. 82. Tacit. Annal. L. I. c. 65. Histor. L. II. c. 15. *Sustentare hostem*, Annal. L. XV. c. 10. Propius accedit Sallustius B. Iug. c. 97. *tecti atque instructi hostium vim sustentabant.* Vbi perperam contra Gruterum Cortius praefert *sustinebant* ex paucissimis MSS. et defendit hoc ipso Frontini corrupto loco. Hoc sensu Velleius, L. II. c.

104.

riorum, ac ſolito diutius detinuit: quibus fatigatis, poſt ſextam horam, et iam ſe recipientibus, quum et inedia quoque laborarent, per recentes ſuos hoſtem, quem praedicta [7] profligauerant incommoda, fugauit.

V. [8] Iphicrates Athenienſis, quia explorauerat, eodem adſidue tempore hoſtes cibum capere, maturius veſci ſuos iuſſit, et eduxit in aciem, adgreſſuſque hoſtem ita detinuit, vt ei neque confligendi, neque abeundi daret facultatem. Inclinato deinde iam die reduxit ſuos, et nihilominus in armis retinuit. Fatigati hoſtes non ſtatione magis, quam inedia, ſtatim ad corporis curam, et cibum capiendum feſtinauerunt: Iphicrates rurſus eduxit, et incompoſiti hoſtis adgreſſus eſt caſtra.

VI. Idem, quum aduerſus Lacedaemonios pluribus diebus caſtra cominus haberet, et vtraque pars certis temporibus adſidue pabulatum lignatumque procederet,

104. *Bellum quibusdam in locis geſtum, quibusdam ſuſtentatum feliciter.* Valer. Maximus L. X. 12. 10, Ext. *Humeris ſuis totius ruinae molem ſuſtentaturus.* Quin et doctiſſimus Kuningh. reſcripſit pro *ſuſtineas* in Horatio L. I. ep. 10. 54. *Praelia ſuſtineas campeſtria,* quod tamen contra MSS. non auſim, nec velim. Oudend.

7 *Profligauerant*] Varias habet ſignificationes τὸ *profligare* in veterum ſcriptis: modo eſt *rem affectam paene perficere et ad finem perducere*; vti apud Tacitum Hiſtor. L II. c. 4. *Profligauerat bellum Iudaicum Veſpaſianus: oppugnatione Hieroſolymorum reliqua, duro magis et arduo opere* etc. vnde patet *opera profligata* dici ea, quae *adfecta* et magnam partem; nondum vero penitus ſunt finita. Sic legitur in Ancyrano Auguſti lapide: CEPTA. PROFLIGATAQVE. OPERA. A. PATRE. MEO. PERFECI: modo *perdere adque exitium dare.* Sic Nepos in vit. Miltiad. c. V. §. 5. *vt decemplicem numerum hoſtium profligarent*; et in Datam. c. II. §. 1. *Hoſtes, cum caſtra iam intraſſent, profligati ſunt.* De vera vocis huius ſignificatione, at minus adcurate, differit Gellius Noct. Att. L. XV. c. 5. Haec incommoda paſſi ſunt Carthaginienſes, quod eorum copiae inedia laborarunt; Romanorum vero recentes fuerunt. Vnde intelligi poteſt, neglectum illud a duce, Tacticorum *de cibo ante pugnam capiendo* praeceptum, grauiſſimas calamitates ſaepe dediſſe. Qua de re Onoſander c. XII. πολλάκις γὰρ καὶ παρὰ τοῦτο ἡττήθη στρατόπεδα, τῆς ἰσχυος ἐλλιπούσης διὰ τὴν ἔνδειαν.

8 *Iphicrates*] Vtrumque hoc Iphicratis ſtrategema prodidit quoque Polyaenus L. III. §. 52. 53.

cederet, quodam die militum habitu seruos lixasque dimisit ad munera, milites retinuit; et cum hostes dispersi issent ad similia munera, expugnauit castra eorum, inermesque, cum fasciculis passim ad tumultum recurrentes, facile aut cecidit, aut cepit.

VII. Virginius Cos. in Volscis, quum procurrere hostes effusos ex longinquo vidisset, quiescere suos, ac defixa tenere pila iussit. Tunc [9] anhelantem integris viribus exercitus sui adgressus auertit.

VIII. Fabius Maximus, non ignarus, Gallos et Samnites primo inpetu praeualere, suorum autem infatigabiles spiritus inter moras decertandi etiam incalescere, imperauit militibus, contenti essent primo congressu [10] sustinere, vt hostem mora fatigarent: quod vbi successit, admoto etiam subsidio suis, in prima acie vniuersis viribus oppressum fudit hostem.

IX. [11] Philippus ad Chaeroniam, memor, sibi esse militem longo vsu duratum, Atheniensibus acrem qui-

9 *Anhelantem*] Recte adeo quaerit Vegetius L. III. c. 11. *Quid faciet, qui ad aciem anhelus aduentat? Hoc et veteres declinarunt, et superiore et nostra aetate cum Romani duces per imperitiam non cauissent, (ne quid amplius dicam) exercitus perdiderunt. Impar enim conditio est, lassum cum requieto, sudantem cum alacri, currentem cum eo, qui steterit, subire conflictum.* Accidit tamen interdum, vt, rebus ita suadentibus, etiam concitato cursu impetum in hostes facerent, quod Ouolander docet c. XXIX. *ἐπαγέτω δὲ τὸ ϛράτευμα καὶ σὺν ἀλαλαγμῷ,* (ita enim legendum pro vulgato *ἀλαγμῷ*) *ποτὲ δὲ καὶ σὺν δρόμῳ.* Primi Athenienses in pugna Marathonia cursim in hostes impressionem fecisse dicuntur ab Herodoto L. VI. c. 112. Plura olim nos ad Onosandri l. c. attulimus.

10 *Sustinere*] *Congressum* habet Vaticanus, et *sustinerent* Petrensis. Scio *sustinere* aliquoties absolute sine casu occurrere. Videtur tamen auctor hic dedisse: *imperauit militibus, contenti primo congressum sustinere, hostem mora fatigarent.* Quamquam vel sic possit legi sine casu verbi *congressu:* nam *hostem* non ad *τὸ sustinere;* sed ad *fatigarent* referri debet. Quod etiam malim, distinctione parua ante hostem posita. Consule Gronouium ad Liuium L. XXXIX. c. 31. et Obseruatt. Eccles. c. 16. Caesar B. Gall. L. II. c. 6. *Se diutius sustinere non posse.* et L. IV. c. 11. 32. Oudend.

11 *Philippus ad Chaeroniam*] Hanc historiam ad verbum paene refert Polyaenus L. IV. c. 2. §. 7. vbi locutio, *trahere praelium* reddita, per *ἐκτείνειν τὴν παράταξιν,* quae adeo non de *acie in longitudinem*

quidem, ſed inexercitatum, et inpetu tantum violen-tum, ex induſtria proelium traxit: moxque languentibus iam Athenienſibus, concitatius intulit ſigna, et ipſos cecidit.

X. Lacedaemonii certiores ab exploratoribus facti, Meſſenios in eam exarſiſſe rabiem, vt in proelium cum coniugibus ac liberis deſcenderent, [12] pugnam diſtulerunt.

XI. C. Caeſar bello ciuili, quum exercitum Afranii et Petreii circumuallatum ſiti angeret, isque ob hoc exaſperatus, [13] interfectis omnibus inpedimentis, ad pugnam

dinem extenta, *ἐκτάσει εἰς μῆκος*, qua alias ad circumueniendum hoſtes, *εἰς ὑπερκέρασιν*, vel etiam *εἰς ὑπερφαλάγγισιν*, vſi ſunt; ſed *de tempore* potius, quo ſub armis ſtererunt Athenienſes, eſt intelligenda. v. not. ad Onoſandri c. XXI. n. 3. Pro hac locutione idem Polyaenus L. III. c. 9. §. 13. *τρίβων τὸν χρόνον ἐν τῇ συστάσει.* Quod ad rem, Philippus hic ſecutus eſt Iphicratem, nobiliſſimum diſciplina militari imperatorem, qui, ſi contra tirones et inexercitatos aciem inſtrueret, cum ipſe haberet milites exercitatos, praelium trahere ſolebat, vt loco paullo ante dicto Polyaenus tradit.

12 *Pugnam diſtulerunt*] Sapienter Tacticaeque regulis conuenienter pugnam diſtuliſſe dicuntur Lacedaemonii. Onoſander c. XXXVIII. *χαλεπαὶ δὲ αἱ πρὸς τοὺς ἀπεγνωσμένους πεῖραι μάχης.* Quare Romanos tunc dixit *φοβερωτάτους, ὅταν αὐτοῖς περιστῇ φόβος ἀληθινὸς*, Polybius L. III. c. 75. Adde eiusdem L. III. c. 89. Dionyſ. Halic. p. 501. l. 3. *Pelopidas*, cum hoſtes eo deſperationis veniſſe animaduerteret, vt aut mortem obire, aut victoriam reportare vellent, omiſſo praelio diſceſſit. Polyaenus L. II. c. 38. §. 1. Et *Iphicrates* hoſtes in fuga nimis premi vetuit, ne ad deſperationem redacti pugnare cogerentur. Id. L. III. c. 9. §. 2. Idemque, cum hoſtibus nullam ad fugiendum viam patere vidiſſet, ad ſuos conuerſus dixit, *μὴ ἀναγκάσωμεν ἀγαθοὺς γενέσθαι τοὺς πολεμίους.* Ibid. §. 14.

13 *Interfectis impedimentis*] Sic omnes MSS. vt adeo temere feciſſe exiſtimentur, qui pro *interfectis* ſuppoſuerunt *interceptis*; ipſa hiſtoriae fide repugnante; ſiquidem non Caeſariani, ſed Pompeiani, vt eſſent expeditiores, impedimenta interfeciſſe hic dicuntur, teſte ipſo Caeſare L. I. B. Civ. c. 81. *illi et inopia pabuli adducti, et quo eſſent ad id expeditiores, omnia ſarcinaria iumenta interfici iubent:* quae adeo Frontino ſunt *impedimenta*; Caeſari *ſarcinaria iumenta* dicuntur. *Iumenta* vero etiam *impedimenta* dicta fuiſſe, veterum auctorum ſcripta nos dubitare haud ſinunt. Sic apud Vegetium L. III. c. 7. *impedimenta* diſerte a *vehiculis* diſtinguuntur: *impedimenta, ſagmarii* (*ſagmarii* autem, non *ſaginarii* l. *ſagittarii*, vt in vulgatis habetur, legendum eſſe, nos ad ipſum Vegetii locum monuimus,) *calones, vehiculaque in-*

pugnam descendisset, continuit suos, arbitratus alienum dimicationi tempus, quo aduersarios et ira et desperatio incenderat.

XII. Cn. Pompeius fugientem Mithridatem cupiens ad proelium compellere, elegit tempus dimicationi nocturnum, vt [14] abeunti se obponeret: atque ita praeparatus, subitam hostibus necessitatem decernendi iniecit. Praeterea sic constituit aciem, vt Ponticorum quidem oculos [15] aduersa Luna praestringeret, suis autem illustrem et conspicuum praeberet hostem.

XIII. [16] Iugurtham autem constat memorem virtutis

in medio collocentur. Praeterea I. F. Gronouius laudat Caesarem L. VII. de B. Gall. c. 45. *Prima luce magnum numerum impedimentorum ex castris mulorumque produci, eque iis stramenta detrahi, mulionesque cum cassidibus, equitum specie ac simulatione, collibus circumuehi iubet.* Liuius L. XXXVIII. c. 40. *Impedimenta et sarcinas inuadunt; caesisque custodibus, partim ea, quae in plaustris erant, diripere, partim sub oneribus iumenta abstrahere.* c. XLI. *Cum et impedimentorum pars et calonum, et milites aliquot cecidissent:* quae loca clarissime ostendunt, per *impedimenta* non *sarcinas* ac *vehicula*; sed ipsa *iugalia iumenta* intelligi: quod ipsum iudicat Oudendorpius, cui posteriora haec loca debemus.

14 *Abeunti*] MSS. cum edit. Rom. et Paris. *adeunti.* Quod non capio. Palatin. *ad eum se apponeret.* Abeunti et fugienti hosti se opposuit Pompeius, ita vt nocte iter facientes inciderint in eius exercitum: quomodo haec quidem refert Dio L. XXXVI. p. 24. Nam aliter haec enarrant Plutarchus in Pompeio p. 636. Cum Dione nostrum facere existimem. Sed tamen verba haec, *vt abeunti se opponeret*, vehementer suspecta mihi sunt. Ad fidem historiae simpliciter debuit dixisse: *et abeunti se opposuit*, vel *ad amnem* siue *ad Euphratem se opposuit.* Oudendorp.

15 *Aduersa luna praestringeret.*] Vulgo *perstringeret.* Gudianus autem, Leidensis pr. et Mediceus antiqu. *praestringeret*, verius omnino. Vide collectanea ad Lucan. L. I. 154.

— *obliqua praestringens lumina flamma.*

Atque hoc modo vbique ex MSS. lege, vbi de *fulgore* lunae, flammae, fulminis, aliorumque meteororum fit mentio. Oudendorp. Diuersa a Frontino tradit Florus L. III. c. 5. qui *lunam a tergo se hostibus, a facie Romanis se praebuisse* scribit. Verum alii scriptores cum nostro, et rectius quidem, opinor, consentiunt, quos inter Plutarchus in Pomp. c. 53. Ἐπῆγσαν μὲν οἱ Ῥωμαῖοι κατὰ νώτου τὴν σελήνην ἔχοντες. Dio L. XXXVI. p. 24. εἰ μὴ οἱ Ῥωμαῖοι κατόπιν αὐτὴν (σελήνην) ἔχοντες etc. Qua re Florum in tradenda hac historia, vel humani quid passum; vel a librariis corruptum censemus.

16 *Iugurtham autem*] Pro particula *autem*, quod non probatur, Ou-

tutis Romanorum, ſemper inclinato die committere proelia ſolitum, vt, ſi fugarentur ſui, obportunam noctem haberent ad deliteſcendum.

XIV. Lucullus aduerſus Mithridatem et Tigranem, in Armenia maiore apud Tigranocertam, quum ipſe non amplius quindecim millia armatorum haberet, hoſtis autem innumerabilem multitudinem, eoque ipſo [17] inhabilem, vſus hoc eius incommodo, nondum ordinatam hoſtium aciem inuaſit, atque ita protinus diſſipauit, vt ipſi quoque reges, abiectis inſignibus, fugerent.

XV. Tiberius Nero aduerſus Pannonios, quum barbari feroces in aciem, oriente ſtatim die, proceſſiſſent, continuit ſuos, paſſusque eſt, hoſtem nebula et imbribus, qui forte illo die crebri erant, [18] verberari;

Oudendorpius cenſet legendum *regem*, inuitis tamen MSS. Codd. Sicuti vero apud alias gentes nox plerumque praelia, quantumuis cruenta, dirimere ſolet: ita contra ſollenne erat apud Maſſylos, Libyae gentem, nocturnis praeliis decernere, vt eſt in Excerptis ex Nic. Damaſceno p. 518. *Βασυλιεῖς ὅταν πολεμῶσι, τὰς μὲν νύκτας μάχονται, τὰς δ' ἡμέρας εἰρήνην ἄγυσι.* quo loco pro Βασυλιεῖς legendum eſt ex Polybio L. VII. Μασσυλεῖς, vti notat quoque ex citato auctore Scholiaſtes Graecus ad Dionyſii περιηγ. v. 187. et iam obſeruauit Valeſius.

17 *Inhabilem*] Non innumerabilem quantumuis copiarum multitudinem; ſed exercitum vel exiguum, virtute valentem artisque militaris praeceptis rite imbutum, plurimum ad victoriam conferre, omnium aetatum exempla comprobare poſſunt. Vnde Vegetius L. I. c. 1. *In omni autem praelio non tam multitudo et virtus indocta, quam ars et exercitium ſolent praeſtare victoriam. Nulla enim alia re videmus populum Romanum orbem ſubegiſſe terrarum, niſi armorum exercitio, diſciplina caſtrorum, vſuque militiae.* Conſentientem ſibi habet Aelianum Vegetius, quem vide Tact. c. III. Sic, vt alia omnia praetermittamus, Athenienſes in campo Marathonio decemplicem numerum hoſtium profligarunt. Nepos in Miltiad. c. V. Et Alexander ſemper multitudinis contemtor innumerabiles Perſarum copias cecidit, ipſumque eorum imperium ſubuertit. Curtius L. IV. c. 15. Sic Romani in illum diem, terra marique victores, ſola loci commutatione, artis Tacticae praeceptis conuenienter facta, a Xantippo peritiſſimo eiusdem diſciplinae duce, grauiſſimam cladem acceperunt, teſte inter alios noſtro Frontino L. II. c. 2. §. 11.

18 *Verberari*] Horatius ad exprimendum grauiorem grandinis impetum itidem hac voce vtitur L. III. Od. I. 29.

Non verberatae grandine vineae
Fundusque mendax.

Ti-

ri; ac demum, vbi fessum stando et pluuia [19] non solum animo, sed et lassitudine deficere animaduertit, signo dato, adortus superauit.

XVI. C. Caesar in Gallia, quia compererat, Ariouisto, Germanorum regi, institutum, et quasi [20] legem esse militibus non pugnandi, decrescente Luna, tum potissimum acie commissa, inpeditos religione hostes vicit.

XVII. Diuus

Tibullus L. I. El. II. 7.
Ianua difficilis domini, te verberet imber.
Virgilius L. IX. Aen. 669.
Verberat imber humum: quam multa grandine nimbi
In vada praecipitant.
Ita *verbera ventorum*, *silicum* cet. apud auctores.

19 *Non solum animo*] Cum, notante Oudendorpio, v. *animo* desit in vtroque Leidensi, Gudiano, Palatino, Petrensi, Mediceo vetustiore, ac collatione Voss. equidem omnino adsentior viro huic doctissimo, qui *animo* rectius abesse censet. Fieri facile potuit, vt iusto curiosior librarius, cum rariorem particularum, *non solum*, collocationem vidisset, arbitraturs aliquid deesse, vocem, *animo*, inuitis Frontini manibus, adderet. Hoc sane eiecto, commodus et planus sensus emergit: *vbi stando et pluuia non solum*; *sed et lassitudine deficere animaduertit.* Quamquam enim, τὸ *non solum*, plerumque praemitti solet, e. g. *vbi non solum stando pluuiaque*; vel, *vbi non stando et pluuia solum*: sunt tamen, rariora licet, exempla, in quibus etiam postponitur, *non solum*, vti hoc in loco apud nostrum reperitur.

20 *Legem esse militibus*] Idem memoriae prodit Caesar de B. G. L. I. c. 5. *Ariouistus ideo noluit praelio decertare, quod apud Germanos ea fuit consuetudo, vt matresfamiliae eorum sortibus et vaticinationibus declararent, vtrum praelium committi ex vsu esset, nec ne: quae ita dixerunt, non esse fas Germanos superare, si ante nouam lunam praelio contendissent:* quae etiam confirmat Plutarchus in Caesare p. 712. Sic Tacitus quoque de German. mor. c. II. *Coeunt, nisi quid fortuitum et subitum inciderit, certis diebus, cum aut inchoatur luna, aut impletur.* Caussa autem illius superstitionis ea fuit, quod *Lunam* in Deorum numero habuerunt; indeque etiam dictum tempus agendis rebus auspicatissimum crediderunt; Caesar L. VI. c. 21. *Deorum numero eos solos ducunt, quos cernunt, et quorum aperte opibus iuuantur, Solem, et Vulcanum, et Lunam: reliquos ne fama quidem acceperunt.* Eadem de caussa Persae, in bellicis expeditionibus, nisi orto sole, ac die iam inlustri, castra non mouerunt, teste Curtio L. III. c. 3. §. 8, eo quod *Solem*, quem *Mithran* vocarunt, diuinis honoribus prosecuti fuerunt. v. Strabo L. XV. p. 732. τιμῶσι δὲ καὶ ἥλιον, ὃν καλοῦσι Μίτραν.

XVII. Diuus Augustus Vespasianus Iudaeos [21] Saturni die, quo eis nefas est, quidquam feriae rei agere, adortus superauit.

XVIII. Lysander Lacedaemonius [22] aduersus Athenienses apud [23] Aegospotamos instituit certo tempore [24] infestari naues Atheniensium, deinde reuocare

21 *Saturni die*] Sic et Pompeius Hierosolyma expugnauit, quia Iudaei nolebant se defendere Sabbato, Dione teste in Pompeio. Sabbatum quia praecipua cerimonia colebant, etiam ieiunio sacrasse (vt ait Iustinus L. XXXVI. c. 2.) Iudaei gentilibus credebantur. Hinc alludit Augustus Suet. c. 79. *Ne Iudaeus quidem, mi Tiberi, tam diligenter Sabbatis ieiunium seruat, quam ego hodie seruaui.* Ad quem locum videndus Casaubonus. Ceterum ipsi Romani non fuere liberi ab hac superstitione. Festus, *Dies praeliares appellantur, quibus fas est, hostem lacessere. Erant enim feriae quaedam publicae, quibus nefas fuit id facere.* Cato de iure ciuili, *Per eos dies* (religiosos quos appellant) *nou cum hoste manus conserebant, non exercitus scribebantur, non comitia habebantur; neque aliud quidquam in Republica, nisi quod vltima necessitas admonebat, administrabatur.* Gellius L. V. c. 17. ex Verrio Flacco, *Quotiens belli gerendi gratia res diuina postridie Calendas, Nonas, Idus a magistratu populi Romani facta esset, eius belli proximo deinceps praelio rempublicam male gestam esse.* Tennul.

22 *Aduersus*] Casaubonus ad Polyaeni L. I. c. LXV. §. 2. hic addendum putat *dux*, quia mancus locus ipsi videbatur, particula *aduersus* ita simpliciter posita, vt non aliam vocem additam habeat, cui respondeat. At enim vero propria plane Frontini haec est dicendi ratio, nec est, quod aliam vocem hic desideremus. Sic L. I. c. 1. §. 6. *Ventidius Parthico bello aduersus Pacorum regem.* c. VIII. §. 4. *M'. Curius aduersus Sabinos.* c. III. §. 3. *Fabius Maximus aduersus Hannibalem:* vt plurima alia exempla, hic illic in nostro obuia, quae attentum lectorem fugere haud possunt, non addamus.

23 *Aegospotamos*] Sic MSS. omnes, et edit. Rom. Hittorpii, ac Parisiensis, Graeca nimirum terminatione. Omnes enim Graeci scriptores, *Stephanus, Strabo, Xenophon* aliique, qui hanc vrbem memorant, ipsius nomen plurali numero, αἰγὸς ποταμοὶ efferunt: cum contra Latini vnitatis numero, *Aegos flumen*, vtantur. Vid. *Pompon. Mela* L. II. c. 2. §. 89. *Est in ea flumen Aegos, naufragio classis Atticae insigne. Nepos* in Lysandr. c. I. §. 4. *Postquam apud Aegos flumen Lysander classis hostium est potitus.* Id. in Alcibiad. c. VIII. §. 1. *Nam cum apud Aegos flumen Philocles praetor Atheniensium classem constituisset suam.* Vnde elucet, Frontinum in exprimenda hac voce, Graecos secutum fuisse. Est autem αἰγὸς ποταμοὶ, ciuitas ad Hellespontum, a vicino flumine, cui Aegos nomen, appellata. Plinius L. II. c. 58. L. IV. c. 11.

24 *Infestari*] Sic omnes editi, nec in scriptis aliqua varietas. Dubitares tamen, an auctor dederit *infestare*, vt citat Casaubonus. L. I. c. 4. §. 5. *Instituit reducere*, §. 8. *adsidue producere et reducere instituit*, §. 9. *instituit immittere*, et saepius. Ne tamen in textum

uocare classem. Ea re in consuetudinem perducta, quum Athenienses post digressum eius [25] ad contrahendas copias dispergerentur, extendit ex consuetudine classem, et recepit. Tum hostium maxima parte ex more dilapsa, reliquos adortus cecidit, et vniuersas naues cepit.

CAP. II.

De loco ad pugnam eligendo.

Exemplum I.

M. Curius, quia [1] phalangi regis Pyrrhi explicitae, resisti non posse animaduertebat, dedit operam,

tum recipiam *infestare*, vehementer me mouet similis locus L. III. 2. 1. *circuiri muros frequenter omnibus copiis instituit, easdemque reducere in castra:* licet MSS. *circuire.* L. III. c. 2. §. 10. *apparere paucos instituerunt.* Sic MSS. vulgo *disposuerunt.* Dicitur ergo *instituit facere et fieri.* V. etiam L. IV. 1. 13. 14. Oudend.

25 *Ad contrahendas copias*] *Copias* hic notare *commeatum, et quaecumque ad victum pertinent,* Oudendorpius ex allato Xenophontis loco L. II. H. Gr. p. 456. probat: *τά τε σιτία πόῤῥωθεν ὠνούμενοι.* Vnde pro *contrahendas* forte legendum *corradendas, comparandas* vel *congerendas* censet. Cum vero amplissimae significationis sit *τὸ contrahere*; nec de hominibus tantum et animalibus; sed de aliis quoque plurimis rebus soleat vsurpari: vix dubitem recte etiam dici *contrahere copias* s. res ad victum et vitam sustentandam necessarias: tuncque idem est, quod *comparare,* quae verba saepe inuicem commutantur. Sic apud Nepotem in Conon. c. IV. §. 2. *classemque compararet,* et §. 4. *Hac mente magnam contrahunt classem.* Et quemadmodum apud Velleium L. II. c. 81. §. 3. *contractae emtionibus domus:* ita quoque *contractas emtionibus copias* recte dici posse, vix est quod dubitemus.

1 *Phalangi reg. Pyrrhi explicitae*] Pyrrhus, Epirotarum rex, et rerum gestarum gloria, et artis Tacticae Strategicaeque peritia clarissimus, patrio more, *Phalange* in praeliis vsus est, qua nihil se terribilius vmquam vidisse, profiteri non erubuit L. *Aemilius Paullus,* teste Polybio in fragm. p. 1525. ea siquidem ita fuit comparata, vt, eodem auctore, L. XVII. c. 25. *κατὰ πρόσωπον, in fronte,* nulla acies eius impetum potuerit sustinere. At enim vero illa quantumuis celebrata acies, longe grauissima tamen incommoda secum habuit coniuncta, siquidem ad eam rite explicandam, loca plana, non arboribus vestita, nulla item habentia impedimenta, (nullas fossas puta, hiatus, conualles, cliuorum supercilia, aut amnium alueos) requirebantur, quiduis enim eorum, ad impediendam soluendamque eiusmodi aciem fuerit satis; eodem

vt in angustiis confligeret, vbi [2] conferta sibi ipsa esset inpedimento.

II. Cn. Pompeius in Cappadocia elegit castris locum editum: vnde, adiuuante procliuio inpetum militum, facile ipso decursu Mithridatem superauit.

III. C. [3] Caesar aduersus Pharnacem, Mithridatis filium, dimicaturus, in colle instruxit aciem: quae res expeditam ei fecit victoriam. Nam pila, ex edito in subeuntes barbaros emissa, protinus eos auerterunt.

IV. Lucullus aduersus Mithridatem et Tigranem, in Armenia maiore apud Tigranocertam dimicaturus, collis proximi planum verticem raptim cum copiarum parte adeptus, in subiectos hostes decucurrit, et equitatum eorum a latere inuasit, [4] auersumque,

dem auctore c. 27. Quare prudentiores duces, vti hic Curius, ad eludendam inuictam alias Phalangis vim, campos patentes euitarunt, angustiasque ad praelia facienda elegerunt.

2 *Conferta*] Ad seruandam Phalangis proprietatem omnino necesse erat, vt milites starent conferti, armaque armis conferta haberent; qualem eius formam ob oculos quasi ponit Homerus Iliad. L. XIII. v. 130.

φράξαντες δόρυ δυρὶ, σάκος σάκεϊ προθελύμνῳ,
Ἀσπὶς ἐπ' ἀσπίδ' ἔρειδε, κόρυς κόρυν, ἀνέρα δ' ἀνήρ.

Ita vero conferti, vt ipsa ratio suadet, quo simul podismi mensura, cuilibet militi in acie adsignata, seruaretur, nec in expediendis hastis sibi ipsi essent impedimento. Quamquam vero et sono et significatione non admodum diuersae sunt voces, *conferti* et *conserti*, atque adeo in antiquis libris saepe inuicem turbantur; insuperque *conferta acies* saepius apud optimos scriptores occurrit, e. g. Tacitum Annal. L. VI. c. 35. vbi etiam librarii *conserta* obtrudunt: malim tamen *conferti*, quod Hillensb. et edit. Paris. seruant, vt conuenientius praeferri. *Conserta* enim non solum sunt *conferta*; sed simul *implicata* et *constricta*, vt non facile solui atque explicari possint. Virgilius L. III. Aen. v. 467.

Loricam consertam hamis auroque trilicem.

Curtius L. III. c. 3. §. 18. *Neque enim conserta nauigia in turbido regi poterant.*

3 *Caesar*] Hanc historiam refert Hirtius de B. Alex. c. LXXIII.

4 *Auersumque et eorumdem partem p. proturbantem*] Plutarchi verba hac de pugna audiamus in Lucullo p. 510. *οὐ γὰρ οἱ κατάφρακτοι ἐδέξαντο τοὺς Ῥωμαίους. ἀλλ' ἀλαλάξαντες καὶ φεύγοντες αἴσχιστα πάντων ἐνέωσαν ἑαυτοὺς καὶ τοὺς ἵππους, βαρεῖς ὄντας εἰς τὰ πεζῶν ὅπλα, πρὶν ἄρξασθαι τινος ἐκείνους μάχης. ὥστε μήτε τραυ-*

que, et eorumdem partem pedites proturbantem insecutus, clarissimam victoriam retulit.

V. [5] Ventidius aduersus Parthos non ante militem eduxit, quam illi quingentis non amplius passibus abessent; atque ita procursione subita adeo se admouit, vt sagittas, quibus ex longinquo vsus est, cominus adplicitus [6] eluderet: quo consilio, quia quamdam

τραύματος γενομένυ, μηθ' αἵματος ὀφθέντος, ἡττᾶσθαι τὰς τοσαύτας μυριάδας. ὁ δὲ πολὺς φόνος ἤδη φευγόντων ἐγένετο, μᾶλλον δὲ βυλομένων φεύγειν. ὐ γὰρ ἐδύναντο. Vnde puteın, necessario hic legendum esse, *auersumque et equorum protritu pedites proturbantem insecutus*; vel, si vis, *peditem proturbatum.* Sed priori MSS. impensius fauent. L. II. c. 4. §. 12. *Equi peditum quoque suorum ordines protriuerunt.* Caesar B. Gall. L. VIII. c. 48. *Complures hostium magno nostrorum impetu perculsi* (sic MSS. et Ed. prim. vulgo non bene *pulsi*) *vulnerantur, et partim in fuga proteruntur* etc. B. ciu. L. II. c. 41. *Equitatus auersos proterere incipit,* et passim. Aut si noue dictum videatur *protritu*, scribi possit *obtritu*, quo substantiuo vsus est Plinius, adeasque I. F. Gronouium ad Liuium L. XXVII. c. 41. *Vt sterni obterique* (ab equitibus) *prinsquam instruantur, possint.* Vel denique simpliciter lege, *et eorumdem parte peditem proturbatum.* Sed mihi magis placet, quod primum proposui. *Proturbare* autem est deiicere, humi sternere, propellere. Vide N. Heinsium ad Ouid. L. III. Metam. 80.

Obstantes proturbat pectore siluas.

et quos laudat Socer meus ad Valer. Max. L. I. c. 8. *equo proturbatus.* Interim sic e MSS. edidi, vt intelligi possit auctoris sensus. Oudendorpius.

5 *Ventidius*] Ventidius Bassus inter ignobilissimos et despicatissimos prius homines, deinde Caesaris amicitia ad summos honores ipsumque consulatum euectus, primus omnium de Parthis triumphauit, et morte obita publico funere fuit sepultus. Gellius L. XV. c. 4. qui vitae ipsius curriculum breuiter perstringit.

6 *Eluderet sagittas*] Sagittariorum conditio et Heroica illa aetate, et Graecorum rebus florentibus nullius erat existimationis, siquidem sine armis in praelium pedites procedere solebant, atque latronum fere instar; nec aperto Marte militiam exercebant. Insequenti vero tempore sagittandi ars eo dignationis peruenit, vt lorica, ocreis et ense armati pugnarent sagittarii, atque formidabiles inprimis haberentur. Procopius L. I. Praeter Cretenses, Baleares, hac arte maxime insignes fuerunt Parthi, quorum *sagittas et celerem fugam* ipsi Romani milites perhorruerunt, vt Horatius canit L. II. O... XIII. v. 18. Cum vero arcubus maioribus, et sagittis longioribus vterentur, ex longinquo tantum iis vsus erat, quem statim, cum propius hostem successissent, perdiderunt. Vnde Tacitus Annal. L. IV. c. 35. *Cum Parthus sequi vel fugere pari arte suetus distraheret turmas, spatium ictibus quaereret.* Et Florus L. IV. c. IX. §. 6. *Qui* (Ventidius) *si-*

dam fiduciae etiam speciem ostentauerat, celeriter barbaros debellauit.

VI. Hannibal apud Numistronem contra Marcellum pugnaturus, cauas et praeruptas vias obiecit a latere; ipsaque loci natura pro munimentis vsus, clarissimum ducem [7] vicit.

VII. Idem apud Cannas, quum comperisset [8] Volturnum amnem, vltra reliquorum naturam fluminum,

simulato metu, adeo passus est hostem succedere, donec absumto iactus spatio, adimeret vsum sagittarum. Adde, si lubet, not. ad Onosandri c. XXI.

7 *Vicit.*] Aliter vero Liuius, cuius verba hic adferre non erit alienum. L. XXVII. c. 2. *Incerta victoria diremit pugnantes. Postero die Romani ab sole orto in multum diem stetere in acie: vbi nemo hostium aduersus prodiit, spolia per otium legere, et congestos in vnum locum cremauere suos. Nocte insequenti Annibal silentio mouit castra, et in Apuliam abiit.*

8 *Volturnum amnem*] Mirum est, quantum deprauatus hic locus torserit viros eruditos, dum cum alii aliter restituere cogitarunt. Cluuerius L. IV. Ital. Ant. c. 12. ita refinxit: *Volturnum ventum vltra reliquorum naturam flaminum.* Oudendorpius vero, cum *flaminum* vox nimis sit poetica; insuperque omnes MSS. vulgatum seruent: contra eos temere quid mutare fas non duxit. At enim vero, quamquam ex veterum auctorum scriptis facile potest probari, *Volturnum* re vera, vltra reliquorum naturam fluminum ingentes auras mane proflasse: quid Volturnus tamen loci hic habeat, non videmus, cum vnanimi veterum consensu constet, acerrimum illud praelium non ad *Volturnum in Campania*; sed *ad Cannas Aufidumque in Apulia* gestum fuisse: vnde supra dictus vir eruditissimus *Aufidum* legendum esse coniecit. Quare dicendum est, optimum Frontinum, cum haec scriberet, vel somniasse prorsus; vel, si mitius iudicare velimus, saltem aliarum rerum, quae menti ipsius tunc obuersabantur, imagine in hunc errorem inductum fuisse. Quidni vero potius oscitantis alicuius librarii ignorantiae, cui *Volturnus amnis* notior fuerit *Volturno vento*, hanc corruptionem tribuamus, refragantibus licet omnibus MSS. Equidem, si quis alius, a veterum librorum consensu discedere religioni mihi habendum merito semper existimaui; nec quidquam contra eorum fidem mutare sustineo. At enim vero, cum aliquoties iam, in ipso hoc Frontino, vt alios praetereamus, in manifestissime corruptis locis, eiusmodi pertinacem consensum deprehenderimus; vid. not. ad L. II. c. 2. §. 12. vbi contra sanam rationem *aduersam* pro *auersam* omnes MSS. libri seruant; ad c. III. §. 16. vbi omnes codices pessime pro *in secunda acie* seruant *in summa acie*; L. II. c. 5. §. 8. omnes MSS. mordicus retinent *Cimbrico bello*, cum certissime legi debeat *Celtiberico bello*; omnesque veteres scriptores, qui Cannensis pugnae meminere, non Volturni amnis, sed *venti Volturni* fecerint mentionem; ac denique vulgata sit contra omnem fidem historicam: merito iusto superstitiosiores

minum, ingentes auras mane proflare, quae arenarum et pulueris vertices agerent, sic direxit aciem, vt tota vis a tergo suis, Romanis in ora et oculos incideret. Quibus incommodis mire hosti aduersantibus, illam memorabilem adeptus est victoriam.

VIII. Marius aduersus Cimbros ac Teutonos constituta die pugnaturus, firmatum cibo militem ante castra collocauit, vt per aliquantum spatii, quo aduersarii dirimebantur, exercitus hostium potius labore itineris profligaretur: fatigationi deinde eorum incommodum aliud obiecit, ita ordinata suorum acie, vt aduerso sole, [9] et vento, et puluere, barbarorum occuparetur exercitus.

IX. [10] Cleomenes Lacedaemonius, aduersus Hippiam Atheniensem, qui equitatu praeualebat, planiciem,

siores veterum librorum cultores videremur, si nihilo secius huic corruptioni inhaerere vellemus. Nec rei veritati satis conuenire arbitrer, tam ingentes fuisse illas Volturni matutinas auras, vt, quod dicit Frontinus, *arenarum et pulueris vertices agerent*. Quae cum ita sint, certissimum mihi quidem videtur, Frontinum scripsisse, *Volturnum ventum*, et ad euitandam ingratam eiusdem vocis repetitionem, pro *ventorum* posuisse *flaminum*; vel potius hanc ipsam vocem *fluminum* a sciolo librario intrusam fuisse; qui cum semel pro, *ventum*, amplexus fuisset *amnem*; etiam in sequentibus verbis, *fluminum* suppofuit. Hisce, nisi me omnia fallunt, fidem facere possunt illa Liuii L. XXII. c. 44. *Prope eum vicum* (Cannas) *Annibal castra posuerat auersa a Volturno vento, qui campis torridis siccitate, nubes pulueris vehit. Id cum ipsis castris percommodum fuit, tum salutare praecipue futurum erat, cum aciem dirigerent ipsi auersi, terga tantum afflante vento, in occaecatum puluere effuso hostem pugnaturi* cet. Quis non videt, illa Frontini ex hoc Liuii loco esse deriuata? Nimirum callidissimus imperator, Tacticae regulis conuenienter aciem instruxerat; vt illa Vegetii L. III. c. 14. docent: *Ordinaturus aciem tria debet ante prospicere, Solem, Puluerem, Ventum.*

9 *Et vento*] Hanc historiam referunt Plutarchus in Mario p. 420. Polyaenus L. VIII. c. 10. §. 3. Orosius L. V. c. 16. *Et sol cum vento ortus ex aduerso emicuisset, visus eorum puluis oppleuit.* Ceterum *occuparetur* hic notare debet *impediretur*, quomodo *occupari luctu, timore, sollicitudine* dicimur; siquidem sana est lectio vulgata. Certe magnus Gronouius dubitasse videtur, qui ad marginem libri sui adscripsit *L. collocaretur*, vel *locaretur*. Oudendorpius.

9 *Cleomenes*] Hoc strategema facile ex Tacticorum praeceptis potest intelligi, qui, hoste equitatu praeualente, loca angusta et impedita, qualia sunt arboribus prostratis,

ciem, in qua dimicaturus erat, arboribus proſtratis inpediuit, et inuiam equiti fecit.

X. Hiberi in Africa ingenti hoſtium multitudine excepti, timentesque, ne circuirentur, adplicuerunt ſe flumini, quod altis in ea regione ripis profluebat: qui ita a tergo amne defenſi, et ſubinde, quum virtute praeſtarent, incurſando in proximos, omnem hoſtium exercitum ſtrauerunt.

XI. " Xanthippus Lacedaemonius, ſola loci commutatione, fortunam Punici belli conuertit: nam quum a deſperantibus iam Carthaginienſibus mercede ſollicitatus, animaduertiſſet, Afros quidem, qui equitatu et elephantis praeſtabant, colles ſectari, a Romanis autem, quorum robur in pedite erat, campeſtria teneri, Poenos in plana deduxit: vbi per elephantos diſſipatis ordinibus Romanorum, ſparſos milites per

ſtratis, occupanda eſſe praecipiunt, Onoſander c. XXXI. Qua re etiam Miltiades, contra Perſarum multitudinem, aciem ſub montis radicibus, et quidem arboribus multis locis ſtratis, vt equitatus eorum impediretur, inſtruxit, Nepos in Milt. c. V. §. 3.

11 *Xanthippus Lacedaemonius*] Si quod aliud, hoc certe exemplum maximam Tacticae vtilitatem comprobare poteſt. Cum enim paullo ante Carthaginienſes, duce Romanorum Regulo, grauiſſimam cladem accepiſſent, ac de ſuis rebus iam deſperaſſent: ſola loci mutatione, adflictas eorum res reſtituit Xanthippus, atque Romanos, in illam diem terra marique victores, ad internecionem fere cecidit. Quare Vegetius L. III. c. 14. *Acies in publica pugna*, inquit, *ſi ſapienter diſponitur, plurimum iuuat: ſin imperite, quamuis optimi bellatores ſint, mala ordinatione franguntur.* Eaque fuit cauſſa, cur Romani maximam orbis terrarum partem ſub ſuam redegerint poteſtatem, eodem auctore L. I. c. 1. Plura de Tacticae vtilitate, in ſingulari Programmate nos attulimus. Ceterum hic obſeruandum, Xanthippum ex ea fuiſſe gente, quae Tacticae olim ſtudioſiſſima fuit atque peritiſſima, teſte Vegetio in L. III. Prol. *Lacedaemoniis praecipua fuit cura bellorum. Primi namque experimenta pugnarum de euentibus colligentes, artem praeliorum ſcripſiſſe firmantur vſque eo, vt rem militarem, quae virtute ſola, vel certe felicitate creditur contineri, ad diſciplinam peritiaeque ſtudia reuocarint, ac magiſtros armorum, (quos τακτικοὺς appellauerunt) iuuentutem ſuam vſum, varietatemque pugnandi praeceperint edocere:* et paucis interiectis: *Horum ſequentes inſtituta Romani Martii operis praecepta et vſu retinuerunt, et litteris prodiderunt.*

per Numidas perſecutus, eorum exercitum fudit, in illam diem terra marique victorem.

XII. Epaminondas, dux Thebanorum, aduerſus Lacedaemonios directurus aciem, pro fronte eius decurrere equitibus iuſſis, quum ingentem puluerem oculis hoſtium obieciſſet, exſpectationemque equeſtris certaminis praetendiſſet, circumducto pedite ab ea parte, ex qua decurſus [12] in auerſam hoſtium aciem ferebat, inopinantium terga adortus cecidit.

XIII. Lacedaemonii [13] trecenti contra innumerabilem multitudinem Perſarum, Thermopylas occupauerunt, quarum anguſtiae non amplius, quam parem numerum cominus pugnaturum, poterant admittere: eaque ratione, quantum ad congreſſus facultatem, aequati numero barbarorum, virtute autem praeſtantes, magnam eorum partem ceciderunt: nec ſuperati forent, niſi per proditorem [14] Ephialten Trachinium circumductus hoſtis, a tergo eos obpreſſiſſet.

XIV. The-

12 *In auerſam h. aciem*] Ineptiſſime, ac contra ſanam rationem omnes, quos conſulere datum eſt, Codd, MSS. nec non editiones vulgatae *aduerſam* tuentur, cum ipſa res ſuadeat, *auerſam aciem* eſſe legendum. Ideo nimirum Epaminondas a fronte circumduxit peditem, vt hoſtem inopinantem a tergo caederet; adeoque hic decurſus non in *aduerſam*; ſed in *auerſam* hoſtium aciem ferebat. Idem vitium inſidet, L. II. c. 12. §. 3. et L. IV. c. 7. §. 32. *per auerſam partem* et *auerſam aciem*; vbi vulgatae editiones et MSS. itidem *aduerſam* male exhibent. Sicuti autem *aduerſa pars* in acie, eius frontem: (μέτωπον) ita *auerſa* eiusdem, *tergum* (νῶτον) ſignificat; vnde ipſa haec vox frequenter *aduerſae parti* oppoſita reperitur. Hanc receptam a nobis ſcripturam vnice veram eſſe, vltima verba §. XIII. probare poſſunt: *niſi — circumductus hoſtis, a tergo eos oppreſſiſſet.*

13 *Trecenti*] Plenius adcuratiusque hanc hiſtoriam, praeter Herodotum L. VII. c, 219. aliosque, tradit Iuſtinus L. II. c, 11. qui Leonidam, cum quatuor millibus Graecorum, anguſtias Thermopylarum occupaſſe ſcribit; quarta autem die, cum ei nuntiatum eſſet, a viginti millibus hoſtium ſummum cacumen teneri, ſocios dimiſiſſe, ſolosque adeo Lacedaemonios remanſiſſe. Horum vero numerus variat apud ſcriptores, aliis *ſexcentos*; aliis *quingentos*; aliis denique *trecentos* tantum referentibus, cum quibus facit Cicero de Finib. L. II. c. 30. Herodotus L. VII. c. 224. quos adeo ſecutus eſt Frontinus.

14 *Ephialten Trachinium*] Ita omnino ſcribendum eſſe huius hominis

XIV. Themiſtocles, dux Athenienſium, quum videret vtiliſſimum Graeciae, aduerſus multitudinem Xerxis nauium, in anguſtiis Salaminiis decernere, idque perſuadere ciuibus non poſſet, ſollertia effecit, vt a barbaris ad vtilitates ſuas Graeci compellerentur: ſimulata namque proditione, miſit ad Xerxen, qui indicaret, populares ſuos de fuga cogitare, difficilioremque ei rem futuram, ſi ſingulas ciuitates obſidione adgrederetur. Qua ratione effecit, vt exercitus barbarorum primum inquietaretur, dum tota nocte in ſtatione cuſtodia eſt: deinde, vt ſui mane integris viribus, cum dictis barbaris, vigilia marcentibus, confligerent, loco, vt voluerat, arto, in quo Xerxes multitudine, qua praeſtabat, uti non poſſet.

CAP. III.

De acie ordinanda.

Exemplum I.

[1] Cn. Scipio in Hiſpania, aduerſus Hannonem ad oppidum Intibilim, quum animaduertiſſet Punicam aciem ita directam, vt in dextro cornu Hiſpani conſtituerentur, robuſtus quidem miles, ſed qui alienum negotium ageret; in ſiniſtro autem Afri, miles viribus in-

minis nomen, praeter Diodorum Siculum L. XI. p. 7. Pauſaniam Attic. L. I. p. 11. Herodotum L. VII. c. 213. 214. etiam Polyaenus probat L. VII. c. 15. §. 5. Τραχινίȣ ἀνδρὸς Ἐφιάλτȣ δείξαντος ἀτραπὸν περὶ τοῖς ὄρεσι ςενήν. Quos ſcriptores ad hunc locum laudat Oudendorpius.

1 *Cn. Scipio*] Patet noſtrum errare Frontinum, et ab eo confundi duo Cn. Scipionis praelia, quorum alterum cum fratre ad *Intibili*; hoc vero ſolus fecit contra *Hannonem*, cis Hiberum in Ilergetibus ad oppidum Indibilis Sciſſim, vt Liuio; vel Κίσσαν, vt Polybio vocatur. Nam licet in MSS. et Edd. in oppidi nomine ſit quaedam variatio, hanc erroris culpam in auctorem potius, quam librarios hic coniici volo, credoque confuſionem Latinis auctoribus obortam ex multis Hannonibus. Oudendorpius.

2 *Robuſtus quidem miles*] Vegetius L. I. c. 1. *Hiſpanos quidem non tantum numero; ſed etiam viribus corporum noſtris praeſtitiſſe, manifeſtum eſt.*

infirmior, fed animi conftantioris, reducto finiftro latere fuorum, dextro cornu, quod validiffimis militibus exftruxerat, [3] obliqua acie cum hofte conflixit. Deinde, fufis fugatifque Afris, Hifpanos, qui in receffu [4] fpectantium more fteterant, facile in deditionem compulit.

II. Philippus, Macedonum rex, aduerfus Illyrios gerens bellum, vt animaduertit frontem hoftium ftipatam electis de toto exercitu viris, latera autem infirmiora, fortiffimis fuorum in dextro cornu collocatis, finiftrum latus hoftium inuafit, turbataque tota acie, [5] victoriam profligauit.

III. [6] Pammenes Thebanus, confpecta Perfarum acie, quae robuftiffimas copias in dextro cornu collocatas

3 *Obliqua acie*] *Obliqua acies* Romanis fuit, quam Graeci φάλαγγα λοξὴν appellarunt: cuius hanc dedit defcriptionem Aelianus Tact. c. XXIX. λοξὴ δὲ (φάλαγξ) ἡ τὸ μὲν κέρας, ὁπότερον ἂν π[illegible] πλησίον τῶν πολεμίων ἔχουσα, καὶ ἐν αὐτῷ τὸν ἀγῶνα ποιουμένη, τὸ δὲ ἕτερον ἐν ἀποστάσει δι' ὑπομονῆς ἔχουσα. Hanc aciei formam, eodem modo defcribit, et plurimis meliorem et ad victoriam facile reportandam efficacem dicit Vegetius L. III. c. 20. *Huius talis eft modus*, inquit: *cum inftructae acies ad congreffum veniunt, tum tu finiftram alam tuam a dextra aduerfarii longius feparabis, ne vel miffile ad eam, vel fagittae perueniant; dextram autem alam tuam finiftrae alae illius iunge, et ibi primum inchoa praelium*, cet. Inprimis eam veteres Tactici, tanquam vtiliffimam commendarunt, cum hoftis ὑπερκερώσει aut dextram, aut finiftram alam fuperare; vel etiam ὑπερφαλαγγίσει vtrumque pariter cornu circumuenire molitur. Onofander c. XXI. οὐ μὴν ἀλλὰ καὶ εἰ λοξῇ πάσῃ τῇ ἰδίᾳ φάλαγγι προσβάλλῃ κατὰ θάτερον μέρος τῶν πολεμίων, οὐκ ἂν ἁμάρτοι πρὸς τὴν ἐκ τοῦ μηνοειδοῦς σχήματος κύκλωσιν οὕτως ἀντεπιών. Vid. ibi not. ad n. 3. p. 78.

4 *Spectantium more fteterant*] Cur fpectatores tantum fuerint Hifpani, ex paullo ante allatis Aeliani et Vegetii *obliquae aciei* defcriptionibus facile, opinor, patebit: quia nimirum finiftrum Scipionis cornu, a dextro Hannonis, in quo Hifpani instructi ftabant, longius erat reductum, ita vt nullum miffile ad eos potuerit penetrare: quo adeo referri poffunt illa Aeliani: τὸ δὲ ἕτερον ἐν ἀποστάσει δι' ὑπομονῆς ἔχουσα.

5 *Victoriam profligauit*] i. e. *Victoriam paene adeptus eft*, antequam reliqui ad pugnadum poffent peruenire. cf. not. ad c. I. §. 4.

6 *Pammenes*] Strategemata huius viri enarrat Polyaenus L. V. c. 16.

catas habebat, ſimili ratione et ipſe ſuos ordinauit, omnemque equitatum et fortiſſimum quemque peditum in dextro cornu, infirmiſſimos autem contra fortiſſimos hoſtium poſuit, praecepitque, vt ad primum inpetum eorum ſibi fuga conſulerent, et in ſilueſtria confragoſaque loca ſe reciperent. Ita fruſtrato robore exercitus, ipſe optima parte virium ſuarum; (dextro cornu,) totam circuit aciem hoſtium, et [7] auertit.

IV. P. Cornelius Scipio, cui poſtea Africano cognomen fuit, aduerſus Haſdrubalem, Poenorum ducem, in Hiſpania bellum gerens, ita per continuos dies ordinatum produxit exercitum, vt media acies fortiſſimis [8] fundaretur: ſed quum hoſtes quoque eadem ratione adſidue ordinati procederent, Scipio eo die, quo ſtatuerat decernere, commutauit inſtructionis ordinem, et [9] firmiſſimos, id eſt, legionarios, in cornibus

c. 16. eiusque meminit Diodorus Sicul. L. XVI. p. 434. Pauſanias in Arcad. L. VIII. p. 654. Plutarchus in Pelop. p. 287. 292. et de Republ. ger. p. 805. Sic autem ſcribendum eſſe, monitum quoque video a doctiſſimo P. Weſſelingio L. II. Obſ. c. 8. Oudend.

7 *Auertit*] *Vertere* et *auertere* ſaepe ſimpliciter eſt poſitum ab auctoribus, ac ſubint. *in fugam.* Sic etiam L. II. c. 1. §. 7. *Tunc anhelantem integris viribus exercitus ſui adgreſſus auertit.* c. III. §. 17. *Auertunt eos, conſummaruntque victoriam.* §. 22. *auerterunt, caedendumque tradiderunt.* c. IV. §. 10. *atque ita multos noſtrorum auertit.* In elliptica autem hac locutione Graecos ſecuti ſunt Romani; apud illos nimirum frequens pariter et antiqua eſt ellipſis εἰς φυγήν. Sic Homerus Iliad. O. v. 261. τρέψω δ' ἥρωας Ἀχαιούς. Onoſander c. VI. ῥαδίως αὐτοὺς τρέπονται. Plene autem Polyaenus L. III. c. 9. §. 27. τὸν μὲν ϛρατηγὸν εἰς φυγὴν ἔτρεψαν. Sic Romani quoque ellipſin ſaepius expreſſerunt. Iuſtinus L. II. c. 12. *Itaque circumſpicientes fugam pelluntur Perſae, et mox praelio victi in fugam vertuntur.* Vegetius L. III. c. 20. *vt ex vtroque cornu improuiſos hoſtes vertas in fugam.* Quae et alia exempla nos olim ad Boſii ellipſ. Gr. congeſſimus.

8 *Fundaretur*] Supra n. 1. *dextro cornu, quod validiſſimis militibus exſtruxerat.* Cum hanc, tum illam vocem coniunctim poſuit Cicero de Finib. L. IV. c. 1. *ſed tamen adcurate non modo fundatam, verum etiam exſtructam diſciplinam non eſt facile perdiſcere.*

9 *Firmiſſimos, id eſt, legionarios*] Vt cum Weſſelingio aliisque vocem *legionarios* pro gloſſemate non habeam, in cauſſa ſunt verba Liuii L. XXVIII. c. 14. *mediam aciem hinc Romani, illinc Carthaginienſes miſti Afris, cornua ſocii tenebant.* Et paullo poſt: *Romano milite cornibus firmatis: ſociis in mediam aciem acceptis.* Adeo in vtroque loco *legionarii ſociis* oppununtur.

nibus collocauit, ac leuem armaturam in media acie, ſed retractam. Ita cornibus, quibus ipſe praeualebat, infirmiſſimas hoſtium partes [10] lunata acie adgreſſus, facile fudit.

V. Metellus in Hiſpania, eo proelio, quo Hirtuleium deuicit, quum comperiſſet, cohortes eius, quae validiſſimae [11] vocabantur, in media acie locatas, ipſe mediam ſuorum aciem reduxit, ne ea parte ante cum hoſte confligeret, quam [12] cornibus confligatis medios vndique circumueniſſet.

VI. Artaxerxes aduerſus Graecos, qui Perſidem intrauerant, quum multitudine ſuperaret, latius, quam hoſtes

10 *Lunata acie*] V. not. ad L. I. c. 5. §. 1. et ad Onoſandri c. XXI. vbi docetur, quo inſtructionis ordine, aduerſus lunatam hoſtium aciem, vti cum ſucceſſu deceat. Sciendum vero ad hoc depugnationum genus requiri veteranum et diu edoctum exercitum; ſiquidem hoc genus ordinationis, niſi peritus, et ad omne momentum reſpondens miles, exſequi vix poteſt, vt docet Graecae pariter Romanaeque rei militaris peritiſſimus noſter Frontinus L. II. c. 3. §. 7.

11 *Vocabantur*] Non hoc iis nomen erat, ſed iactabantur eſſe validiſſimae. Quam vocem hic forſitan reponendam eſſe coniecit cel. Gronouius. *Validae cohortes* ita memorantur a Liuio L. XXI. c. 60. et Lucano L. I. 305. vt eſt in MSS. vetuſtioribus, *implentur validae tirone cohortes.* Oudendorpius.

12 *Cornibus confligatis*] Sic omnes MSS. h. e. cum fuerint commiſſa et coniuncta cornua. Sic τῷ *confligere* vtitur Lucretius L. IV. v. 1210.

Semina cum Veneris ſtimulis excita per artus
Obuia conflixit conſpirans mutuus ardor.

Modius coniecerat *profligatis.* Tennulius.

Debuiſſet Tennulius vel vnico exemplo probauiſſe compoſitum *confligare* a Latino quodam auctore fuiſſe adhibitum, ſiue pugnandi, ſiue coniungendi ſenſu. *Conflictare rempublicam* pro malis adfligere dixit Tacitus L. VI. Anual. c. 48. Gloſſae, *conflicto* συντρίβω, διαμάχομαι. *conflictor* θλίβομαι. *confligatio* σύγκρουσις, συμβολὴ ἐπὶ μάχης: vbi *conflictatio* videtur ſcribendum ex Gellio L. I. c. 18. *Profligatis,* vt coniecerant Modius et Gronouius, atque amplectitur cl. Waſſe, diſerte exhibet Petrenſis, vt intelligantur hoſtium cornua fuſa fugataque. *confligatos* Leid. ſec. Scaliger ad oram ſui libri adſcripſerat *complicatis.* Propius accedit *coniugatis.* Vide exempla ſeqq. An fuit, *cornibus conflictati ſui medios vndique circumueniſſent.* Interim *circumueniſſet* edi iuſſi, auctoritate Palatini, Petrenſis, et Medicei Codd. ac Sanuti, licet ſciam, vulgatum aliquo modo, ſed contorto ſenſu defendi poſſe. Oudendorpius.

hostes, [13] acie instructa, in fronte equitem, leuemque armaturam in cornibus collocauit, atque, ex industria lentius procedente media acie, copias hostium cinxit, ceciditque.

VII. Contra Hannibal [14] ad Cannas reductis cornibus, productaque media acie, nostros primo inpetu protrusit. Idem conferto proelio, paullatim inuicem sinuantibus, procedentibusque ad praeceptum cornibus, auide insequentem hostem in mediam aciem suam recepit, et ex vtraque parte compressum cecidit, veterano et diu edocto vsus exercitu. Hoc enim genus ordinationis exsequi, nisi peritus, et ad omne momentum respondens miles, vix potest.

VIII. Liuius Salinator et Claudius Nero, quum Hasdrubal bello Punico secundo decertandi necessitatem euitans, in colle confragoso post vineas aciem direxisset, ipsi diductis in latera viribus, [15] vacua fronte ex vtraque parte circumuenerunt eum, atque ita adgressi superauerunt.

IX. Han-

13 *Acie instructa*] Erat adeo illa Persarum acies lunata, cuius equitatus frontem; leuis armatura cornua formauit: quibus dein procedentibus, equitatu autem lentius progrediente, Graecorum copiae ὑπερφαλαγγίσει circumuentae caesaeque fuerunt. Vid. not. ad L. I. c. 5. §. 1.

14 *Ad Cannas*] Cannae ignobilis fuit Apuliae vicus; sed magnitudine Romanae cladis emersit, et quadraginta millium caede parta nobilitas, prodente Floro L. II. c. 6. §. 15. Liuius vero paullo ampliorem ponit numerum L. XXV. c. 6. *Cannensem vero quisquam exercitum fugae aut pauoris insimulare potest? vbi plus quinquaginta millia hominum ceciderunt.* Elegantissimam absolutissimamque Pugnae Cannensis eiusdemque ordinationis descriptionem memoriae prodidit Polybius L. III. c. 114 sqq.

15 *Vacua fronte*] *Vacua frons* dicitur fuisse, eo quod pugnatores in cornibus ante collocati, in latera fuerunt diducti. *Diductis* autem, non *reductis*, vt in vulgatis legitur; nec *deductis*, vt sollenni errore quidam MSS. codd. praeferunt, legendum esse, ipsa res clamat, ac similia scriptorum loca probare possunt. Sic §. 12. *in ipso certamine diduxit ordines, et a lateribus circumuentos eos fudit.* Particulas autem *di* et *de* saepissime in vett. libris inter se permutatas reperiri, supra notauimus ad L. I. c. 5. §. 26. Liuius L. XXXI. c. 21. *Extenuatam mediam aciem diductis cornibus:* vbi obiter notandum, quo magis cornua diducuntur, eo magis quoque mediam aciem

IX. Hannibal, quum frequentibus proeliis a Claudio Marcello superaretur, nouissime sic castra metabatur, vt aut montibus, aut paludibus, aut simili [16] locorum aliqua obportunitate adiutus, aciem eo modo collocaret, vt, vincentibus quidem Romanis, pene indemnem recipere posset intra munimenta exercitum; cedentibus autem, instandi liberum haberet arbitrium.

X. Xanthippus Lacedaemonius in Africa aduersus M. Attilium Regulum [17] leuem armaturam in prima acie collocauit, in subsidio autem robur exercitus: praecepitque auxiliaribus, vt [18] excussis telis cederent

aciem extenuari; vnde Tacticorum praeceptum: μήθ' οὕτως ἐπὶ μῆκος ἐκτεινέτω τὴν δύναμιν, ὥστε πάμπαν ἀσθενῆ καὶ ἀβαθῆ ποιῆσαι τὴν δύναμιν. Onosander c. XXI.

16 *Locorum al. opportunitate*] Ex Tacticorum praeceptis, cum in agmine, tum in acie a prudenti duce eiusmodi loca, quantum fieri potest, sunt circumspicienda, vbi aut montibus, aut paludibus, aut simili aliqua opportunitate, exercitus tegi possit, atque insuper caueri, ne, si copiarum numero praestet hostis, multitudine claudatur. Onosander c. XXI. Ἀγχίνους μὲν γὰρ, ὅστις ὁρῶν τοὺς πολεμίους πολλοὺς, αὐτὸς ἐλάττοσι στρατιώταις μέλλων κινδυνεύειν, ἐξελέξατο καὶ ἐπετήδευσε τοιούτων ἐπιτυχεῖν τόπων, ἐν οἷς ἢ παρὰ ποταμίαν ὀφρὺν ταξάμενος ἀποθεῖται ταύτῃ τὴν κύκλωσιν τῶν πολεμίων, ἢ παρώρειαν ἐκλεξάμενος, αὐτοῖς τοῖς ὄρεσιν ἀποκλείσει τοὺς ὑπερκεράσαι βουλομένους. Eadem habet Iulius Africanus c. LXXV. Exempla videsis in not. ad Onosandri l. c. p. 79.

17 *Leuem armaturam*] *Leuis armatura* Gr. ψιλοὶ vel ψιλῇ ὁπλίσει ὡπλισμένοι, quales fuerunt ἀκοντισταὶ, τοξόται, σφενδονισταὶ, λιθοβόλοι, olim ante primam aciem collocati praelia inchoabant, teste Thucydide L. VI. c. 69. Vnde Onosander quoque c. XXII. eosdem ex antiquissimae Tacticae regulis, πρώτους πρὸ τῆς φάλαγγος in acie poni iussit. Errat autem Tennulius, si a Praeceptoribus Tacticorum, tam in vetere, quam noua militia leuem armaturam *in prime agminum ordine* (vel potius *ante primam aciem*) collocatam scribit: siquidem Arrianus Tact. p. 38. diserte memorat, non vno, sed variis modis, pro regionis itque hostium conditione; modo ante Phalangem, aliquando a latere dextro, aliquando a sinistro; immo a tergo quoque grauis armaturae militum constitutos fuisse. Alia, quae huc pertinent, vide, si luber, in not. ad supra dictum Onosandri caput p. 70. De insigni leuis armatutae in bellis vtilitate adde Aelianum Tact. c. XVII.

18 *Excussis telis* cet.] Hic locum habent, quae prodidit Onosander c. XIX. Ideo vero interualla

rent hosti; et quum se intra suorum ordines recepissent, confestim in latera discurrerent, et a cornibus rursus erumperent, exceptumque iam hostem a robustioribus et ipsi circuirent.

XI. Sertorius idem in Hispania aduersus Pompeium fecit.

XII. Cleandridas Lacedaemonius aduersus Lucanos [19] densam instruxit aciem, vt longe minoris exercitus speciem praeberet. Securis deinde hostibus, in ipso certamine diduxit ordines, et a lateribus circumuentos eos fudit.

XIII. [20] Gastron Lacedaemonius, [21] quum in auxilium Aegyptiis aduersus Persas venisset, et sciret, firmiorem esse Graecum militem, magisque a Persis timeri, commutatis armis, Graecos in prima posuit acie, et quum illi aequo Marte pugnarent, submisit Aegyptiorum manum. Persae, quum Graecis, quos Aegyptios opinabantur, restitissent, superueniente multitudine, quam [22] vt Graecorum expauerant, cesserunt.

XIV.

nulla inter ordines relinquenda esse scribit, quia velites ante, quam committeretur acies, velitationibus pugnam auspicabantur; ac si pulsi essent ab hoste, per vias illas patentes se recipiebant. vid. Aelianus Tact. c. XI. Interdum equites quoque per illa spatia prorupe- runt, ac repulsi per eadem se denuo receperunt, teste nostro Frontino L. II. c. 3. §. 17.

19 *Densam instruxit aciem*] In densanda acie, nisi callido consilio, vt hic Cleandridas, agat dux, ex Tacticorum monitis *μὴ οὕτως ἐπ' ὀρθὰν συνελλέτω τὴν παράταξιν, εἰς πολὺ βάθος ἀποστέλλων, ὥστ' ἐκ τοῦ ῥάστου τοὺς πολεμίους ὑπερκεράσαντας ἐντὸς αὐτὴν λαβεῖν*, vt Onosander docet c. XXI. Quae proportio inter longitudinem aciei eiusdemque latitudinem s. inter *τὸ μῆκος καὶ βάθος τῆς φάλαγγος* obseruari debeat, docet Arrianus Tact. p. 46. Leo c. VII. §. 83. c. XIV. §. 109. Iulius African. c. LXVII.

20 *Gastron*] MSS. Gastonius. Recte vero Casaubonus Frontino restituit *Gastròn*, vti hoc nomen occurrit apud Polyaenum L. II. c. 16. *Γάστρων Λακεδαιμόνιος*.

21 *In auxilium*] MSS. *in auxilio*, vnde Tennulius maluit *auxilio*; quod sane a Cod. Vatic. confirmatum inuenit Oudendorpius, qui censet *in auxilio*, pro *in auxiliatoribus* posse exponi; vti fere est L. II. c. 7. §. 18. *Macedonas equites, quos in auxilio habebat.*

22 *Vt Graecorum*] Quia Graeci, inprimisque Lacedaemonii cum

rei

XIV. Cn. Pompeius in Albania, quia hostes [23] innumero equitatu praeualebant, iuxta collem in angustiis protegere galeas, ne [24] fulgore earum conspicui fierent, iussit (milites;) equites deinde in aequum procedere, ac velut [25] praetendere militibus: prae-

rei militaris scientia, tum virtute maxime omnium floruerunt. Iustinus L. XXVIII. c. 4. *Soli Philippi Alexandrique bellis, et imperium Macedonum et omnibus metuenda arma contemserunt.*

23 *Innumero equitatu*] Ita optime ex vtroque Mediceo et edd. Italicis reposuit Oudendorpius pro vulg. *et numero et equitatu*. Non enim Pompeius suos pedites galeas abscondere iussit, quia *numero*, sed quia *equitatu* hostes praeualebant, vt eos in suae paucitatis contemtum adduceret, eoque facto redderet securiores: quod multis exitio fuisse, clarissimis omnium aetatum exemplis patet. Hoc vero callido consilio effecit Pompeius, vt hostes cum eiusdem equitatu congressi, temere inueherentur, et ab interfusa peditum acie, inopinato praelio caederentur. Plutarchus in Pompeio p. 638. *καὶ οἱ πεζοὶ ἀναστάντες ἐξαίφνης καὶ διαστάντες, τοῖς μὲν σφετέροις ἀσφαλῆ τὴν φυγὴν διὰ μέσου σφῶν παρέσχον· τοὺς δὲ πολεμίους ἀπερισκέπτως τῇ διώξει χρωμένους ἐνδεξάμενοι συχνοὺς ἐκυκλώσαντο.*

24 *Fulgore*] Curam armorum antiquissimis iam temporibus habuisse copiarum duces, vel princeps Poetarum nos dubitare haud sinit, Iliad. Z. 321. N. 245. 340. T. 362. et 398. Quare etiam inter Tacticorum praecepta, splendoris armorum rationem esse habendam, obtinuit. Onosander c. XXVIII. *Μεμελημένον δ' ἔστω τῷ στρατηγῷ, λαμπρὸν ἐκτάττειν τὸ στράτευμα τοῖς ὅπλοις·* addita pariter ratione. *δεινότεραι γὰρ οἱ ἐπιόντες φαίνονται λόχοι τοῖς τῶν ὅπλων αἰθύγμασιν.* Cui adstipulantur Leo c. V. §. 12. c. VI. §. 3. Mauric. L. VII. c. 15. Constantin. Tact. p. 12. Magnam autem vim in animos habere armorum splendorem in bellis, luculentissimo exemplo esse potest imperterriti alias animi dux, Caesar, quem armorum Pompeianorum splendorem metuisse scribit Plutarchus in Pompeio p. 656. et in Caesare p. 728. Sic Romani Consules, *Manlius* et *Fabius*, in bello aduersus Etruscos, hostilium armorum splendore, magno metu perculsi sunt. Dionysius Halic. L. IX. p. 562. adde not. ad Onosandri c. XXVIII. Turpiter adeo alucinantur imperiti rerum aestimatores, qui hanc curam forti viro indignam superuacaneamque arbitrantur.

25 *Praetendere militibus*] *Praetendere* vox est apud optimos Latinos scriptores obuia, quae vbique fere *oppositionis* et *defensionis* notionem habet coniunctam; vnde *Seruius* ad Virgil. Georg. L. I. 270.

— — *segeti praetendere sepem*

per *circumdare* et *opponere* explicat. Idemque significatus etiam obtinet, cum ad rem militarem vox haec transfertur. *Praetendere* nimirum dicuntur militum stationes, quae ad defendenda castra, ciuitatem, regionem, prouinciam hic il-

praecepitque eis, vt ad primum inpetum hoſtium refugerent; et, ſimul ad pedites ventum eſſet, in latera diſcederent. Quod vbi explicitum eſt, patefacto loco ſubita peditum conſurrexit acies, inuectoſque temere hoſtes, inopinato interfuſa proelio cecidit.

XV. M. Antonius aduerſus Parthos, qui infinita multitudine ſagittarum exercitum eius obruebant, ſubſidere ſuos, et teſtudinem facere iuſſit: ſupra quam transmiſſis ſagittis, ſine militum noxa exhauſtus eſt hoſtis.

XVI. Hannibal aduerſus Scipionem in Africa, quum haberet exercitum ex Poenis et auxiliaribus, quorum pars non ſolum ex diuerſis partibus, ſed etiam ex

lic diſponuntur, ne inopinatis hoſtium incurſionibus locus relinquatur. Vnde in Gloſſis: *praetentura.* προβολή, ἐπιτείχισμα. Quemadmodum vero a *praeſidendo, praeſidia:* ita a *praetendendo, praetenturae* nomen acceperunt. Quae vero in antiqua militia *Praeſidia* erant: a recentioribus *agrariae*, vel *agrariae ſtationes*, et *Praetenturae* appellatae fuerunt; *agrariae* quidem, quia in agris, procul a ciuitatum illecebris detinebantur, vt ſcribit Vegetius L. I. c. 3. *Praetenturae* autem, quia in caſtellis aliisque opportunis locis, natura vel tumultuario opere munitis, aduerſus hoſtiles ſuperuentus publicae ſecuritati quaſi praetenderunt; (quamquam id non perpetuo a ſcriptoribus obſeruatum: ſed *agrariae* aeque ac *praetenturae* in caſtellis et oppidis memorantur.) atque *animalium paſcua, ſubuectionem frumenti, ceterarumque ſpecierum, aquationem, lignationem, pabulationem ab hoſtium incurſu defenderunt; iterque commeantibus tutum praeſtiterunt.* Vegetius L. III. c. 8. Perexigua differentia inter *agrarias* et *praetenturas* interceſſiſſe videtur; vnde etiam a Marcellino L. XVI. *agrariae ſtationes praetendere* dicuntur: niſi quod in *agrariis aliquantos pedites equitesque* degiſſe ſcribit Vegetius L. III. c. 8. *praetenturae* autem pedites tantum habuiſſe exiſtimantur: cui ſententiae fauent illa Marcellini de Iſauris L. XIV. c. 2. *denſis interſepſerunt itinera praetenturis:* nam paullo ante eos *omnes inſtar turbinis digreſſos montibus impeditis et arduis* tradidit, cuiusmodi loca minus apta eſſe equis omnes norunt. Vnde de *Ithaca* Horatius L. I. ep. VII. v. 40.

Haud male Telemachus, proles patientis Vlyſſei:
Non eſt aptus equis Ithacae locus, vt neque planis
Porrectus ſpatiis, neque multae prodigus herbae.

et idem contra ea L. I. Od. VII. v. 8.

Plurimus in Iunonis honorem
Aptum dicit equis Argos, ditesque Mycenas.

Itemque, ex quo ſua hauſit vates modo dictus, Homerus Odyſſ. Δ. v. 605.

Ἐν δ' Ἰθάκῃ οὔτ' ἄρ δρόμοι εὐρέες, οὔτε τι λειμών.

ex Italicis constabat, post elephantos octoginta, qui in prima fronte positi hostium turbarent aciem, auxiliares Gallos, et Ligures, et Baleares, Maurosque posuit, vt non fugere possent, Poenis a tergo stantibus, et hostem obpositi si non infestarent, at certe fatigarent: tum suis et Macedonibus, qui iam fessos Romanos integri exciperent, [26] in secunda acie collocatis, nouissimos Italicos constituit, quorum et timebat fidem, et segnitiem verebatur, quoniam plerosque eorum ab Italia inuitos extraxerat. Scipio aduersus hanc formam, robur legionis, triplici acie in fronte ordinatum per hastatos et principes et triarios obposuit: nec continuas construxit [27] cohortes; sed

 mani-

26 *In secunda acie*] Ita optime, refragantibus licet MSS. pro vulgat. *in summa acie* restituit Oudendorpius, Liuio duce L. XXX. c. 33. *In secunda acie Carthaginenses Afrosque et Macedonum legionem, modico inde interuallo relicto, subsidiariam aciem Italicorum militum.*

27 *Cohortes*] Sine ratione Salmasius ὅπαιυ *Frontinum* ignorantiae accusat c. III. de militia, quod Scipio non potuerit ordinare per *continuas cohortes*, cum Legio in *cohortes* tunc non fuerit diuisa. Nam supra L. I. c. 6. §. 1. tempore *Fuluii Nobilioris* legimus relatum, legionem iam ante Iul. Caesarem descriptam in decem cohortes. Praeterea Polybius L. XI. Καὶ τρεῖς σπείρας· τοῦτο δὲ καλεῖται τὸ σύνταγμα τῶν πεζῶν παρὰ τοῖς Ῥωμαίοις κοόρτις. Insuper etiam fallitur, quod tempore Scipionis, cohortem non decimam, sed trigesimam legionis partem fuisse contendit; idemque quod manipulus, σπεῖρα et σημαία. Nam σύνταγμα, (Polybio κοόρτις) ex tribus constat spiris seu manipulis. Triginta autem manipulos tempore Scipionis in legione fuisse, intelligi potest ex Polybii L. VI. vbi duos ante Tribunorum tentoria ordinatos; e reliquis octodecim manipulis ternos, singulos Tribunos sortitos fuisse (nam sex Tribuni sunt in legione) scribit. Ex quo loco abunde constat, viginti manipulos in corpore vtroque Hastatorum et Principum fuisse: et decem in corpore Triariorum, apparet ex libro eodem: δέκα δὲ σημαίας ἐχόντων ἁπάντων τῶν μερῶν. Cum ergo triginta manipuli conficiant legionem: cohors ex tribus manipulis (σπείραις) constet: indissolubili nexu infertur, cohortem fuisse decimam legionis partem. Si porro vult persuadere Salmasius, illam cohortem non legionariam fuisse; sed sociorum auxiliarium, refutare eum possunt Sallustius de B. Iug. c. LV. et Varro de L. L. L. IV. qui *legionariae cohortis* faciunt mentionem. Nec Frontinus sui aeui ordinationem cum vetere confudisse dicatur, quod *robur legionis* in fronte posuit: id enim saepius factum, intelligi potest ex huius capitis §. 4. et 17. insuperque Frontinus addit, Scipionem secundum Hannibalis ordinationem suam aciem

manipulis inter ſe diſtantibus ſpatium dedit, per quod elephanti ab hoſtibus acti facile transmitti ſine perturbatione ordinum poſſent. Ea ipſa interualla expeditis velitibus inpleuit, ne interluceret acies: dato iis praecepto, vt ad inpetum elephantorum, vel retro, vel in latera concederent. Equitatum deinde in cornua diuiſit, et dextro Romanis equitibus Laelium, ſiniſtro Numidis Maſiniſſam praepoſuit: quae tam prudens ordinatio non dubie cauſſa victoriae fuit.

XVII. Archelaus aduerſus L. Sullam, in fronte ad perturbandum hoſtem falcatas quadrigas locauit, in ſecunda acie phalangem Macedonicam, in tertia, Romanorum more, armatos auxiliares, mixtis fugitiuis Italicae gentis, quorum peruicaciae plurimum fidebat; leuem armaturam in vltimo ſtatuit. In vtroque dein latere equitatum, cuius amplum numerum habebat, circueundi hoſtis cauſſa poſuit. Contra haec Sulla foſſas amplae latitudinis in vtroque latere duxit, et capitibus earum caſtella communiit: qua ratione, ne circuiretur ab hoſte, et peditum numero, et maxime equitatu ſuperante, conſecutus eſt. Triplicem deinde peditum aciem ordinauit, relictis interuallis, [28] per leuem armaturam, et equitem, quem in nouiſſimo

aciem direxiſſe. Per *robur* autem *legionis* hoc quidem loco ipſae legiones intelliguntur, triplici acie ordinatae, per *Haſtatos*, *Principes* et *Triarios*, quod Polybius diſerte teſtatur. Potioribus hiſce allatis argumentis Liuium et Frontinum aduerſus Salmaſium aſſerere ſtuduit *Tennulius*. Bene egiſſe rem Liuii et Frontini aduerſus Salmaſium, elegantiſſimum Tennulium, vere iudicat Oudendorpius; ſed tamen obſeruat eum Scipionis legiones minores feciſſe, quam fuerunt; vtpote quae conſtiterunt ſenis millibus et ducenis peditibus, et trecenis equitibus, auctore Liuio L. XXIX. c. 24.

Iam ante Tennulium hanc cauſſam aduerſus Salmaſium pariterque Henricum Sauilium ſuſcepit, adcuratiſſimus militarium antiquitatum explanator R. H. Schelius c. XV. cuius veſtigia recte ſecutus eſt Tennulius.

28 *Per leuem armaturam*] Salmaſius pro *per* legendum cenſet *propter*: *propter leuem armaturam et equitatum*. MSS. omnes, *equitem*. Tennul. Placet omnino τὸ *propter*. Sed MSS. non mutant.

ſimo collocauerat, vt, quum res exegiſſet, emitteret. Tum [29] poſtſignanis, qui in ſecunda acie erant, imperauit, vt denſos numeroſosque palos firme in terram defigerent: intraque eos, adpropinquantibus quadrigis, anteſignanorum aciem recepit. Tum demum, ſubla-

tant. §. 22. *propter* in MSS. nonnullis abiit quoque in *per*. Verum Salmaſius c. 17. non citat equitatum, ſed equitem, vt eſt in MSS. meis omnibus, et edd. Rom. Bononienſi, Pariſ. Wech. Stewech. et Veſal. *equitatem* Gudian. In Scriuerii editionibus primum inuenio *equitatum*, contra elegantiſſimum et ſollennem loquendi modum §. 22. *in dextro cornu poſuit equitem*. c. V. §. 34. 35. et paſſim. Praecipue *leuem armaturam* ſic *equiti* ſaepe iungit Liuius. Sed vnum exemplum ſatis ſit L. XXXI. c. 43. *equite et leui armatura*. noſter c. III. §. 6. *in fronte equitem, leuem armaturam in cornibus collocauit*. nec aliter crebro *miles, pedes* etc. ſimilia adhiberi notiſſimum eſt. Oudend.

29 *Poſtſignanis*] In quibusdam MSS. *proſignanis* legitur: ſed omnino 2 Reg. et tertii Hill. auctoritate ſine vlla dubitatione reponendum *poſtſignanis*, qui *anteſignanis* opponuntur. Iam in antiqua militia apud optimos ſcriptores, *Liuium* maxime, *Caeſarem* aliosque cum *anteſignanorum*, tum *poſtſignanorum* crebrior mentio; omnisque acies in duas haſce partes fuit diuiſa. Quemadmodum autem quaelibet legio ſuam *aquilam*: ita ſingulae quoque *cohortes* et *manipuli* ſua ſigna habuerunt. Ex quo intelligi poteſt, primam aciem ſiue primae aciei milites dictos fuiſſe *anteſignanos*, non quod ante ſigna irent; quod quidem etiam, praecipue cum propius hoſtem ventum eſſet, ad tuendas aquilas et ſigna, fieri potuit; ſed reſpectu *ſubſignanorum*, qui ſecundae ac tertiae aciei milites fuerunt: ſiquidem et horum cohortes ac manipuli ſignis inſtructi fuerunt. Ipſe Frontinus hoc loco id probare poteſt: *tum poſtſignanis, qui in ſecunda acie erant, imperauit, vt denſos numeroſosque palos firme in terram defigerent: intraque eos, adpropinquantibus quadrigis, anteſignanorum aciem recepit*. Quodſi adeo grauis armaturae milites in ſecunda acie, *poſtſignani* dicti ſunt, dubitari non poteſt, *anteſignanos*, quos ſecunda illa acies recepit, primam aciem occupaſſe. Idem diſerte probant illa Liuii L. IX. c. 39. *cadunt anteſignani: et ne nudentur propugnatoribus ſigna, fit ex ſecunda prima acies: ab vltimis deinde ſubſidiis cietur miles*. Vltima haec ſubſidia fuerunt *Triarii*; nam ſecunda et tertia acies pariter, primae aciei ſubſidiariae fuerunt; vnde omnis exercitus, in *aciem* κατ' ἐξοχὴν, et *ſubſidia* fuit diuiſus. Ita ſane intelligi debent illa Frontini L. II. c. 3. §. 21. *Contra Coſs. aptiſſime diuiſis in cornua equitibus, legiones in prima acie et in ſubſidiis locauerunt, et iis immiſcuerunt auxilia*. Turpiter adeo alucinantur, qui illos anteſignanos *velites* fuiſſe ſibi aliisque perſuaſerunt. Teſtis ſit Liuius L. XXX. c. 33. *Vias patentes inter manipulos anteſignanorum velitibus (ea tunc leuis armatura erat) compleuit*. et paucis interiectis, *nec pila ab anteſignanis ceſſabant*: quis vero *pilanos* vmquam dixit velites? haec dixiſſe iam eſt refutaſſe. Ipſe Frontinus in eodem hoc ſtrategemate idem luculenter probat: *tum demum, ſublato vniuerſorum clamore, velites et leuem armaturam ingerere tela iuſſit*.

to vniuerforum clamore, velites et leuem armaturam ingerere tela iuffit. Quibus factis quadrigae hoftium aut inplicitae palis, aut exterritae clamore telisque, in fuos conuerfae funt, turbaueruntque Macedonum
30 inftructuram. Qua cedente quum Sulla ftaret, et Archelaus equitem obpofuiffet, Romani equites fubito emiffi, auerterunt eos, confummaruntque victoriam.

XVIII. C. Caefar Gallorum falcatas quadrigas eadem ratione palis defixis excepit, inhibuitque.

XIX. Alexander ad Arbela, quum hoftium multitudinem vereretur, virtuti autem fuorum fideret,
31 aciem in omnem partem fpectantem ordinauit, vt circumuenti vndique pugnare poffent.

XX. Paul-

30 *Inftructuram*] Noue dictum et a nemine alio adhibitum verbum pro *inftructione* et *pofitione exercitus pugnaturi*. Apud Ifidorum occurrit *inftructura parietum*; vt obferuat Falfter in fuppl. L. L. Verum hoc loco tres Cantabrigienfes, vterque Leidenfis, Hillensb. Gudian. et Voffian. cum ed. Parif. dant *ftructuram*: quod verbum apud optimum quemuis occurrit. Oudendorpius.

31 *Aciem i. o. part. fpectantem*] Hanc aciei formam Graeci Tactici *πλινθίον τετράγωνον* l. *τετραγώνυ σχήματος* appellant, qua acies in omnem partem fpectabat. Hac vtebantur Graeci, cum hoftiles fuperuentus ab omni parte timebantur. Aelianus Tact. cap. XLI. *λέγεται δὲ πλινθίον, τάγμα ἰσόπλευρον καὶ τῷ σχήματι καὶ τῷ ἀριθμῷ*. In bibliotheca Coisliniana anonymus Tacticus tradit, hanc aciei formam a Xenophonte, Grylli filio, vocatam fuiffe *διπλάσιον ἰσόπλευρον*: pro quo forte *διπλαίσιον* legendum: ex quo *πλαίσιον* apud Suidam, eadem referentem, remanfit: quafi *duplex πλαίσιον*. *διπλαίσιον* etiam apud Arrianum Tact. c. XL. vbi eadem Xenophontis verba adferuntur. Schefferus perperam dictum putat, legendumque *πλαίσιον*, quia vox ifta nullibi occurrit; ipfaque Xenophontis verba id probant Ἀναβασ. L. III. p. 240. edit. Hutchinf. Quod ad prius attinet, fateor me *διπλαίσιον* nullibi, fi loca allata excipiamus, reperiffe: (quot vero voces veteris Tacticae periiffe non putemus?) quod vero ad alterum: in loco allato, non de *πλινθίῳ*, fed de *πλαισίῳ* fermo eft: apud Arrianum vero et Anonymum Tacticum, Xenophon *πλινθίον* dicitur vocaffe *διπλαίσιον ἰσόπλευρον*. Malim igitur *ἐπέχειν*. Sicuti vero *πλινθίον* et *πλαίσιον* in eo conueniunt, quod funt *σχήματος τετραγώνυ*: ita in eo differunt, quod *πλινθίον* eft *τετράγωνον ἰσόπλευρον*: *πλαίσιον* autem *τετράγωνον ἑτερόμηκες*.

Verum

XX. Paullus aduerſus Perſen, Macedonum regem, quum is [32] phalangem ſuorum duplicem, mediam in partem direxiſſet, eamque leui armatura cinxiſſet, et equitem in vtroque cornu collocaſſet, [33] triplicem aciem cuneis inſtruxit, inter quos ſubinde velites emiſit. Quo genere quum profligari nihil videret, cedere inſtituit, vt hac ſimulatione perduceret hoſtes in confragoſa loca, quae ex induſtria captauerat. Quum ſic quoque ſuſpecta calliditate recedentium, ordinata ſequeretur phalanx, equites a ſiniſtro cornu praeter ora phalangis iuſſit transcurrere, citatis

Verum tamen haec vtriusque vocis differentia non adcurate a ſcriptoribus ſemper obſeruatur. Sic Polyaenus L. III. c. 10. §. 7. ἔταξε τὸ ϛρατόπεδον εἰς ἑτερόμηκες πλινθίον: pro quo dicendum fuiſſet πλαίσιον. Quamquam equidem nullus dubitem, Alexandrum Macedonem, Graecorum Tacticam ſecutum, aciemque in πλινθίȣ formam directam habuiſſe: Curtius tamen prodit, L. IV. c. 13. §. 31. eum *totam aciem orbe muniiſſe:* quo vtebantur Romani, cum ab omni parte incurrenti hoſti reſiſtere cogebantur. Salluſtius Iug. c. CII. *Denique Romani veteres nouique, et ob ea ſcientes belli, ſi quos locus, aut caſus coniunxerat, orbes facere: atque ita ab omnibus partibus ſimul tecti et inſtructi, hoſtium vim ſuſtentabant.* Quemadmodum vero Graeci, vbi hoſtis ab omni parte ſuſpectus eſſet, pugnae paratus, πλινθίον vel πλαίσιον adhibuere: ita Romani quoque, quando in hoſtico iter fecerunt, vel in conſpectum hoſtium venerunt, *quadrato agmine inſtructo* vſi fuerunt: quamquam magna omnino differentia inter Graecorum πλινθίον, et Romanorum *quadrum exercitum* interceſſit. Nam πλινθίον erat τετράγωνον ἰσόπλευρον: *quadratus Romanorum exercitus* non item: πλινθίον erat τετράϛομον: *quadrus exercitus* omnium ora ad frontem verſa habebat; niſi hoſtium vel *a lateribus*, vel *a tergo* impetus aliud ſuaderent.

32 *Phalangem duplicem*] Quomodo *duplicatio*, διπλασιασμὸς, ad denſandam vel longitudinem, vel altitudinem Phalangis facta fuerit, docet Aelianus Tact. c. XXVIII.

33 *Triplicem aciem cuneis inſtr.*] Paullus hic ſollennem Romanorum morem in acie inſtruenda ſecutus eſt, qui eam per *Haſtatos*, *Principes* et *Triarios*, et quidem manipulatim, viis quoque patentibus inter manipulos relictis, inſtruxerunt. Sic *Latinos*, qui antea Phalanges ſimiles Macedonicis habebant, poſtea manipulatim acies ſtruxiſſe, teſtis eſt Liuius L. VIII. c. 8. *Cuneus*, Graecis ἔμβολον, alias fuit multitudo peditum, quae iuncta acie primo anguſtior, deinde latior proceſſit, ſecundum Vegetium L. I. c. 19. Hic vero per *cuneos*, ſecundum Salmaſium de re mil. p. 25. a cuneorum theatralium forma, illi Romanae aciei *manipuli* intelliguntur. In confragoſa autem loca Paullus ideo perducere ſtuduit hoſtes,

equis actos, vt obiectis armis ipso inpetu [34] praefringerent hostium spicula: quo genere telorum [35] exarmati Macedones soluerunt aciem, et terga verterunt.

XXI. Pyrrhus pro Tarentinis apud Asculum, secundum [36] Homericum versum, quo pessimi in medium recipiuntur, dextro cornu Samnitas Epirotasque, sinistro Bruttios atque Lucanos cum Sallentinis, in media acie Tarentinos collocauit, equitatum et elephantos in subsidiis esse iussit. Contra Coss aptissime diuisis in cornua equitibus, legiones in prima acie et in subsidiis locauerunt, et iis inmiscuerunt auxilia. Quadraginta millia vtrimque fuisse constat. Pyrrhi dimi-

hostes, quia phalanx patentes campos requirit, et in angustis confragosisque locis sibi ipsa est impedimento. vid. not. ad L. II. c. 11. §. 1.

34 *Praefringerent*] Codices alii sistunt *perfringerent*; alii *praefingerent*. Vera autem scriptura est *praefringerent*, quam optimi libri seruant. *Per* enim et *prae* cum simpliciter posita; tum in compositis, saepe inter se confunduntur; sicque *perfracta* et *praefracta* saepe a librariis in vett. libris turbata reperiuntur. Sic vero Liuius L. VIII. c. 10. *Hastas aut praefregissent, aut hebetassent.* Eadem arte mari hostilium nauium *remi detergi* solebant; teste Floro L. I. c. 11. §. 8.

35 *Exarmati*] Maxima enim Phalangis vis in confertis hastis sita erat. Liuius L. XLIV. c. 41. *In medio secunda legio immissa dissipauit phalangem; neque vlla euidentior caussa victoriae fuit, quam quod multa passim praelia erant, quae fluctuantem turbarunt primo, deinde disiecerunt phalangem; cuius confertae et intentis horrentis hastis intolerabiles vires sunt.* Curtius L. III. c. 2. *Sed Macedonum acies torua et inculta, clypeis hastisque immobiles cuneos, et conferta robora virorum tegit.*

36 *Homericum versum*] Tactica sine vlla dubitatione ad antiquissima et Heroica illa tempora referri potest. Si Aelianum audimus, is Tacticam apud Graecos Homeri temporibus initium habuisse prodit, Tactic. Prooem. p. III. Homerum artis Tacticae peritissimum fuisse, si quid auctoritas valet, vel exinde colligi potest, quod Alexander, maximus post hominum memoriam rex, eius Iliada tanti fecisse fertur, vt paene omnem memoria tenuisse dicatur. Vnde insequenti aetate *Hermias*, *Stratocles* et *Frontinus* Homeri Tacticam sibi explicandam sumserunt, auctore Aeliano Tact. c. I. Versus, quem hic laudat Frontinus, exstat Iliad. Δ. 300.

— — *κακοὺς δ' ἐς μέσσον ἔλασσεν,*
Ὄφρα καὶ οὐκ ἐθέλων τις ἀναγκαίῃ πολεμίζῃ.

Plura in commentatione, de Tacticae veteris vtilitate, hoc ipso anno a me edita.

dimidia pars exercitus amiſſa, apud Romanos quinque millia deſiderata ſunt.

XXII. Cn. Pompeius aduerſus C. Caeſarem, [37] Palaepharſali triplicem inſtruxit aciem, quarum ſingulae denos ordines [38] in latitudinem habuerunt. Legiones, ſecundum virtutem cuiusque, firmiſſimas in cornibus, et in medio collocauit; ſpatia his interpoſita tironibus ſubpleuit, dextro latere ſexcentos equites, propter flumen Enipea, quod et alueo ſuo et alluuie regionem inpedierat, reliquum equitatum in ſiniſtro cornu cum auxiliis omnibus locauit, vt inde Iulianum exercitum circuiret. Aduerſus hanc ordinationem Iulius Caeſar et ipſe triplici acie, diſpoſitis in fronte legionibus, ſiniſtrum latus, ne circuiri poſſet, admouit paludibus. In dextro cornu equitem poſuit, cui velocisſimos miſcuit peditum, ad morem equeſtris pugnae exercitatos. Sex deinde cohortes in ſubſidio retinuit, ad res ſubitas: ſed dextro latere conuerſas in obliquum, vnde equitatum hoſtium exſpectabat, collocauit. Nec vlla res eo die plus ad victoriam

 Cae-

37 *Palaepharſali*] Variant antiqui libri in vocis huius ſcriptura, aliis παλαιοφάρσαλος, aliis vero παλαιφάρσαλος praeferentibus; quam poſteriorem vnice veram cenſet Oudendorpius, auctoritate Liuii L. XLIV. c. 1. et Strabon. L. IX. p. 439. ἀπὸ τῆς Παλαιφαρσάλου.

38 *Habuerunt in latitudinem*] MSS. octo, vel nouem meliores et ed. Pariſ. *in latitudinem habuerunt.* quod cur mutatum ſit, cauſſam non video. duo ex iis *latitudine* male. Verum non facile dixeris, quid Frontinus hoc loco intelligat per *ordines*. Coniicit Lipſius legendum *in altitudinem*; vel pro *denos*, M. ſeu *mille ordines*; vel etiam per *ordines* a Frontino indigitari cohortes denas, in ſingulis aciei frontibus in ordine ſuo ſtantes. V. Lipſius in Mil. Rom. L. IV. D. 8. Sic c. IV. §. 2. *Haſtatos ſubduxit ordinibus.* Adde Schel. ad Hygin. p. 315. *Latitudo* ergo erit τὸ μῆκος, ſeu *extenſio*, cum *altitudo* erit denſitas, καὶ τὸ βάθος, vt Graeci loquuntur. Verum errare virum doctiſſimum docuit idem illuſtris Schelius ibid. p. 283. etc. *Latitudo* enim in acie tactice ſignificat τὸ βάθος, ſeu *altitudinem*; *longitudo* autem τὸ μῆκος: at in agmine res contraria eſt. Decem vero ordines εἰς βάθος, iuſtus erat in acie inſtruenda numerus: vnde in Gloſſatio *Contubernium*, δεκαρχία, ἀκία, βάθος τῶν ἀκιῶν. Plura vide loco adducto. Oudendorpius.

Caesari contulit: effusum namque Pompeii equitatum inopinato excursu auerterunt, caedendumque tradiderunt.

XXIII. Imperator [39] Caesar Augustus Germanicus, quum subinde Catti equestre [40] proelium, in siluas refugiendo, diducerent, iussit suos equites, simul atque ad inpedita ventum esset, equis desilire, pedestrique pugna confligere. Quo genere consecutus est, ne quis non locus eius victoriam [41] miraretur.

XXIV. C. Duilius, quum videret graues suas naues mobilitate Punicae classis eludi, inritamque virtutem militum fieri, excogitauit manus ferreas: quae vbi hostilem adprehenderunt nauem, superiecto ponte, transgrediebatur Romanus, et in ipsorum ratibus cominus eos trucidabant.

CAP.

39 *Caesar Augustus*] Cod. Petrensis additum haber, *Domitianus*, quod nomen vel ex aliis codicibus excidit; vel ab aliena manu illustrationis caussa adiectum. Vbique noster, vbi de Domitiano loquitur, adponit Augusti titulum, vti obseruauit Oudendorpius, L. I. c. 1. 8.

40 *Proelium diducerent*] Stewechius pro inusitara hac locurione supponir, *ducerent proelium*: vti Cicero dicit *rem ducere* i. e. proferre. *Diducerent* est in Med. pr. et Voss. in reliquis MSS. et editionibus primis est *deducerent*; i. e. in siluas secum quasi traherent.

41 *Miraretur*] Plerique docti commentatores pro vulgata *miraretur*, volunt *moraretur* Sic Curtius L. IV. c. 15. §. 17. *Vnam esse vrbem, quae cursum victoris morari ausa esset.* Seneca suasor. 2. *Si nihil aliud, erimus certe belli mora.* Virgilius: *belli mora concidit Hector.* Florus L. IV. c. 9. *Mora publicae securitatis:* quae loca cum aliis illi laudant. Fatcor equidem, si MSS. libri adsicerent, τὸ *moraretur* me quoque, vt adcommodatissimam huic loco lectionem lubentissime amplecti. Cum vero alrera quoque non inconueniens sit, non video, cur inuitis omnibus MSS. loco suo moueatur. Ita sane Horatius L. IV. Od. XIV. v. 41.

Te Cantaber non ante domabilis,
Medusque et Indus, te profugus Scythes
Miratur.

Audacius quoque *non* eiici putat Oudendorpius, aliudque mendum latere.

CAP. IV.

De acie hostium turbanda.

Exemplum I.

Papirius Curſor filius, Conſul, quum aequo Marte aduerſus obſtinatos Samnites concurreret, ignorantibus ſuis, praecepit Spurio Nautio, vt pauci alares, et agaſones mulis inſidentes, ramosque per terram trahentes, a colle transuerſo magno tumultu decurrerent: quibus proſpectis, [1] proclamauit, victorem adeſſe collegam; occuparent ipſi praeſentis proelii gloriam: quo facto, et Romani fiducia concitati ſunt, et Samnites prae puluere perculſi terga vertere.

II. Fabius Rullus Maximus quarto Conſulatu in Samnio, omni modo fruſtra conatus aciem hoſtium [2] perrumpere, nouiſſime haſtatos [3] ſubduxit or-

1 *Proclamauit*] Hinc Tacticorum regula, quam refert Onoſander c. XXIII. Ἐμβοησάτω τοῖς φίλοις, (στρατηγὸς) νικῶσιν ἄνδρες, οἱ ἐπὶ τοῦ λαιοῦ, τὸ δεξιὸν κέρας τῶν πολεμίων· εἰ δ' ἐπὶ τοῦ λαιοῦ, νικᾷν λεγέτω τὸ φίλιον δεξιόν. etc. eo enim facto milites ἀναθαῤῥοῦσι, καὶ διπλάσιοι γίγνονται ταῖς προθυμίαις· οἱ δ' ἐχθροὶ — συγκαταπίπτουσι ταῖς διανοίαις. Adde Leon. c. XIV. §. III. Polyaenum L. V. c. 7. L. II. c. 1. §. 3.

2 *Perrumpere*] Pettenſis *irrumpere:* plures MSS. et edd. Italicae *prorumpere*, vt §. 17. *per* autem et *pro* ſaepius in antiquis libris turbari, alibi iam notauimus. Sic *perrumpere munitiones* apud Caeſarem B. Gall. L. III. c. 26. Sic Virgilius Aen. L. IX. 513. *tectam aciem perrumpere.* Ad eumdem modum apud Graecos, διαῤῥηγνύειν τὴν φάλαγγα. Onoſander c. XXI. συμβαίνει τοὺς πολεμίους διαῤῥήξαντας αὐτὴν (τὴν φάλαγγα), δίοδον ποιεῖσθαι. Leo c. XX. §. 151. τὴν παράταξιν διαῤῥῆξαι καὶ διελθεῖν.

3 *Subduxit ordinibus*] Si qua alia vox, certe *ordo*, πολύσημος eſt in re militari, cuius varios multiplicesque ſignificatus adferre longum foret. Si de *acie* vſurpatur per *manipulos*, vel *cohortes* inſtructa, per *ordines*, manipuli item ſeu cohortes intelliguntur, vti ſupra c. III. §. 22. *quarum ſingulae denos ordines in latitudinem habuerunt:* vbi *ordines* procul dubio *cohortes* erant. Liuius L. XXX. c. 33. *Inſtruit deinde primos haſtatos, poſt eos principes; triariis poſtremam aciem clauſit. Non confertas autem cohortes ante ſua quamque ſigna inſtruebat, ſed manipulos aliquantum inter ſe diſtantes,*

ordinibus, et cum Scipione, legato ſuo, circummiſit, iuſſitque collem capere, ex quo decurri poterat in hoſtium terga. Quod vbi factum eſt, Romanis creuit animus, et Samnites perterriti fugam molientes caeſi ſunt.

III. Minucius Rufus Imperator, quum a Scordiſcis Daciſque premeretur, quibus inpar erat numero, praemiſit fratrem, et paucos equites vna cum aeneatoribus; praecepitque, vt, quum vidiſſet contractum proelium, ſubitus ex diuerſo ſe oſtenderet, iuberetque aeneatores concinere. Sonantibus montium iugis, ſpecies ingentis multitudinis obfuſa eſt hoſtibus, qua perterriti dedere terga.

IV. [4] Acilius Glabrio Cos. aduerſus Antiochi regis aciem, quam is in Achaiam pro anguſtiis Thermopylarum direxerat, iniquitatibus loci non inritus tantum, ſed cum iactura quoque repulſus eſſet, niſi circummiſſus ab eo Porcius Cato, qui tum, iam conſularis, Tribunus militum a populo factus in exercitu erat, deiectis iugis Callidromi Aetolis, qui ea praeſidio tenebant, ſuper inminentem caſtris regiis collem, a tergo ſubitus adparuiſſet. Quo facto perturbatis Antiochi copiis, vtrinque inrupere Romani, et fuſis fugatiſque caſtra ceperunt.

V. C. Sulpicius Peticus Cos. contra Gallos dimicaturus, iuſſit muliones clam in montes proximos cum mulis abire, et indidem conſerto iam proelio, velut equis inſidentes oſtentare ſe pugnantibus: quare Galli exiſtimantes, aduentare auxilia Romanis, ceſſere iam pene victores.

VI. [5] Marius, circa aquas Sextias, quum in ani-

tes, vt eſſet ſpatium, quo elephanti hoſtium accepti nihil ordines turbarent.

4 *Acilius Glabrio*] Hanc hiſtoriam dedit Liuius L. XXXVI. c. 14. ſeqq.

5 *Marius*] De hoc ſtrategemate Marii adi Plutarchum p. 476. et Polyaenum L. VIII. c. 10. §. 2. qui tamen de agaſonibus et iumentis ne γρῦ quidem. Oudend.

animo haberet postera die depugnare aduersus Teutonos, Marcellum cum parua manu equitum peditumque noctu post terga hostium misit, et ad inplendam multitudinis speciem, agasones lixasque armatos simul ire iussit, iumentorumque magnam partem [6] instratorum centunculis, vt per hoc facies equitatus obiiceretur; praecepitque, vt, quum animaduertissent committi proelium, ipsi in terga hostium descenderent. Qui adparatus tantum terroris intulit, vt asperrimi hostes in fugam versi sint.

VII. Licinius Crassus, fugitiuorum bello apud [7] Calamarcum educturus militem, aduersus Castum et Gannicum duces Gallorum, duodecim cohortes cum C. Pomptinio et Q. Marcio Rufo legatis post montem circummisit: quae quum, commisso iam proelio, a tergo clamore sublato decucurrissent, ita fuderunt hostes, vt vbique fuga, nusquam pugna capesseretur.

VIII. M. Marcellus, quum vereretur, ne paucitatem eius militum clamor detegeret, simul lixas calonesque, et omnis generis sequelas conclamare iussit: atque ita hostem magni exercitus specie exterruit.

IX. Valerius Laeuinus, aduersus Pyrrhum, occi-

6 *Instratorum centunculis*] Nolim hic referre monstra lectionum, ab imperitis librariis inuectarum. Certo certius est, legendum esse fide Leid. pr. Gudian. et Petrensis *instratorum centunculis*. Sic Liuius L. VII. c. 14. *Mulis strata detrahi iubet, binisque tantum centunculis relictis, agasones partim captiuis, partim aegrorum armis ornatos imponit.* Instrata haec centunculis iumenta *equorum speciem* praefetebant, quos sequioris aeui Tactici *sagmarios*, a *σάγμα* vel *σάγμια*, *stratum*, *clitellae*, appellarunt; quorum meminit Vegetius L.II. c.10. *ἵππους σαγματαρίους* vocat Leo Tact. c. VI. §. 29.

7 *Calamarcum*] Calamatium placebat Cluuerio Ital. Ant. L. IV. p. 1256. qui putat idem fuisse, quod hodie *Capachio Vecchio*, et infra eodem modo scribendum esse. In Lucania rem gestam esse constat, non vero in Apulia, vt est apud Eutropium L. VI. c. 7. Montem indigitari patet quoque ex nostri verbis *post montem*, et in altero loco *praedicti montis*. Oudend.

occiso quodam gregali, tenens gladium cruentum, vtrique exercitui persuasit, [8] Pyrrhum interemtum. Quamobrem hostes destitutos se ducis morte credentes, [9] consternati a mendacio, se pauidi in castra receperunt.

X. Iugurtha, in Numidia, aduersus C. Marium, quum Latinae quoque linguae vsum ei [10] conuersatio pristina castrorum dedisset, in primam aciem procurrit, et occisum ab se C. Marium tum Latine [11] clare praedicauit: atque ita multos nostrorum auertit.

XI. Myronides Atheniensis, dubio proelio aduersus Thebanos rem gerens, repente in dextrum suorum cornu prosiluit, et exclamauit, sinistro iam se vicisse: qua re et suis alacritate, et hostibus metu iniecto, vicit.

XII. [12] Croesus praeualido hostium equitatui came-

3 *Pyrrhum interemtum*] Inter Strategicas regulas, ex eiusmodi strategematibus deductas, hanc quoque refert Onosander c. XXIII. βοῆσαι — τέθνηκεν ὁ τῶν πολεμίων ςρατηγὸς, ἢ βασιλεὺς, ἢ ὅςις ἂν ποτε ᾖ. καὶ ταῦτα χρὴ βοᾷν ὅτως, ὡς θαῦμα, καὶ τὺς πολεμίυς καταπλήττειν. Cui succinit Leo c. XX. §. 159. Adde Dionysium Halicarn. p. 613. l. 40. et nostri §. 10. 11. L. II. c. VII. §. 10.

9 *Consternati a mendacio*] Hinc Onosander c. XXIII. δεῖ τὸ ψεῦδος ἀναγκαῖον εἰπεῖν, ὅπυ μέγα νεῖκος ὁρᾷ ἐν.

10 *Conuersatio pristin. castror.*] Iugurtha nimirum bello Numantino a Micipsa Numidis, quos ille socius et amicus populi Romani in Hispaniam miserat, fuit praefectus, vbi sua virtute in tantam claritudinem breui peruenerat, vt omnibus militibus, ipsique P. Scipioni, qui tum Romanis imperator erat, vehementer carus esset, vt prodit Sallustius B. Iug. c. VII.

11 *Clare praedicauit*] Quidam Codd. *clamare coepit*, inter quos Vaticanus atque antiquior Mediceus; nec non edd. Rom. Bonon. Wechel. quam equidem veram censeam esse scripturam. Sallustius B. Iug. c. 101. *Ibi Latine (nam apud Numantiam loqui didicerat) exclamat, nostros frustra pugnare: paullo ante Marium sua manu interfectum: simul gladium sanguine oblitum ostendere, quem in pugna, satis impigre occiso pedite nostro, cruentauerat.* Sic etiam Onosander c. XXIII. χρὴ βοᾷν ὅτως, ὡς θαῦμα, καὶ τὺς πολεμίυς καταπλήττειν, et noster §. 11. *prosiluit, et exclamauit.*

12 *Croesus*] Hic omnino cum Gronouio et Cupero legendum *Cyrus*: huic enim relatum a nostro

melorum gregem obpoſuit: quorum nouitate et horrore conſternati equi, non ſolum inſidentes praecipitauerunt, ſed peditum quoque ſuorum ordines protriuerunt, vincendosque hoſti praebuerunt.

XIII. Pyrrhus, Epirotarum rex, pro Tarentinis aduerſus Romanos, eodem modo elephantis ad perturbandam aciem vſus eſt.

XIV. Poeni quoque aduerſus Romanos idem fecerunt frequenter.

XV. Volſcorum caſtra quum prope virgulta ſiluasque poſita eſſent, Camillus ea omnia, quae conceptum ignem vſque in vallum perferre poterant, incendit: et ſic aduerſarios exuit caſtris.

XVI. P. Craſſus, bello ſociali, eodem modo prope cum copiis omnibus interceptus eſt.

XVII. Hiſpani contra Hamilcarem boues vehiculis adiunctos in prima fronte conſtituerunt, vehiculaque taedae, ſebi, et ſulphuris plena, ſigno pugnae dato, incenderunt: actis deinde in hoſtem bubus, conſternatam aciem perruperunt.

XVIII. Faliſci et Tarquinienſes, compluribus ſuorum in habitum ſacerdotum ſubornatis, faces et angues furiali habitu praeferentibus, aciem Romanorum turbauerunt.

XIX. Idem Veientes et Fidenates facibus adreptis fecerunt.

XX. Atheas, rex Scytharum, quum aduerſus ampliorem Triballorum exercitum confligeret, iuſſit a feminis et pueris, omnique inbelli turba, greges aſinorum ac boum ad poſtremam hoſtium aciem admo-

ſtro Strategema tribuunt Herodotus L. I. 80. et Polyaenus L. VII. c. 6. §. 6. quorum auctoritate etiam pro *horrore* reponendum *odore*; ſiquidem vterque habent ὀδμὴν, vocem ipſi rei conuenientiorem. Vtrique tamen ſcripturae quodammodo fauent illa Polyaeni: ἵππος δὲ καμήλυ φεύγει καὶ τὴν ὄψιν καὶ τὴν ὀδμήν. ita vt ὄψις ad *horrorem*; ὀδμὴ ad *odorem* poſſit referri.

moueri, et erectas hastas [13] praeferre. Famam deinde diffudit, tamquam auxilia sibi ab vlterioribus Scythis aduentarent: qua adseueratione auertit hostem.

CAP. V.

De Insidiis.

Exemplum I.

Romulus, per latebras copiarum parte disposita, quum ad Fidenas accessisset, simulata fuga temere hostes insecutos eo perduxit, vbi occultos habebat milites: qui vndique adorti effusos et incautos ciderunt.

II. Q. Fabius Maximus Cos. auxilio Sutrinis missus aduersus Hetruscos, omnes hostium copias in se conuertit: deinde simulato timore, in superiora loca, velut fugiens, recessit, effuseque subeuntes adgressus, non acie tantum superauit, sed etiam castris exuit.

III. Sempronius Gracchus aduersus Celtiberos, metu simulato, continuit exercitum. Emissa deinde armatura leui, quae hostem lacesseret, ac statim pedem referret, euocauit hostem: deinde inordinatos adgressus, vsque eo cecidit, vt etiam castra caperet.

IV. Metellus Cos. in Sicilia bellum aduersus Hasdrubalem gerens, ob eius ingentem exercitum et centum triginta elephantos intentior, simulata diffidentia, intra Panormum copias tenuit, fossamque ingentis magnitudinis ante se duxit. Conspecto deinde exer-

13 *Praeferre*] Notandum, *iussit a feminis admoueri et praeferre*; quod retinent MSS. omnes. Saepe quidem *iubeo* cum Infinitiuo actiuo construitur sine adiuncto casu eius, qui iubetur, vt latius videbimus ad c. V. §. 46. Sed eo modo, vt hic, praecedente Ablatiuo cum Praepositione *ab* alii verbo iuncto, et sensu postulante, vt eaedem personae subintelligantur in sequenti verbo, vereor, vt vmquam inueniri possit, et ne hoc loco sit rescribendum *praeferri*. Oudendorpius.

exercitu Hasdrubalis, qui in prima acie elephantos habebat, praecepit hastatis, tela in belluas iacerent, protenusque se intra monumenta reciperent. Ea [1] ludificatione rectores elephantorum concitati, in ipsam fossam elephantos egerunt: quo vt primum inlaqueati sunt, partim magnitudine telorum confecti, partim retro in suos acti, totam aciem turbauerunt. Tunc Metellus, hanc operiens occasionem, cum toto exercitu erupit, et adgressus a latere Poenos cecidit, ipsisque et elephantis potitus est.

V. Tomyris, Scytharum regina, Cyrum Persarum ducem, aequo Marte certantem, simulato metu elicuit ad notas militi suo angustias, atque ibi, repente conuerso agmine, natura loci adiuta, deuicit.

VI. Aegyptii conflicturi acie in eis campis, quibus iunctae paludes erant, alga eas contexerunt, commissoque proelio, fugam simulantes, in insidias hostes euocauerunt: qui rapidius vecti per ignota loca, limo inhaeserunt, circumuentique sunt.

VII. Vi-

1 *Ludificatione*] Quid sit *ludificatio* in praeliis, et quid *ludificari*, vel ipse hic locus quodammodo potest declarare. *Ludificari* nimirum hostem dicebantur, qui eum procurrendo lacessebant, ac protinus se recipiebant: cuiusmodi *ludificatione* velites maxime ante iustum praelium vti solebant, qui cum pugnae initium fecissent, mox cedentes intra manipulos resiluerunt. Vegetius L. I. c. 20. Onosander c. XIX. Sic *Tacfarinas, vbi instaretur, cedens, ac rursum in terga remeans, irritum fessumque Romanum impune ludificatus* dicitur apud Tacitum Annal. L. III. c. 21. Apud nostrum §. 8. *Fuluius imperator, Celtiberico bello, collatis cum hoste castris, equites iussit succedere ad munitiones eorum, lacessitisque barbaris, simulata fuga recedere:* eaque *ludificatio* inprimis apud equites obtinuit. Luculentissimum eiusmodi *ludificationis* exemplum olim praebuerunt Parthi, quibus ea fuit ratio, vt simulata fuga repente conuersi aduersus temere insecutos praelium redintegrarent. Huc spectant illa Onosandri c. XXI. οὐκ ἄχρηστον δέ ποτε καὶ ἀντιπαραταξάμενον, ὑπὸ πόδα τῷ στρατεύματι χωρεῖν, cet. εἶτα αὖθις μεταβαλλόμενον ἀντεπιέναι. Plura de hac voce Wasse ad Sallust. Iug. B. c. LIV. et Ducker. ad Flori L. I. c. 2. §. 8.

VII. Viriathus, ex latrone dux [2] Celtiberorum, cedere se Romanis equitibus simulans, vsque ad locum voraginosum et praealtum eos perduxit: et quum ipse per solidos ac notos sibi transitus euaderet, Romanos ignaros locorum, inmersosque limo cecidit.

VIII. Fuluius Imperator, [3] Celtiberico bello, collatis cum hoste castris, equites suos iussit succedere ad munitiones eorum, lacessitisque barbaris, simulata fuga recedere. Hoc quum per aliquot dies fecisset, auide insequentibus Celtiberis, animaduertit, castra eorum solita nudari: itaque per partem exercitus custodita consuetudine, ipse cum expeditis post castra hostium consedit occultus, effusisque eis ex more, repente adortus, et desertum proruit vallum, et castra cepit.

IX. Cn. Fuluius, quum in finibus nostris exercitus Faliscorum, longe nostro maior, castra posuisset, per suos milites quaedam procul a castris aedificia succendit, vt Falisci, suos id fecisse credentes, spe praedae diffunderentur.

X. [4] Alexander ex Epirotis, aduersus Illyrios, collocata in insidiis manu, quosdam ex suis habitu Illy-

2 *Celtiberorum*] *Celtiberorum* si dedit auctor, aperte sibi ipse contradixit: nam alibi ait, eum contra Celtiberos, qui in partibus Romanorum erant, rem gessisse. Nam caput gentis Celtibericae Segobrigam ab eo saepius infestatam fuisse refert L. III. c. 10. 6. c. 11. 4. et L. IV. c. 5. 22. Vnde suspicio mihi nata est, an non simpliciter scripserit Frontinus *ex latrone dux*, et vox Celtiberorum irrepserit huc e margine, ad seq. exemplum ab lectore vel librario doctiore, aut pro varia lectione adposita. Nam illic de Celtiberis, non de Cimbris agi, statim videbimus. Oudendorpius.

3 *Celtiberico bello*] Omnes MSS. codices, teste Oudendorpio, pertinaciter seruant *Cimbrico*, quod plane cum historiae veritate pugnare, docere potest Liuius L. XL. c. 31. vbi diserte hoc strategema, de captis per insidias *Celtiberorum* castris, *Q. Fuluio Flacco* tribuit.

4 *Alexander ex Epirotis*] Non contemnenda est cl. Wesselingii coniectura, quam deinceps vidi confirmatam a Cantabr. tertio, *rex Epirotarum*. Si vulgatum quis retinere mauult, debet supplere *regibus*, quod durius tamen. Alexander, non Macedo ille, sed vnus Epirotarum regum. De hac significatione Praepositionis *ex*, agemus ad huius libri c. IX. §. 5. *In Adduum ex Megistanis*. Oudendorpius.

lyriorum instruxit, et iussit vastare suam (id est Epiroticam) regionem: quod quum Illyrii viderent fieri, ipsi passim praedari coeperunt, eo securius, quod praecedentes veluti pro exploratoribus habebant: a quibus ex industria in loca iniqua deducti, caesi fugatique sunt.

XI. [5] Leptines quoque Syracusanus, aduersus Carthaginienses, vastari suos agros, et incendi villas castellaque quaedam imperauit. Carthaginienses ab suis id fieri rati, et ipsi tamquam in adiutorium exierunt, exceptique ab insidiatoribus, fusi sunt.

XII. Maharbal, missus a Carthaginiensibus aduersus Afros rebellantes, quum sciret, gentem auidam esse vini, magnum eius modum mandragora permiscuit, cuius inter venenum ac soporem media vis est. Tunc, proelio leui commisso, ex industria cessit: nocte deinde intempesta, relictis intra castra quibusdam sarcinis, et omni vino infecto, fugam simulauit: quumque barbari, occupatis castris, in gaudium effusi, medicatum auide merum hausissent, et in modum defunctorum strati iacerent, reuersus aut cepit eos, aut trucidauit.

XIII. Hannibal, quum sciret, sua et Romanorum castra in eis locis esse, quae lignis deficiebantur, ex industria in regione deserta plurimos armentorum greges intra vallum reliquit: qua velut praeda Romani potiti, in summis lignationis angustiis, insalubribus se cibis onerarunt. Hannibal reducto nocte exercitu, securos eos et semicruda graues carne, maiorem in modum vexauit.

XIV. Tiberius Gracchus, in Hispania, certior factus, hostem inopem [6] commercio laborare, instru-

5 *Leptines Syracusanus*] Hoc strategema, mutatis paucis, refert Polyaenus L. V. c. 8.

6 *Commercio laborare*] *Commercium* hic idem est, quod Graecorum *ἀγορὰ*, et *locum* vbi res venum

ſtructiſſima caſtra omnibus eſculentis deſeruit: quae adeptum hoſtem, et repertis intemperanter repletum grauemque, reducto exercitu, ſubito obpreſſit.

XV. [7] Hi, qui aduerſus Erythraeos bellum gerebant, ſpeculatorem eorum, in loco edito deprehenſum, occiderunt, et veſtem eius ſuo militi dederunt: qui ex eodem iugo Erythraeos ſigno dato in inſidias euocauit.

XVI. Arabes, quum eſſet nota conſuetudo eorum, qua de aduentu hoſtium interdiu fumo, [8] nocte igne ſignificare inſtituerant, vt ſine intermiſſione ea

num exponuntur, ſignificat, quod ἐμπόριον dicit Aeneas Tacticus c. X. et *res ipſas venum expoſitas* in caſtris, *commeatum* ciborum omniumque eorum, quae ad milites ſuſtentandos pertinent. Quare inter ſtrategica praecepta: φροντίζειν περί τε ἀγορᾶς, καὶ τῆς τῶν ἐμπόρων, καὶ κατὰ γῆν καὶ κατὰ θάλατταν, παραπομπῆς. Onoſand. c. VI. Recte adeo Arrianus p. VI. inter eos, qui exercitum ſequuntur, τὸ ἐμπορικὸν ἢ καπηλικὸν memorat; nec minus Aelianus Tact. c. II. omni exercitu in μάχιμον et ἄμαχον diuiſo, τῶν ἀγοραίων mentionem facit. Adde Leon. c. IX. §. 25. c. XI. §. 7. Conſtantin. Tact. p. XVII. XXXIX. XLVII. Xenophont. Cyrop. p. 140. 250. 373. Polyb. T. I. p. 686. Rei antiquitatem ex ipſa eius neceſſitate metiri licet. Sic apud Homerum Iliade I. v. 72. Πλεῖαί τοι οἴνου κλισίαι cet. De ipſa voce ἀγορὰ erudite differentem vid. Caſaubon. ad Polybium p. 183. *Commercio laborare*, ex Aeneae Tact. c. X. σπανίζειν τῆς ἀγορᾶς, σίτου cet. reddere poſſis.

7 *Hi*] In MSS. nonnullis legitur, *ii*, vel *Hii*, vt eſt quoque apud Sanutum: vnde addita littera *c* facio *Chii*. Hi enim cum incolis *Erythrarum*, vel *Erythrae* (nam vtrumque dicitur) vrbis itidem bellum geſſerunt: cuius meminerunt Herodotus L. I. c. 18. Plutarchus de virtut. Mulier. T. II. p. 244. ed. Pariſ. et Polyaenus L. VIII. c. 66. In textum hanc correctionem recepiſſem, niſi me inhiberet vnicus noſtri locus L. III. c. 15. §. 3. *Hi, qui ab Hannibale Caſilini obſidebantur*: vbi tamen ſatis patet, intelligi milites illic incluſos. Oudend.

8 *Nocte igne*] Habuerunt veteres ſuos ſpeculatores, qui aduentum hoſtium, certis ſignis ſuis nunciauerunt; erantque *diurni*, ἡμεροσκόποι, qui interdiu excubias in locis editioribus egerunt; vel *nocturni*, φρυκτωροὶ et πυρσευταὶ dicti, qui facibus ſublatis, ex arboribus, vel turribus ad id excitatis, res hoſtium ſignificarunt. vid. Aeneas Tacticus c. VI. Onoſander c. V. et quae alia ibi notauimus. Adde etiam noſtri §. XVII. Tria genera ſignorum, *vocalia, ſemiuocalia* et *muta* ponit Vegetius L. III. c. 5. vbi inter muta *puluerem ad ſimilitudinem nubium excitatum*, et *flammas per noctem* refert.

ea fierent, praeceperunt, aduentantibus autem aduersariis intermitterentur. Qui quum, cessantibus luminibus, existimarent, ignorari aduentum suum, auidius ingressi, obpressique sunt.

XVII. Alexander Macedo, quum hostis in saltu editiore castra communisset, seducta parte copiarum, praecepit his, quos relinquebat, vt ex more ignes excitarent, speciemque praeberent totius exercitus: ipse autem, per auias regiones circumducta manu, hostem superiore adgressus loco depulit.

XVIII. Memnon Rhodius rex, quum equitatu praeualeret, et hostem in collibus se continentem in campos vellet deducere, quosdam ex militibus suis, sub specie perfugae, misit in hostium castra, qui adfirmarent, exercitum Memnonis tam perniciosa seditione furere, vt et subinde aliqua pars eius dilaberetur. Huic adfirmationi vt fidem faceret, passim in conspectu hostium iussit parua castella muniri, velut in ea se recepturi essent, qui diffidebant. Hac persuasione sollicitati, qui in montibus se continuerant, in plana descenderunt, et, dum castella tentant, ab equitatu circumuenti sunt.

XIX. [9] Arybas, rex Molossorum, bello petitus ab Ardie Illyrio, maiorem aliquanto exercitum habente, amolitus inbelles suorum, in vicinam regionem Aetoliae famam sparsit, tamquam vrbes ac res suas Aetolis concederet. Ipse cum iis, qui arma ferre poterant, insidias in montibus et locis confragosis distribuit. Illyrii timentes, ne, quae Molossorum erant, ab Aetolis occuparentur, velut ad praedam festinantes, neglectis ordinibus, adcelerare coeperunt: quos

 diffi-

9 *Arybas*] Varie hoc nomen in antiquis libris scribitur. Graece Ἀρύβας et Ἀρύμβας. Henr. Valesius legi vult: *Harribas, rex Molossorum, bello petitus a Bardylie Illyrio.* Huius autem Bardylis, Illyriorum regis, mentio occurrit apud Diodorum Siculum L. XVI. c. 4. et Plutarchum in Pyrrho p. 487. vbi eius filiam Pyrrhus in matrimonium duxisse dicitur.

dissipatos, nihil tale exspectantes, Arybas ex insidiis fudit fugauitque.

XX. T. Labienus, C. Caesaris legatus, aduersus Gallos, ante aduentum Germanorum, quos auxilio his venturos sciebat, confligere cupiens, diffidentiam simulauit, positisque in diuersa ripa castris, profectionem edixit in posterum diem. Galli credentes, eum fugere, flumen, quod medium erat, instituerunt transmittere. Labienus, circumacto exercitu, inter ipsas superandi amnis difficultates eos cecidit.

XXI. Hannibal, quum explorasset, negligenter castra Fuluii Romani ducis munita, ipsum praeterea multa temere audere, prima luce, quum densiores nebulae praestarent obscuritatem, paucos equites munitionum nostrarum vigilibus ostendit: quo Fuluius repente mouit exercitum. Hannibal per diuersam partem castra eius occupauit: et illà in tergum Romanorum effusus, octo millia fortissimorum militum cum ipso duce trucidauit.

XXII. Idem Hannibal, quum inter Fabium Dictatorem et Minucium Magistrum equitum diuisus esset exercitus, et Fabius occasionibus inmineret, Minucius pugnandi cupiditate flagraret, castra in campo, qui medius inter hostes erat, posuit: et quum partem peditum in confragosis rupibus celasset, ipse ad euocandum hostem misit, qui proximum tumulum occuparent. Ad quos obprimendos, quum eduxisset copias Minucius, insidiatores, ab Hannibale dispositi, subito consurrexerunt, et delessent Minucii exercitum, nisi Fabius periclitantibus subuenisset.

XXIII. Idem Hannibal, quum ad Trebiam in conspectu haberet Sempronii Longi Cos. castra, medio amne interfluente, saeuissima hieme Magonem et electos in insidiis posuit. Deinde Numidas equites, ad

ad [10] eliciendam Sempronii credulitatem, adequitare vallo eius iussit: quibus praeceperat, vt ad primum nostrorum incursum per nota refugerent vada. Hos Consul et adortus temere, et secutus, ieiunum exercitum in maximo frigore transitu fluminis rigefecit. Mox torpore et inedia adfectis Hannibal suum militem obposuit, quem ad id [11] ignibus, oleoque, et cibo fouerat: nec vero defuit partibus Mago, quin terga hostium in hoc ordinatus caederet.

XXIV. Idem ad Thrasymenum, quum arta quaedam via [12] in radice montis in campos patentes duce..., simulata fuga per angustias ad patentia euasit, ibique castra posuit, ac nocte dispositis militibus, et per collem, qui inminebat, et in lateribus angustiarum, prima luce, nebula quoque adiutus, aciem direxit. Flaminius velut fugientem insequens, quum angustias esset ingressus, non ante prouidit insidias, quam simul a fronte, lateribus, tergo circumfusus, ad internecionem cum exercitu caederetur.

XXV. Idem Hannibal, aduersus Iunium Dictatorem, nocte intempesta sexcentis equitibus imperauit, vt in plures turmas segregati, [13] per vices sine inter-

 missione

10 *Eliciendam*] Varia est scriptura in MSS. Receptam ipse Liuius probat L. XXI. c. 54. *Numidas equites transgressos flumen Trebiam obequitare iubet hostium portis, iaculandoque in stationes elicere ad pugnam hostem.*

11 *Ignibus oleoque*] Idem Florus L. II. c. 6. §. 12. *Tunc callidissimi hostes frigidum et niualem nacti diem, cum se ignibus prius oleoque fouissent, (horribile dictu) homines a meridie et sole venientes, nostra nos hieme vicerunt.*

12 *In radice montis*] In vulgatis legebatur *in radices montis et campos.* Vnice autem verum putat Oudendorpius, quod seruat Palatinus, *in radice montis in campos.* Idque confirmare videtur Liuius L. XXII. c. 4. *Et iam peruenerant ad loca insidiis nata, vbi maxime montes Cortonenses Thrasymenus subit. Via tantum interest perangusta, velut ad id ipsum de industria relicto spatio: deinde paullo latior patescit campus, inde colles adsurgunt,* cet.

13 *Per vices sine intermissione*] Quid faciendum sit imperatori, si *castellum*, aut *vrbem*, aut *vallum* celeriter expugnare cupiat, docent illa Onosandri c. XLII. p. 122. praecepta: 1) μηδὲ μίαν ὥραν ἀποστῆναι τῶν ἐρυμάτων. 2) εἰς τάγματα διελεῖν τὸ στράτευμα. 3)

missione circa castra hostium se ostentarent. Ita tota nocte Romanis in vallo, statione ac pluuia, quae forte continua fuerat, inquietatis confectisque, quum receptui signum iam Iunius dedisset, Hannibal suos requietos eduxit, et castra eius inuasit.

XXVI. Epaminondas Thebanus, in eumdem modum, quum Lacedaemonii [14] Athmon vallo ducto Peloponneson tuerentur, paucorum opera leuis armaturae, tota nocte inquietauit hostem: ac deinde prima luce vocatis suis, quum Lacedaemonii se recepissent, subito vniuersum exercitum, quem quietum habuerat, admouit, et per ipsa munimenta, destituta propugnatoribus, inrupit.

XXVII. Hannibal, directa acie ad Cannas, [15] sexcentos equites Numidas transfugere iussit: qui ad fidem faciendam gladios et scuta nostris tradiderunt, et in vltimum agmen recepti, vbi primum concurri coepit, strictis minoribus, quos occultauerant, gladiis, scutis iacentium adsumtis, Romanorum aciem ceciderunt.

XXVIII. [16] Iapydes P. Licinio Procos. pagos quo-

3) κύκλῳ τινὶ περιάγεσθαι: quae obseruasse hic callidissimum ducem, ex nostri Frontini verbis manifeste apparet.

14 *Athmon*] Variant valde eruditorum virorum coniecturae in loci huius scriptura; aliis *ad Isthmum*, vt olim Palmerio visum; aliis *ad Onion*; aliis *ad Athmon* legentibus. *Ad Isthmum*, iudice Stewechio probabit, quisquis Plutarchum in Theseo, in M. Crasso et in Arato; Strabonem L. VIII. Ptolemaeum L. III. c. 16. aliosque consulerit; et huic coniecturae tauet inter alios magnus Casaubonus ad Polyaeni L. II. c. 2. §. 9. *Ad Onium* probabile reddit Polyaenus l. c. ἐπειδὴ τὸ Ὄνειον κατεῖχε φυλακὴ Λακωνική. *Ad Athmon* asserit communis omnium codicum MSS. consensus, quam lectionem nos quidem omnino retinendam censemus; nisi quod praepositio *ad*, quae in MSS. deficit, est addenda, quae facile a priori syllaba v. *Athmon* potuit absorberi. Praeterquam enim quod *Athmon* probant MSS. loca propinqua saepe a scriptoribus inuicem ponuntur; nec veri videtur simile, *Athmon*, pagum illum Atticae, imperitis librariis in mentem venisse, nisi antiquiores libri hanc lectionem praetulissent.

15 *Sexcentos*] Hos plerique quingentos, alii quadringentos fuisse memorant. Consule notata a cl. Drackenborchio ad Silium L. X. 187. sqq. Oudend.

16 *Iapydes*] In vulgatis est *Iapyges*. Verum hi Italiam; illi, *Ia-*

quoque ſub ſpecie deditionis obtulerunt: qui recepti, et in poſtrema acie collocati, terga Romanorum ceciderunt.

XXIX. Scipio Africanus, quum aduerſa haberet bina hoſtium caſtra, Syphacis et Carthaginienſium, ſtatuit Syphacis, vbi multa incendiis alimenta erant, adgredi nocte, ignemque iniicere, vt ea re Numidas quidem ex ſuis caſtris trepidantes caederet; Poenos autem, quos certum erat ad ſuccurrendum ſociis procurſuros, inſidiis diſpoſitis, exciperet. Vtrumque ex ſententia ceſſit.

XXX. Mithridates, a Lucullo virtute frequenter ſuperatus, inſidiis eum adpetiit, Adathante quodam, eminente viribus, ſubornato, vt transfugeret, et fide parta hoſtis, facinus perpetraret. Quod is ſtrenue quidem, ſed ſine euentu conatus eſt. Receptus enim a Lucullo in gregem equitum, [17] non ſine tacita cuſtodia habitus eſt: quia nec credi ſubito transfugae, nec inhiberi reliquos oportebat. Quum dein, frequentibus excurſionibus, promptam et enixam operam exhiberet, fide adquiſita, tempus elegit, quo miſſa [18] principia quietem omnibus caſtrenſibus dabant, praetoriumque ſecretius praeſtabant. Caſus adiuuit

Iapydes, Illyricum incoluerunt; quos ſine dubio Frontinus hic intelligit. Videtur omnino hic eſſe Licinius, de quo in Epitome Liuiana XLIII.

17 *Non ſine cuſtodia*] Immo vero transfugas magna cura ſeruandos; et pro re nata in vinculis interdum habendos eſſe, prudenter monent ſtrategici ſcriptores, Onoſander c. X. p. 7. Leo c. XVII. §. 43. 116. Iulius Africanus c. LXX. Mauricius L. VIII. p. 180. ſeqq. L. IX. c. III. Vegetius L. III. c. 6. Exempla praebet Polyaenus L. VII. c. 10. §. 8. et c. 12.

18 *Principia*] *Miſſa principia*, idem notat, ac *miſſum praetorium*; cum legati, tribuni, centuriones, aliique, qui in caſtrorum principiis, cum duce conſilii communicandi aliusue rei cauſſa, ab imperatore dimittuntur, ac diſcedunt: nec enim principales notat milites. Adi omnino I. Frider. Gronouium Obſeru. L. IV. c. 10. et ad Liuium L. XXI. c. 54. *Ita praetorium miſſum.* Alibi ſaepius, *dimiſſo praetorio.* Immo hoc ipſum reperias apud noſtrum L. IV. 1. 28. *perſtare in principiis, donec mitterentur, imperauit.* Adde illuſtr. Schelium ad Polybii caſtra p. 147. Oudend.

Lucullum. Nam qui ad vigilantem vſque admitteretur, fatigatum [19] nocturnis cogitatibus illo tempore quieſcentem inuenit. Quum deinde, tamquam nuntiaturus aliquid ſubitum ac neceſſarium, intrare vellet, et pertinaciter a ſeruis, valetudini domini conſulentibus, excluderetur, veritus, ne ſuſpectus eſſet, equis, quos ante portam paratos habebat, ad Mithridatem refugit inritus.

XXXI. Sertorius, in Hiſpania, quum apud Lauronem oppidum vicina caſtra Pompeii caſtris haberet, et duae tantummodo regiones eſſent, ex quibus pabulum peti poſſet, vna in propinquo, altera longius ſita, [20] eam, quae in propinquo erat, ſubinde ab leui armatura infeſtari, vlteriorem autem vetuit ab vllo armato adiri, donec perſuaſit aduerſariis, tutiorem eſſe, quae erat remotior: quam quum petiiſſent Pompeiani, Octauium Graecinum cum decem cohortibus in morem Romanorum armatis, et decem Hiſpanorum leuis armaturae, et Tarquitium Priſcum cum duobus millibus equitum ire iubet ad inſidias tendendas pabulatoribus. Illi ſtrenue imperata faciunt. Explorata enim locorum natura, in vicina ſilua nocte praedictas copias abſcondunt, ita vt in prima parte leues Hiſpanos, aptiſſimos ad furta bellorum, ponerent; paullo interius ſcutatos, in remotiſſimo equites, ne fremitu equo-

19 *Nocturnis cogitatibus*] Vere Homerus Iliad. B. 24.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα,

Ὧι λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε.

Cuius prudentiſſimi dicti rationem reddit Onoſander c. I. Ἐν νυκτὶ γὰρ ὡς τὰ πολλὰ, ψυχῆς ἠρεμούσης, στρατηγοῦ γνώμη τελειοῦται. Cui adſtipulantur Leo c. II. §. 4. c. XX. §. 5. 7. Mauricius L. VIII. p. 175. 192.

20 *Eam*] Ita pro vulgata *ea*, ſeptem MSS. auctoritate reſcripſit Oudendorpius, ipſa orationis ſerie id poſtulante. Sicuti apud Graecos Infinitiui ſaepe ab ellipſi verbi κελεύειν, inprimis apud legislatores pendent: ita Latini quoque Infinitiuos frequenter, ſuppreſſa voce *iuſſit*, ponere ſolent. vid. I. F. Gronouius Obſeru. L. IV. 2. Burmannus ad Phaedri L. IV. fab. XVII. v. 31. vbi alios quoque laudat, qui hanc locutionis formam notarunt.

equorum cogitata proderentur. Quiescere omnes silentio seruato in horam tertiam diei iubet. Quum deinde Pompeiani securi curuatique pabulo de reditu cogitarent, et ii quoque, qui in statione fuerant, quiete inuitati ad pabulum colligendum dilaberentur, emissi primum Hispani, velocitate gentili in palantes effunduntur, et conuulnerant confunduntque nihil tale exspectantes: prius deinde, quam resisti his [21] inciperet, scutati erumpunt e saltu, et redeuntes in ordinem consternunt, vertuntque: fugientibus equites inmissi, toto eos spatio, quo redibatur in castra, persecuti caedunt: curatum quoque, ne quis effugeret. Nam reliqui ducenti et quinquaginta equites, praemissi facile per compendia itinerum effusis habenis, antequam ad castra Pompeii perueniretur, conuersi, occurrerunt eis, qui primi fugerant. Ad cuius rei sensum Pompeio emittente legionem cum D. Laelio in praesidium suorum, subducti in dextrum latus [22] velut cesserunt equites: deinde, et quum ita legionem hanc a tergo infestarent, quum iam etiam a fronte, qui pabulatores persecuti erant, incursarent, sic legio quoque inter duas acies hostium cum legato suo elisa est: ad cuius praesidium Pompeio totum educente exercitum, Sertorius quoque e collibus suos instructos ostendit, effecitque, ne [23] Pompeio expediret. Ita praeter

21 *Inciperet*] Medic. pr. *inciperetur*, quod hic quidem magis probatur.

22 *Velut cesserunt*] Cod. Palat. *velut fugientes cesserunt*: bene, ni fallor. *Cederent* Medic. pr. duo Cantabr. et Leid. sec. *hanc a tergo*, vt loquuntur cum nostro ceteri omnes sexcenties, ac singulis fere paginis. v. Heins. ad Fast. Ouid. I. 92. Florus L. III. 11. IV. 2. Sallust. c. 92. Supra L. I. c. 5. 10. 11. L. III. 9. 6. et vbique. Adde ad L. III. 9. Oudend.

23 *Pompeio expediret*] Abrupta oratio ex contextu supplenda: *in aciem producere exercitum*. Quare Guietus aliquid excidisse censet. Medic. pr. *Pompeius*. Medic. sec. *expedirent*. Non male Petrensis, probante etiam clar. Wasse: *ne Pompeio egredi expediret*: quod tamen in textum ex vnico codice admittere non ausus fui. Propior vero eiusdem est coniectura, *P. id expediret*. Quid si, *P. ea expedirent*, e Medic. cod.] Mox *itaque* Medic. sec. et Leid. sec. Sed vid. ad L. I. 3. 5. Oudend.

ter duplex damnum, eadem ſollertia inlatum, ſpectatorem quoque eum cladis ſuorum continuit. Hoc primum proelium inter Sertorium et Pompeium fuit: decem millia hominum de Pompeii exercitu amiſſa, et omnia inpedimenta, Liuius auctor eſt.

XXXII. Pompeius, in Hiſpania, diſpoſitis ante, qui ex occulto adgrederentur, ſimulato metu deduxit inſtantem hoſtem in [24] loca inſeſſa: deinde vbi res popoſcit, conuerſus, et in fronte et vtriſque lateribus ad internecionem cecidit, capto etiam duce eorum Perperna.

XXXIII. Idem aduerſus Mithridatem, in Armenia numero et genere equitum praeualentem, tria millia leuis armaturae, et quingentos equites nocte in valle ſub virgultis, quae inter bina caſtra erant, diſpoſuit: prima deinde luce in ſtationem hoſtium emiſit equites ita [25] formatos, vt, quum vniuerſus cum exercitu hoſtium equitatus proelium iniſſet, [26] ſeruatis ordinibus, paullatim cederent, donec ſpatium darent conſurgendi a tergo ob hoc diſpoſitis. Quod poſtquam ex ſententia contigit, conuerſis, qui terga dediſſe videbantur, medium hoſtem trepidantem cecidit; ipſos

24 *Loca inſeſſa*] Quidam codices habent *infeſta*, quae lectio in vulgatis quoque exhibetur. Leid. pr. et Palat. veriorem ſcripturam ſeruant *inſeſſa*, quam recte Oudendorpius in textum recepit; et antecedentia verba, *diſpoſitis ante, qui ex occulto adgrederentur*, probare poſſunt. *Inſeſſa* nimirum *loca* hic ſunt, quae alias *inſidiae*, Vegetio *ſubſeſſae* dicuntur L. III. c. 6. c. 22. et in quibus hoſti inſidiae ſtruuntur ad eum occulte adgrediendum. Sicuti vero *ſubſeſſae* a *ſubſidendo*; ita *inſeſſa*, aeque ac *inſidiae*, ab *inſidendo* nomen traxerunt; vnde *inſidiatores* Graeci quoque ἐφέδρους τοῦ πολέμου, ἀπὸ τοῦ ἐφεδρεύειν, appellarunt. Onoſander c. XXII. Adde not. ad c. XXI. p. 21. Eodem participio, praeter alios, vtitur Tacitus Annal. L. XII. c. 43. *Inſeſſum diris auibus Capitolium.*

25 *Formatos*] Pro vulgata *firmatos* Petrenſis vere *formatos*. vid. Burmann. ad Velleii L. II. c. 110. Graeuium ad Iuſtin. L. XX. c. 4. Liuium L. XLIV. c. 1. *Ad militarem diſciplinam formatus miles.* Oudend.

26 *Seruatis ordinibus*] Nihil magis nullo non tempore veteris militiae duces Tacticique ſcriptores, quam *ſeruare ordines* commendarunt. Onoſander c. V. et c. XXVII. et quos ibi laudauimus.

ipſos etaim equos, pedite cominus accedente, confodit: eoque proelio fiduciam regi, quam in equeſtribus copiis habebat, detraxit.

XXXIV. Craſſus, bello fugitiuorum, apud Cathenam bina caſtra cominus cum hoſtium caſtris vallauit: nocte deinde commutatis copiis, manente praetorio in maioribus caſtris, vt fallerentur hoſtes. ipſe omnes copias eduxit, et in radicibus praedicti montis conſtituit: diuiſoque equitatu, praecepit L. Quinctio, partem Spartaco obiiceret, pugnaque eum fruſtraretur; parte alia Gallos Germanosque ex factione Caſti et Gannici eliceret ad pugnam, et pugna ſimulata deduceret, vbi ipſe aciem inſtruxerat. Quos quum barbari inſecuti eſſent, equite recedente in cornua, ſubito acies Romana adaperta cum clamore procurrit. Triginta quinque millia armatorum eo proelio interfecta cum ipſis ducibus [27] Liuius tradit, receptas quinque Romanas aquilas, ſigna ſex et viginti, multa ſpolia, inter quae quinque faſces cum ſecuribus.

XXXV. C. Caſſius in Syria aduerſus Parthos ducens aciem, equitem oſtendit a fronte, quum ab tergo peditem in confragoſo loco occultaſſet: dein, cedente equitatu, et per nota ſe recipiente, in praeparatas inſidias perduxit exercitum Parthorum, et cecidit.

XXXVI. Ventidius, Parthos et Labienum alacres ſucceſſibus victoriarum, dum ſuos ipſe per ſimulationem metus continet, euocauit, et in loca iniqua deductos, adgreſſus per obreptionem, adeo debellauit, vt, [28] deſtituto Labieno, prouincia excederent Parthi.

XXXVII.

27 *Liuius tradit*] Hac de re ita adhuc Epitome Liuiana XCVII. *M. Craſſus praetor primum cum parte fugitiuorum, quae ex Gallis Germanisque conſtabat, feliciter pugnauit, caeſis inimicorum XXXV millibus, et duce eorum Granico. Cum Spartaco deinde bellauit, caeſis cum ipſo millibus XL.*

28 *Deſtituto Labieno*] Vulgo hic contra Hiſtoriae veritatem edebatur

XXXVII. Idem aduerſus [29] Pharnaſtanis Parthos, quum ipſe exiguum numerum militum haberet, illis autem fiduciam ex multitudine videret increſcere, ad latus caſtrorum octodecim cohortes in obſcura valle poſuit, equitatu poſt terga peditum collocato. Tum paucos admodum milites in hoſtem miſit: qui vbi ſimulata fuga hoſtem effuſe ſequentem, vltra locum inſidiarum perduxere, coorta a latere acies, praecipitatis in fugam Parthis, in his Pharnaſtanem interfecit.

XXXVIII. C. Caeſar, ſuis et Afranii caſtris contrarias tenentibus planicies, quum vtriuſque partis plurimum intereſſet, colles proximos occupare, idque propter ſaxorum aſperitatem eſſet difficile, tamquam Ilerdam repetiturum retro agmen ordinauit, [30] faciente inopia fidem deſtinationi. Intra breuiſſimum deinde ſpatium, exiguo circuitu flexit repente ad montes occupandos. Quo viſu perturbati Afraniani, velut captis caſtris, et ipſi effuſo curſu eoſdem montes petiere: quod futurum quum praediuinaſſet Caeſar, partim peditatu, quem praemiſerat, partim ab tergo ſubmiſſis equitibus, inordinatos eſt adortus.

XXXIX.

batur *deſtituti*. Optime Medicei, Cantabrig. tert. Vaticanus et Leidenſis ſic, *deſtituto*, vti etiam correxit illuſtr. Schelius ad Hygin. p. 142. quod tamen non ita capiendum eſt, quaſi ſedata mente eum deſtituerint, ac recuſauerint ſequi eum ducem. Confuſius haec acta ſunt. Quippe reliquis hiſtoricis conſentiens auctor, intelligit primam Ventidii contra Parthos victoriam, qua victi ſunt, antequam ſe Labieno iunxerant, et terga dantes οὐ πρὸς τὸν Λαβιῆνον, ἀλλ' ἐς Κιλικίαν ἔφυγον, atque adeo, deſtituto Labieno, prouincia exceſſerunt. Hinc poſtea Labienum, dein Pharnapaten, et tandem Pacorum vicit. Conſule praeter multos alios Dionem L. XLVIII. p. 381. Oudend.

29 *Pharnaſtanis*] Nulla huius *Pharnaſtanis* mentio occurrit apud ſcriptores, qui illud Parthicum bellum memoriae prodiderunt. Quare *Pharnapaten* tam hic, quam infra legendum cenſet Oudendorpius, quem a Ventidio victum et interfectum tradunt Dio L. XLVIII. p. 381. Plutarchus in Antonio p. 930. Hanc coniecturam confirmare videtur Leid. MS. qui *Parthum* et *illi* ſeruat.

30 *Faciente inopia fidem*] Ita nimirum Afraniani milites ſibi perſuaſerant, vt refert Caeſar L. I. B. ciu. c. 69.

XXXIX. Antonius, apud Forum Gallorum, quum Panſam Cos. aduentare comperiſſet, inſidiis per ſilueſtria Aemiliae viae diſpoſitis, agmen eius excepit, fuditque, et ipſum eo vulnere adfecit, quo intra paucos dies exanimaretur.

XL. Iuba rex, in Africa, bello ciuili, Curionis animum ſimulato regreſſu inpulit in vanam alacritatem: cuius ſpei vanitate deceptus Curio, dum tamquam fugientem Saburam, regium prafectum, perſequitur, deuenit in patentes campos: vbi Numidarum circumuentus equitatu, [31] perdito exercitu, cecidit.

XLI. Melanthus, dux Athenienſium, quum prouocatus a rege hoſtium Xantho Boeotio, deſcendiſſet ad pugnam, vt primum cominus ſtetit, Inique, inquit, Xanthe, et contra pactum facis: aduerſus ſolum enim cum altero proceſſiſti. Quumque admiratus ille, quiſnam ſe comitaretur, reſpexiſſet, auerſum vno ictu confecit.

XLII. Iphicrates Athenienſis, ad Cherroneſum, quum ſciret, Lacedaemoniorum ducem Anaxibium exercitum pedeſtri itinere ducere, firmiſſimam manum militum eduxit e nauibus, et in inſidiis collocauit: naues autem [32] omnium, tamquam onuſtas milite, palam tranſnauigare iuſſit. Ita ſecuros, et nihil [33] exſpectantes Lace-

31 *Perdito exercitu*] *Perdito* in pleriſque MSS. pro quo Mediceus vetuſtior habet *predito*, vnde facile vera ſcriptura *prodito* erui poteſt; cum *prodere* et *perdere* in antiquis libris ſaepius inuicem ſoleant confundi. *Prodere* nimirum dicitur, qui demandatis partibus male fungitur, ac ſecus, quam par eſt; vel mala mente, vel etiam prauo errore agit: vnde frequenter apud veteres ſcriptores, *prodere exercitum*, *patriam*, *ſalutem*, *vitam*, quamquam nulla vera proditio interceſſit. vid. I. F. Gronouius Obſeru. L. III. c. 20. Drakenb. ad Silium Ital. L. XVI. v. 621. Heinſius ad Ouidii Faſtor. L. III. v. 113.

32 *Omnium*] Non placet hoc. Sanutus et Medicei, *omnes*. Fuerit forſan, *naues autem*, *omni t. o. milite*. Oudendorpius.

33 *Exſpectantes*] Oudendorpius coniectat, hic forte legendum *ſuſpicantes* vel *ſuſpectantes*: vt vero ab communi fere Codd. conſenſu diſcedamus, opus haud videtur; cum ſatis conſtet, *exſpectare*, vt Graecorum προσδοκᾶν et προσδο-

Lacedaemonios a tergo [34] adgreſſus in itinere, obpreſſit, fuditque.

XLIII. Liburni, quum vadoſa loca obſediſſent, capitibus tantum eminentibus, fidem fecerunt hoſti alti maris, ac triremem, quae eos perſequebatur, implicatam vado ceperunt.

XLIV. Alcibiades, dux Athenienſium, in Hellesponto aduerſus [35] Mindarum, Lacedaemoniorum ducem, quum amplum exercitum, et plures naues haberet, nocte expoſitis in terram quibuſdam militum ſuorum, parte quoque nauium poſt quaedam promontoria occultata, ipſe cum paucis profectus, ita vt contemtu ſui hoſtem inuitaret, eumdem inſequentem fugit, donec in praeparatas inſidias perduceret. Auerſum deinde, et egredientem in terram, per eos, quos ad hoc ipſum expoſuerat, cecidit.

XLV. Idem, nauali proelio decertaturus, conſtituit malos quoſdam in promontorio, praecepitque his, quos ibi relinquebat, vt, quum commiſſum proelium ſenſiſſent, panderent vela. Quo facto conſecutus eſt, vt hoſtes aliam claſſem in auxilium ſuperuenire ei arbitrati, verterentur.

XLVI. Memnon Rhodius, nauali proelio, quum haberet ducentarum nauium claſſem, et hoſtium naues elicere ad proelium vellet, ita ordinauit ſuos, vt pau-

προσδοκία, interdum apud ſcriptores pro *metuere* poſitum reperiri. Vtramque nimirum in partem τὸ *exſpectare* vſurpari ſolet; quod, alia omittamus, probant illa Velleii Paterc. L. II. c. 75. *Quis fortunae mutationes, quis dubios rerum humanarum caſus ſatis mirari queat? quis non diuerſa praeſentibus, contrariaque exſpectatis aut ſperet, aut timeat?*

34 *Adgreſſus in itinere*] Vulgo legebatur *ingreſſus itinere*. Cum vero 2 Reg. Medicei, Leid. ſec. et Cantabrig. tert. habeant *adgreſſus*; inſuperque Sanutus ſeruet *in itinere*, veram ſcripturam, *adgreſſus in itinere* merito in textum recepit Oudendorpius.

35 *Mindarum*] Ex MSS. Italicis hoc ineptum mendum, quo *Numidarum* pro *Mindarum* legebatur, in editiones irrepſit, teſte doctiſſimo commentatore. *Mindarum* autem legi debere, praeter Codd. MSS. probant etiam Iuſtinus L. V. c. 4. et Polyaenus L. I. c. 40. §. 9. primusque id perſpexit Iſaacus Voſſius, qui *aduerſus Mindarum* reponendum curauit.

paucarum nauium malos [36] erigeret, easque primas agi iuberet. Hoſtes autem procul conſpicati numerum arborum, et ex eo nauium quoque coniectantes, obtulerunt ſe certamini, et a pluribus occupati ſuperatique ſunt.

XLVII. Timotheus, dux Athenienſium, aduerſus Lacedaemonios nauali acie decertaturus, quum inſtructa claſſis eorum ad pugnandum proceſſiſſet, ex velociſſimis nauibus viginti praemiſit, quae omni arte varioque flexu eluderent hoſtem. Vt primum deinde ſenſit, minus agiliter moueri aduerſam partem, progreſſus, [37] praelaſſatos facile ſuperauit.

CAP. VI.

De emittendo hoſte, ne clauſus proelium ex deſperatione redintegret.

Exemplum I.

Gallos, eo proelio, quod Camilli ductu geſtum eſt, deſiderantes nauigia, quibus Tiberim tranſirent, Senatus cenſuit transuehendos, et commeatibus quoque [1] proſequendos. Eiuſdem generis hominibus poſtea per

36 *Erigeret*] Scriuerius in margine edit. Bonon. poſuit *erigere*, quod arriſit Oudendorpio, qui ſimilem locum attulit Lucani L. X. 347.

vt colla ferire
Caeſaris et ſocerum iungi tibi,
Magne, iuberet.

et Caeſaris L. I. B. Ciu. c. 6. *Naues conquirere, et Octogeſam adduci iubent.* Vulgata tamen non minus recte ſe habet, aliisque exemplis ſe tuetur. vid. not. ad L. III. c. 5. §. 1.

37 *Praelaſſatos*] In vulgatis eſt *progreſſos*, minus recte. Veram eſſe ſcripturam *praelaſſatos*, declarant illa Polyaeni L. III. c. 10. §. 12. *διὰ τάχους τοὺς πολεμίους πεπονηκότας διώξας.* et §. 6. *οἱ μὲν δὴ πολέμιοι πονέσαντες εἰρεσίᾳ.*

1 *Proſequendos*] Vulgo *perſequendos*. Sicuti vero *per* et *pro* ſubinde in antiquis libris miſcentur: ita hic MSS. et Edd. primarum auctoritate omnino reponendum *proſequendos*, quod comitatis et officii verbum eſſe nemo ignorat. Cicero L. XV. ad diuerſ. ep. 10. *Domus tua denique tota me ſemper omnibus ſummis officiis proſecuta eſt.* Suetonius Caeſ. c. XXVII. *liberrimo congiario proſe-*

per Pomptinum agrum fugientibus via data eſt, quae Gallica adpellatur.

II. L. Marcius, eques Romanus, cui, duobus Scipionis occiſis, exercitus imperium detulit, quum circumuenti ab eo Poeni, ne inulti morerentur, acrius pugnarent, laxatis manipulis, et conceſſo fugae ſpatio, diſſipatos ſine periculo ſuorum trucidauit.

III. C. Caeſar Germanos incluſos, ex deſperatione fortius pugnantes, emitti iuſſit, fugientesque adgreſſus eſt.

IV. Hannibal, quum ad Thraſymenum incluſi [2] Romani acerrime pugnarent, [3] diductis ordinibus fecit eis abeundi poteſtatem, euntesque ſine ſuorum ſanguine ſtrauit.

V. An-

ſequebatur: vbi itidem Codd. Memm. et Cuiac. corrupte exhibent *perſequebatur.* Hinc *proſequi* etiam de iis adhibebatur, qui digredientes comitabantur. Plinius Paneg. c. LXXXVI. §. 3. *cum digredientem proſequereris! Proſecutus enim, nec temperaſti tibi* cet. Notandum vero hic, duces rei militaris peritos ſemper cauiſſe, ne hoſtes ad deſperationem redigerentur. Nam vbi eſt

Vna ſalus victis, nullam ſperare ſalutem: ibi *ex deſperatione creſcit audacia, et cum ſpei nihil eſt, ſumit arma formido,* vt habet Vegetius L. III. c. 21. et Onoſander c. XXXVIII. χαλεπαὶ δὲ αἱ πρὸς τὰς ἀπεγνωσμένας πεῖραι μάχης. Hinc Scipio viam hoſtibus, qua fugiant, muniendam eſſe praecepit: et Iphicrates non cogendum eſſe hoſtem monuit ἐξ ἀπονίας μάχεσθαι. v. Polyaen. L. III. c. 9. §. 2. Romani quoque tunc maxime erant φοβερώτατοι, ὅταν αὐτὰς περιέστη φόβος, ſecundum Polybium L. III. c. 75.

2 *Romani*] Hic locus denuo luculenter probat, etiam in corruptiſſimis locis pertinacem interdum eſſe MSS. Codd. conſenſum. Omnes enim, quos adhuc euoluere licuit, veteres libri manifeſto corruptam ſcripturam *Germani* tuentur: pro quo eruditiſſimi viri recte *Romani* repoſuerunt, quibus tunc, non vero Germanis, cum Hannibalis copiis pugnandum fuit. Error autem ſine dubitatione ex praecedentis exempli verbis, *Germanos incluſos,* ortum duxit.

3 *Diductis*] Omnino pro *deductis,* quod in vulgatis legitur, reuocandum *diductis.* Sic L. II. c. 3. §. 8. *diductis in latera viribus. De* et *di* in antiquis libris ſaepius turbantur, vt exempla in iis obuia ſatis aperte declarant: vid. Drakenb. ad Silii L. XV. v. 187. Quod Romanis eſt *diducere* l. *laxare ordines,* Graecis dicitur λύειν τὰς τάξεις, quod frequenter apud Graecos Tacticos occurrit. v. Onoſander c. XXI. qui alias diligenter id cauendum monent.

V. Antigonus, rex Macedonum, Aetolis, qui in obſidionem ab eo compulſi, fame vrguebantur, ſtatuerantque, eruptione facta, commori, viam fugae dedit: atque ita infracto inpetu eorum, inſecutus [4] auerſos cecidit.

VI. Ageſilaus Lacedaemonius, aduerſus Thebanos, quum acie confligeret, intellexiſſetque, hoſtes, locorum conditione clauſos, ob deſperationem fortius dimicare: laxatis ſuorum ordinibus, apertaque Thebanis ad euadendum via, rurſus in abeuntes contraxit aciem, et ſine iactura ſuorum cecidit auerſos.

VII. Cn. Manlius Cos, quum ex acie reuerſus, capta ab Hetruſcis Romana caſtra inueniſſet, omnibus portis ſtatione circumdatis, incluſos hoſtes in eam rabiem efferauit, vt ipſe in proelio caderet. Quod vt animaduerterunt legati eius, [5] ab vna parte remota ſtatione, exitum Hetruſcis dederunt, et effuſos perſecuti, occurrente altero Conſule Fabio, ceciderunt.

VIII. Themiſtocles, victo Xerxe, volentes ſuos pontem rumpere prohibuit, quum docuiſſet [6] cautius

 eſſe,

4 *Auerſos*] In quibusdam codicibus corrupte legitur *aduerſos*: quod librariorum vitium plura cum aliorum ſcriptorum, tum noſtri Frontini loca infecit. e. g. L. II. c. 8. §. 6. pro *auerſo* eſt *aduerſo*. et §. 7. pro *auerſum*, *aduerſum exercitum* quidam Codd. habent. Corruptionem ipſa res hic oſtendit, cum hoſtes in fugam verſi, non *aduerſi*, ſed *auerſi* caedantur. vid. ad c. III. §. 3. Nam *ἐκπληκτικωτάτη καὶ δραστηριωτάτη ἡ κατὰ νώτου τῶν πολεμίων ἐπιβολή*. Onoſander c. XXII. Vnde Polyaenus de Ageſilao L. II. c. 1. §. 19. *κατὰ τὴν οὐραγίαν* (auerſis) *ἐπέκειτο, καὶ οὐκ ἔτι φόνος ἦν ἀμφοτέρων, ἀλλὰ μόνων τῶν φευγόντων*.

5 *Ab vna parte*] Leid. ſec. *ex vna*. Praecedit *omnibus portis ſtatione circumdatis*. Hinc malo hic ſcribere *ab vna porta remota ſtatione*. Conſentit Liuius: *ni legati rapto conſulis corpore patefeciſſent vna porta hoſtibus viam. Ea erumpunt, conſternatoque agmine abeuntes in victorem alterum incidunt conſulem*. Oudend.

6 *Cautius eſſe*] MSS. omnes cum edd. Italicis et Pariſ. habent *aptius*: ſed Leidenſis primus *captius*. Vaticanus caret τῷ *eſſe*. Qua re omnino legendum cenſeo *cautius eſſe*, ſiue prudentius: quod pro-

esse, eum expelli ex Europa, quam cogi, ex desperatione pugnare. Idem misit ad eum, qui indicaret, in quo periculo esset, nisi fugam maturaret.

IX. Pyrrhus, Epirotarum rex, quum quamdam ciuitatem cepisset, clausisque portis ex vltima necessitate fortiter dimicantes eos, qui inclusi erant, animaduertisset, locum illis ad fugam dedit.

X. Idem inter cetera [7] praecepta imperatoria memoriae tradidit, non esse pertinaciter instandum hosti fugienti: [8] non solum, ne fortius ex necessitate resisteret, sed vt postea quoque facilius acie cederet, ratus

probatione non eget, nisi quis malit *satius esse*. Si *potius* esset in MSS. id nequaquam mutandum esse censerem. Nunc praestare τὸ *cautius* omnino videtur. Oudend. Scriptura *potius*, quae in impressis quibusdam est exemplaribus, dissentientibus Codd. MSS. non arridet. Τὸ *aptius* vero, quod omnium veterum librorum consensu se tuetur, equidem huic loco satis aptum esse censeam. Sicuti enim prudentissimo illo Themistoclis consilio Graecia liberata est, vt ait Nepos c. V. §. 3. ita omnino ad Graeciae salutem *aptius conuenientiusque* dici potest, eum ex Europa expulsum, quam coactum fuisse, ex desperatione pugnare. Eodem fere modo Cicero de Amicit. c. V. *Nihil est enim tam naturae aptum, tam conueniens, ad res vel secundas, vel aduersas.*

7 *Praecepta imperatoria*] Pyrrhi eiusque legati Cyneae Strategica scripta tanta fuerunt famae celebritate, vt fere in prouerbium apud veteres de viro rei militaris perito abiisse videatur, secundum Ciceron. ad diuers. L. IX. ep. 25. *Pyrrhi te libros et Cyneae video lectitasse.* Vid. ad L. II. c. III. §. 21.

8 *Non solum ne*] MS. *ne non solum a se fortius.* τὸ *ratus* exulat a MSS. Codd. Tennul. Eodem modo exaratum est quoque in meis omnibus, ac Edd. priscis. Med. pr. *ne non solum ab se.* Gudianus, *ne non solum a se ne fortius.* Infra vero *acie* abest a Mediceis, et edd. Italicis. Forsan scribendum, *ne non solum acie* etc. *facilius cederet.* Hoc sensu: ne hostis sciens, sibi fugienti tam pertinaciter instari, fortius in ipsa acie tibi resistat, non solum; sed contra, vt hostis sciens, sibi non pertinaciter instari, postea facilius cedat. Melius me hinc non expedio. Dein *ratus* abest quoque a MSS. meis et Edd. antiquis, sed pro eo post *victores* Petrensis addit *credens*, et Leidensis sec. interponit *dum scirent, victores se non satis prosequi.* Verum haec posteriora mihi perquam suspecta sunt, et e lemmate per lectorem quemdam adposito videntur nata, vt tale lemma fuerit, *non vsque ad perniciem fugientibus instaturos victores.* Verum tamen agnoscit quoque Sanutus, qui totum hoc exemplum ad verbum transscribens, habet *non solum ne f. e. n. resistant, sed vt facilius cedant; quoque postea facilius est, non v. ad p. instaturos victores.* Oudendorpius.

ratus non vſque ad perniciem fugientibus inſtaturos victores.

CAP. VII.

De diſſimulandis aduerſis.

Exemplum I.

[1] Tullius Hoſtilius, rex Romanorum, commiſſo aduerſus Veientes proelio, quum Albani, deſerto exercitu Romanorum, proximos peterent tumulos, eaque res turbaſſet noſtrorum animos, clare pronuntiauit, iuſſu ſuo Albanos id feciſſe, vt hoſtem [2] circumueniret. Quae res et terrorem Veientibus, et Romanis fiduciam adtulit: [3] remque inclinatam conſilio reſtituit.

II. L. Sulla, quum praefectus eius, comitante non exigua equitum manu, commiſſo iam proelio, ad hoſtes transfugiſſet, pronuntiauit, iuſſu ſuo id factum: eaque ratione militum animos non tantum a confuſione retraxit, ſed quadam etiam ſpe vtilitatis, quae id conſilium ſecutura eſſet, confirmauit.

 III. Idem

1 *Tullus Hoſtilius*] Hic Romanorum rex *omnem militarem diſciplinam artemque bellandi condidit*, auctore Floro L. I. c. 3. Immo ipſum hoc callidum conſilium duce ſtrategicae artis perito fuit digniſſimum. Ita ſane Onoſander c. XXIII. Καὶ γὰρ δὴ τὸ ψεῦδος ἀναγκαῖον εἰπεῖν, ὅπȣ μέγα νεῖκος ὤρωρεν. Inſignem hac de re locum ſeruat Herodotus L. III. c. 72. Hac arte Quintius Aequos Volſcosque, cum ad medium vſque diei dubio Marte fuiſſet pugnatum, ſuperauit, teſte Dionyſio Hal. L. IX. p. 613.

2 *Circumueniret*] Non contemnenda eſt varietas lectionis, quam praeferunt Codd. Medicei, *circumuenirent*, ita vt Pluralis ad Albanos referatur: confirmatque Polyaenus L. VIII. c. 5. Ἀλβανοὶ δὲ ἀπίασι κυκλωσόμενοι τȣ̀ς πολεμίȣς.

3 *Remque inclinatam*] *Aciemque inclinatam* habet Petrenſis, vt Velleius quoque, Valerius Maximus aliique non raro loquuntur. Nihilominus opinor, meram hic eſſe gloſſam. Nam et in praelio *inclinata res* ſaepe. Liuius L. II. c. 47. *ni rem inclinatam ſuſtinuiſſet*. L. XLII. c. 59. *primo ſpectator certaminis, deinde inclinata re, maximo vſui fuit.* Hinc metaphorice Cicero ad Famil. I. 1. *Laboratur vehementer: inclinata res eſt.* et Petronius c. 38. *vbi ſemel inclinata res eſt.* Oudendorpius.

III. Idem, quum auxiliares eius missi ab ipso, circumuenti ab hostibus et interfecti essent, vereretur que, ne propter hoc damnum vniuersus trepidaret exercitus, pronuntiauit, auxiliarios, qui ad defectionem conspirassent, consilio a se in loca iniqua deductos. Ita manifestissimam cladem vltionis simulatione velauit, et militum animos hac persuasione confirmauit.

IV. Scipio, quum Syphacis legati nuntiarent ei regis sui nomine, ne fiducia societatis eius ex Sicilia in Africam transiret, veritus, ne confunderentur animi suorum abscissa peregrina societate, dimisit [4] propere legatos, et famam diffudit, tamquam vltro a Syphace arcesseretur.

V. Q. Sertorius, quum acie decertaret, barbarum, qui ei nuntiauerat, Hirtuleium periisse, pugione traiecit, ne et in aliorum id notitiam perferret, et ob hoc animi suorum infirmarentur.

VI. Alcibiades Atheniensis, quum ab Abydenis proelio vrgueretur, subitoque magno cursu tristem aduentare tabellarium aduertisset, prohibuit palam dicere, quid adferret. Dein secreto sciscitatus, a Pharnabazo, regio praefecto, classem suam obpugnari, celatis et hostibus et militibus praelium finiit; ac protenus ad eripiendam classem ducto exercitu, suis opem tulit.

VII. Hannibalem venientem in Italiam tria millia [5] Carpetanorum reliquerunt: quos ille, exemplo

4 *Propere*] In vulgatis est *ire legatos*. Veteres quidam Codd. habent *per relegatos*. tert. Regius et Voss. *pro re legatos*. quas corruptas lectiones ex verae scripturae, *propere*, compendio arbitror profluxisse: cuius vestigia deprehendimus apud Liuium L. XXIX. c. 24. *Scipio quamquam magno momento rerum in Africa gerendarum, magnaque spe destitutus erat, legatis propere, priusquam res vulgaretur, remissis in Africam, litteras dat ad regem.* Receptam lectionem, quam primus coniectando restituit Modius, confirmat etiam Cod. Petrensis, notante Wasse ad Sallustii B. C. c. 34.

5 *Carpetanorum*] Pro deprauata lectione *Carpentariorum*, quam et

emplo ne et ceteri mouerentur, edixit, ab se esse dimissos, et insuper, in fidem eius rei, [6] paucos leuissimae operae domos remisit.

VIII. L. Lucullus, quum animaduertisset, Macedonas equites, quos in auxilio habebat, subito consensu ad hostem transfugere, signa canere iussit, et turmas, quae eos sequerentur, inmisit Hostis committi proelium ratus, transfugientes telis excepit Macedonas: qui quum viderent, neque recipi se ab aduersariis, et premi ab iis, quos deserebant, necessario ad iustum proelium conuersi, hostem inuaserunt.

IX. [7] Datames, dux Persarum, aduersus Autophradaten in Cappadocia, quum partem equitum suorum transfugere comperisset, ceteros omnes venire secum iussit, adsecutusque transfugas, collaudauit, quod eum alacriter praecessissent, hortatusque est eos etiam, vt fortiter hostem adorirentur. Pudor transfugis adtulit poenitentiam, et consilium suum, quia non putabant deprehensum, mutauerunt.

X. T. Quinctius Capitolinus Cos, cedentibus Romanis, ementitus est, [8] in altero cornu hostes fugatos: et ita, confirmatis suis, victoriam retulit.

XI. [9] Cn. Manlius, aduersus Hetruscos, vulne-

et MSS. quidam Codd. et libri impressi exhibent, recte olim restituit *Carpetanorum* Casaubonus ad Polyaen. L. II. c. 10. §. 4. Diserte *Carpetanorum* mentionem facit Liuius L. XXI. c. 23. *Postquam per Pyrenaeum saltum traduci exercitus coeptus est, rumorque per barbaros manauit certior de bello Romano, tria millia inde Carpetanorum peditum iter auerterunt.*

6 *Paucos*] Immo vero *supra septem milia hominum domos remisit, quos et ipsos grauari militiam senserat, Carpetanos quoque ab se dimissos simulans*; auctore Liuio, loco ante laudato.

7 *Datames*] In Cappadocia hoc [illegible]tum, contra Artabazum refert Diodorus Sic. L. XV. p. 399. Oudendorpius.

8 *In altero cornu*] Hinc inter praecepta strategica sollers hoc consilium refert Onosander c. XXIII. Ipsam rem refert Liuius L. II. c. 64. *Et Romani, quia paucitas damno sentiendo propior erat, gradum retulissent, ni salubri mendacio consul fugere hostes ab cornu altero clamitans, concitasset aciem. Impetu facto, dum se putant vincere, vicere.*

9 *Cn. Manlius*] *Caius Manilius* MSS. multi et Sanutus, perperam.

nerato collega Fabio, qui finiftrum cornu ducebat, et ob id parte cedente, quod etiam occifum crederent Confulem, cum turmis equitum occurrit, clamitans et collegam vivere, et fe dextro cornu viciffe. Qua conftantia redintegratis animis fuorum, vicit.

XII. Marius, aduerfus Cimbros et Teutonos, quum metatores eius per inprudentiam ita caftris locum cepiffent, vt fub poteftate barbarorum effet aqua, flagitantibus eam fuis, digito hoftem oftendens, Illinc, inquit, petenda eft. Quo inftinctu adfecutus eft, vt protenus barbari [10] tollerentur.

XIII. T. Labienus poft Pharfalicam pugnam, quum, victis partibus, Dyrrhachium refugiffet, mifcuit vera falfis, et, non celato exitu pugnae, aequatam partium fortunam graui vulnere Caefaris finxit: et

peram. Intelligitur *Cn. Manlius*, qui conful fuit cum *M. Fabio*, vt bis eorum iunctam mentionem iam habuimus L. I. 11. 1. et L. II. 6. 7. Verum *μνημονικῷ ἁμαρτήματι* hic varie errat Frontinus, fi vulgata ipfe fcripferit. Nam in hoc praelio non Conful M. Fabius vulneratus fuit, fed Q. Fabius, qui fub Confule M. Fabio in finiftro cornu pugnabat. Neque Manlius illic aciem reftituit, fed ipfe Conful M. Fabius; immo ille dextrum cornu, in quo ipfe Manlius pugnans et grauiter ictus praelio excefferat, confirmauit, *cum aliquot turmis equitum aduectus, viuere clamitans collegam, fe victorem ftrfo altero* finiftro fcil. *cornu adeffe*; *et fic rem inclinatam fuftinuit*, tefte Liuio L. II. c. 47. Hos Frontini errores notauit iam quoque Doctiff. P. Weffelingius Obferu. L. II. 6. 8. Omnia hic fana forent, fi modo hoc ordine concepta effent et correcta verba: *Cn. Manlio a. H. vulnerato, et ob id p. c. q. e. o. cr. C. collega Fabius, qui finiftrum cornu d. cum turmis equ.* etc. *et fe altero cornu viciffe.* Oudendorpius.

10 *Tollerentur*] Gronouius in epiftola ad Keuchenium fcribit *pellerentur*, inde fcilicet, vbi obfidebant hoftes aquationem. Verum, cum refragentur Codd. MSS. nec inepta fit vulgata, nos quidem cum Oudendorpio nihil mouendum cenfemus. Reuera enim tanta caedes fuit, vt *fublati* funditus Teutoni viderentur, fecundum Florum L. III. c. 3. §. 11. *Sublatis funditus Teutonis, in Cimbros conuertitur.* *Tollerentur* adeo hic idem eft, quod *caederentur, interficerentur*, vt faepius apud fcriptores. Notum eft illud Ciceronis dictum in Caefarem L. XI. ep. 20. *laudandum adolefcentem, ornandum, tollendum.* Suetonius in Aug. c. XII. *quafi alii fe puerum, alii ornandum tollendumque iactaffent.*

et hac adſimulatione [11] reliquis Pompeianarum partium fiduciam fecit.

XIV. M. Cato, quum Ambraciam eo tempore, quo ſociae naues ab Aetolis obpugnabantur, inprudens vno lembo adpuliſſet, quamquam nihil ſecum praeſidii haberet, coepit ſignum voce geſtuque dare, quo videretur ſubſequentes ſuorum naues vocare: eaque adſeueratione hoſtem terruit, tamquam plane adpropinquarent, qui quaſi ex proximo citabantur. Aetoli, ne aduentu Romanae claſſis obprimerentur, reliquerunt obpugnationem.

CAP. VIII.

De reſtituenda per conſtantiam acie.

Exemplum I.

Seruius Tullius adoleſcens, proelio, quo rex Tarquinius aduerſus Sabinos conflixit, ſigniferis ſegnius dimicantibus, [1] raptum ſignum in hoſtem miſit: cuius recipiendi gratia Romani ita ardenter pugnauerunt, vt et ſignum, et victoriam retulerint.

II. Furius Agrippa Cos, cedente cornu, ſignum militare, ereptum ſignifero, in hoſtes Hernicos et

11 *Reliquis*] *Reliquiis* legendum cenſuit Modius, cui ſubſcripſit etiam Gronouius, qui eamdem vocem ad marginem ſui exemplaris notauit: qua ipſe Frontinus aliis quoque locis vtitur. Sic c. IX. §. 1. *reliquias eorum circumſedens.* c. X. §. 2. *reliquiis exercitus.* L. III. c. 15. §. 4. *reliquiae ex Variana clade.* L. IV. c. 7. §. 39. *pars magna reliquiarum.* Eodem modo Florus, Velleius Paterculus, Iuſtinus aliique loqui amant. Sic Salluſtius Hiſt. fragm. L. I. c. 14. *Praeterea Etruria, atque omnes reliquiae belli arrectae.* Velleius Pat. L. II. 17. §. 1. *niſi qua Nolani belli manebant reliquiae:* pro quo tamen idem *reliqua belli* habet L. II. c. 123. *cum Germanicum nepotem ſuum, reliqua belli patraturum miſiſſet in Germaniam.*

1 *Raptum ſignum*] Inter alios virtutis militum excitandae modos, fuit ſignorum quoque in hoſtem iaculatio, cuius plura apud Liuium aliosque ſcriptores exempla exſtant, quae vt ſatis nota hic nolumus cumulare. videſis doctos viros ad Flori L. I. c. 11. §. 2. *Signum* enim *perdere*, ſummae erat turpitudini, immo capitale crimen habebatur.

Aequos misit: quo facto eius proelium restitutum est. Summa enim alacritate Romani ad recipiendum signum incubuerunt.

III. [2] T. Quinctius Capitolinus Cos. signum in hostes Faliscos eiecit, militesque id repetere iussit.

IV. [3] Saluius Pelignus, bello Persico, idem fecit.

V. M. Furius Camillus, Tribunus militum consulari potestate, cunctante exercitu, adreptum manu signiferum in hostes Volscos et Latinos traxit: ceteros puduit non sequi.

VI. [4] M. Furius, auerso exercitu, quum occurrisset, adfirmauit, non recepturum se in castra quemquam, nisi victorem: reductisque in aciem, victoria potitus est.

VII. Scipio apud Numantiam, quum auersum suum videret exercitum, pronuntiauit, pro hoste sibi futurum, quisquis in castra redisset.

VIII. [5] Seruilius Priscus Dictator, quum signa legionum ferri in hostes Faliscos iussisset, signiferum cun-

2 *T. Quinctius.*] Non fuit hic *Quinctius Capitolinus*, sed *Lucii* filius *Cincinnatus*, cui et *Penno* cognomen additur, de quo Liuius L. IV. c. 26. et c. 29. ex quo apparet, istud bellum non cum Faliscis, sed *Volscis* gestum fuisse.

3 *Saluius Pel.*] Hoc exemplum post illud demum, *M. Furius Camillus*, positum legitur. Cum vero hic *Saluius* non ipsum signiferum in hostes traxerit; sed signum tantum in eos coniecerit, recte Perizonius Anim. Histor. c. VII. p. 328. istud suo loco restituit. Bellum *Persicum* vero, non cum *Persis*, sed cum Macedonum rege *Perse* gestum declaratur.

4 *M. Furius*] Non male Oudendorpius *idem Furius*, vel tantum *idem* legendum esse suspicatur. Ita sane noster saepius *idem* habet. L. II. c. 5. §. 46. Idem sc. *Alcibiades*. c. VI. §. 10. Idem sc. *Pyrrhus*. c. VII. §. 3. Idem sc. *Sulla*. et alibi. *Furius* autem videtur in textum irrepsisse, quod exemplum III. *Saluius Pelignus* cet. male suo loco auulsum et inter vtrumque fuit interpositum. Fuisse autem eumdem *M. Furium Camillum*, de quo noster §. V. docet Liuius L. VI. c. 24. *Sequimini nunc Camillum, et quod ductu meo soletis, vincite. Quid vallum et castra spectatis? neminem vestrum illa, nisi victorem, receptura sunt.*

5 *Seruilius Priscus*] Non moramur corrupta illa *Sinilius*, *Siuilius*, *Siluius*, *Fuluius*, quae vete-

cunctantem occidi inperauit: quo exemplo perterriti [6] ceteri, hostem inuaserunt.

IX. Tarquinius, aduersus Sabinos, cunctantes equites, detractis frenis, concitatisque equis, procurrere, et perrumpere aciem iussit.

X. [7] Cossus Cornelius, Magister equitum, aduersus Fidenates idem fecit.

XI. M. Atilius Cos, bello Samnitico, ex acie refugientibus in castra militibus aciem suorum obposuit, adfirmans secum et cum bonis ciuibus dimicaturos [8] eos, nisi cum hostibus maluissent. Ea ratione vniuersos in aciem reduxit.

XII. L. Sulla, cedentibus iam legionibus exercitui Mithridatico ductu Archelai, [9] stricto gladio in primam

res libri praeferunt. Veram esse scripturam *Seruilius*, quam reduxit Scriuerius, testis est Liuius, qui simul docet *Aequos*, non *Faliscos* illos hostes fuisse. L. IV. c. 46. *Dictator ex senatus consulto dictus Q. Seruilius Priscus.* et c. 47. *Transierat ex re bene gesta superbia negligentiaque ad Aequos, quae in Romanis ducibus fuerat: itaque primo statim praelio, quum dictator equitatu immisso antesignanos hostium turbasset, legionum inde signa propere inferri iussit; signiferumque ex suis vnum cunctantem occidit.*

6 *Ceteri*] Hanc vocem ad perficiendum sensum necessariam, quae in impressis non exstat, Petrensis et Leidens. tert. Codd. nec non Sanuti auctoritate, textui denuo, postliminii iure, inserendam curauit Oudendorpius.

7 *Cossus*] Duo Cantabrig. *Cossius*, male. Hic autem rursus insignem maculam Frontino adfixerant librarii; cum Cossum idem fecisse, quod Seruilium, ex. 8. voluerint, et ei continuo subiunxerint. Nam praeterquam quod historiae veritati contrarium sit, qui potuit Frontinus scribere, a magistro equitum legionum signiferum occidi iussum: cum legiones ipse dictator duceret, equitum vero Magister tantum equitibus praeesset. Viderunt hoc forsan Editores Romanus et Bononiensis, in quorum ἐκδόσεσιν hoc exemplum non comparet. Verum expungi non opus est, sed ponendum, vt feci, post Tarquinii exemplum. Equis enim quoque Cossus frenos detraxit, quum Magister equitum erat sub Dictatore Mam. Aemilio, non, vt Florus ait, sub A. Postumio. Vide, qui iam dudum haec monuere, l. Perizonium Anim. Histor. p. 318. et Dukerum ad Florum L. I. c. 11. *Cossus equitum magister exuere frenos imperauit.* Oudend.

8 *Eos*] *eos* quod sedem in MSS. mutat, recte deleri censet cl. Wasse, me non renuente. Oudend.

9 *Stricto gladio*] Non *gladio stricto*, sed *arrepto vexillo*, per fugientes Sullam ad hostes properasse, scribit Polyaenus L. VIII. c. 9. §. 2.

καὶ

primam aciem procucurrit, adpellansque milites, dixit: Si quis quaesiisset, vbi Imperatorem reliquissent, responderent, pugnantem in Boeotia. Cuius rei pudore vniuersi eum secuti sunt.

XIII. Diuus Iulius, ad Mundam, referentibus suis pedem, equum suum abduci a conspectu iussit, et in primam aciem pedes prosiluit. Milites dum destituere Imperatorem erubescunt, redintegrarunt proelium.

XIV. Philippus, veritus, ne inpetum Scytharum sui non sustinerent, fidelissimos equitum a tergo posuit, praecepitque, ne quem commilitonum ex acie fugere paterentur; perseuerantius abeuntes trucidarent. Qua denuntiatione quum effecisset, vt etiam timidissimi mallent ab hostibus, quam a suis interfici, victoriam adquisiuit.

C A P. IX.

De his, quae post proelium agenda sunt. Si res prospere cesserit, de consummandis reliquiis belli.

Exemplum I.

C. Marius, victis proelio Teutonis, reliquias eorum, quia nox [1] circumuenerat, circumsedens, sublatis clamoribus, per paucos suorum territauit, insomnemque hostem detinuit, ex eo adsecutus, vt postero die inrequietum facilius debellaret.

II. Clau-

καὶ σημεῖον ἁρπάσας ὠθεῖτο διὰ τῶν φευγόντων· quibus consona Appianus Alex. Bell. Mithrid. p. 342. aliique habent.

1 *Circumuenerat*] *Interuenerat* rescribendum censuit I. Fr. Gronouius; itaque Valartus in editione Parisiensi excudendum curauit. vid. ad calcem huius editionis cl. Herclii notas criticas. Vel, vt coniicit Oudendorpius, *superuenerat*, vel *certamen diremerat*, vt ex. I. c. X. *praelio, quod nox diremerat*.

II. Claudius Nero, victis Poenis, quos Hasdrubale duce in Italiam ex Hispania traiicientes exceperat, caput Hasdrubalis in castra Hannibalis eiecit: quo factum est, vt et Hannibal luctu, ([2] nam frater occisus erat,) et exercitus desperatione aduentantis praesidii adfligerentur.

III. L. Sulla his, qui Praeneste obsidebantur, occisorum in proelio ducum capita, hastis praefixa, ostendit: atque ita obstinatorum peruicaciam fregit.

IV. Arminius, dux Germanorum, capita eorum, quos occiderat, similiter praefixa, ad vallum hostium admoueri iussit.

V. Domitius Corbulo, quum Tigranocertam obsideret, et Armenii pertinaciter viderentur toleraturi obsidionem, in quemdam [3] ex Megistanis, quos cepe-

2 *Nam frater occisus erat*] Vehementer haec mihi pro glossemate suspecta sunt, et e margine irrepsisse videntur. Rectius certe in Leidensi sec. scribitur *luctu fratris occisi*. Sanutus simpliciter, *vt luctu fratris ipse*, et Leid. pr. *nam super occisus erat*. Oudend.

3 *Ex Megistanis*] Graecae originis esse Μεγιςᾶνος a μέγιςος, quisque facile intelligit. Phrynichus et Thomas Magister hanc vocem ἀδόκιμον dicunt, et a probatae auctoritatis scriptoribus rectius, μέγα δυνάμενοι, vsurpari contendunt. Menander tamen, eumque secutus Antiochus Sophista, eodem Phrynicho auctore, hac voce vsi fuerunt: quibus LXX Interpretes, Iosephus, ipseque sacer Codex Marc. c. VI. 21. et Apocal. c. VI. 15. addi possunt. Romanos quoque scriptores eam adhibuisse, pro *proceribus regumque amicis*, testes sunt Suetonius in Caligul. c. V. Tacitus Annal. L. XV. c. 27. Seneca ep. ad Lucil. 21. et ipse noster Frontinus. Quo iure adeo vocem ἀδόκιμον supra dicti Grammatici eam appellent, alii dispiciant: nec enim analogia, rarior licet, e. g. in Παιᾶν, Τιτᾶν, πελεκᾶν, Ἀκαρνᾶν, penitus repugnat. Salmasius a Macedonibus originem habere μεγιςᾶνες censet in libro de Lingu. Hellen. p. 110. Ne vero extra oleas. Ipsam hanc historiam refert etiam Tacitus Annal. L. XIV. c. 24. vbi illum insidiarum auctorem, suppresso nomine, *non ignobilem barbarum* vocat. Varietas scripturae apud nostrum, plerisque Codd. MSS. *Vaduadum* praeferentibus, innuit nomen proprium non ignobilis illius barbari hic latere: quod tamen, an reuera sit *Aduadus*, vel *Adduus*, quod apud Velleium L. II. c. 102. §. 2. pro certo adfirmari haud potest. Pro *Megistanis* vero, haud scio, Μεγιςᾶσιν, an *Megistanibus* rectius ponatur. Fuit enim tempus, quo turpi Graecarum litterarum inscitia, Graeca vocabula a rudioribus librariis, Latinis litteris expressa fuerunt: quo facto facile vltima Syllaba σιν in *nis* potuit mutari.

ceperat, animaduertit, caputque eius balista excussum, intra munimenta hostium misit. Id forte decidit in medium [4] concilium, quod tum quum maxime habebant barbari: ad cuius conspectum, velut ostento, consternati, ad deditionem festinauerunt.

VI. Hermocrates Syracusanus, superatis acie [5] Carthaginiensibus, veritus, ne captiui, quorum ingentem manum in potestatem redegerat, parum diligenter custodirentur, quod euentus dimicationis in epulas et securitatem compellere victores poterat, finxit proxima nocte equitatum hostilem venturum. Qua exspectatione adsecutus est, vt solito adtentius vigiliae agerentur.

VII. Idem, rebus prospere gestis, et ob id resolutis suis in nimiam securitatem, somnoque et mero pressis, in castra transfugam misit, [6] qui praemoneret, se fuga elapsum: dispositas enim vbique a Sy-

4 *Concilium*] In aliquot Codd. MSS. legitur *consilium*. recto stat talo vulgata. De differentia inter *concilium* et *consilium* vid. Gronouium ad Liuii L. XLIV. c. 2. et Oudendorpium ad L. III. c. 2. §. 6. vt et Drakenb. ad Sil. L. XI. 71.

5 *Carthaginiensibus*] Equidem temperare mihi non possum, quin cum Scriuerio et Tennulio, ad Casauboni, reponentis *Atheniensibus*, accedam sententiam. Haec enim post deuictos Athenienses facta videntur, quod ex sequenti proxime exemplo nullo negotio colligi potest, si illud cum Polyaeni L. I. c. 43. §. 2. conferatur, vbi diserte fit mentio Atheniensium: quorum Frontinus §. VII. ideo non meminit, quod eos iam §. VI. memorauit. Sic contrario errore male sedulus librarius in Cod. Medic. L. III. c. 6. §. 5. Magonem, ducem Atheniensium facit, quem Carthaginiensium fuisse inter omnes constat. Quam pertinax saepe sit Codd. MSS. in tuenda deprauata lectione consensus, notauimus ad L. II. c. 7. §. 7. vbi tantum non omnes collati adhuc veteres libri pro *Carpetanorum* habent *carpentariorum*, ridiculo sane errore.

6 *Qui praemoneret se fuga elapsum.*] Haec verba non reperiuntur in editionibus, Romana, aut Bononiensi. In Mediceo sec. *praedocebat*. Sed Mediceus pr. et Leid. sec. *praetendebat*: vnde malim *praetenderet*, id est, *praetexeret*, vsitata significatione. c. II. §. 12. *exspectationemque equestris certaminis praetendisset*. Dein pro *elapsum* MSS. vndecim et edit. Paris. *lapsum*. Dein pro *enim*, *etiam* octo MSS. et edd. Rom. Par. Hittorp. et Wechel. Tum *a* non agnoscit Palat. contra historiam. Oudendorpius.

Syracufanis infidias: quarum metu recepit aciem. ([7] Illi quum aduentarent, perfecuti, in foffas deciderunt, et eo modo victi funt.)

CAP. X.

Si res durius cefferit, de aduerfis emendandis.

Exemplum I.

T. Didius, in Hifpania, quum acerrimo proelio conflixiffet, quod nox diremerat, magno numero vtrimque caefo, complura fuorum corpora [1] intra noctem fepelienda curauit. Hifpani poftero die ad fimile officium progreffi, quia plures ex ipforum numero, quam ex Romanis, caefos repererant, victos fe

7 *Illi cum aduentarent, perfecuti, in foffas deciderunt, et eo modo victi funt*] Multis modis eruditiffimi viri, in explicando hoc deprauatiffimo loco, fe torferunt: quem quidem fine integrioribus Codicibus plane reftitui poffe, eft omnino, quod dubitemus. Graeuius et Ortwinius ita coniecerunt: *quarum metu recepit aciem hoftis. Illi, cum aduentret* (*aduentaret* Tennul.) *dies, perfecuti foffas defciderunt, et eo modo vicerunt.* Barthius *perfecuti in foffas reciderunt* legit, et paffiue *perfecuti* fumit. Optimam laudabiliffimamque fanandi huius corrupti loci rationem fequitur Oudendorpius, qui ex Polyaeni L. I. c. 43. §. 2. vbi is eamdem hiftoriam tractat, fuae integritati eum reftituere conatur, hac quidem coniectura: *Quarum metu, lux dum* (vel *dum lux*) *aduentaret, recepere aciem*, vel *recepit aciem hoftis*, aut *Nicias. Perfecuti dein in foffas deciderunt, et eo modo victi funt:* paffiue cum Barthio v. *perfecuti* accepta. Itemque: *quarum metu recepit aciem Nicias* vel *hoftis. Vbi illuxit, quum aduentarent perfecuti Niciam, in foffas deciderunt* cet. Quamquam neutiquam cum Scriuerio cenfemus; haec aliunde irrepfiffe; id quod facile ex Polyaeni verbis πανωλεθρίᾳ τὺς Ἀθηναίυς διέφθειραν colligi poteft: plane tamen mihi habeo perfuafum, fenfum quodammodo, Polyaeno et Diodoro ducibus, elici; ipfa vero Frontini verba, fine codicum ope, nullo modo reuocari poffe.

1 *Intra noctem*] Quidam Codd. MSS. fiftunt *atra nocte*; vnde Burmannus ad Ouidii L. III. Amor. v. 46. *alta nocte* fuadet. Recte vero fe habet *intra noctem*, i. e. durante noctis tempore. Sic Salluftius B. Catil. c. XVIII. *intra legitimos dies.* Velleius Pat. L. II. c. 45. *intra biennium*, i. e. nondum elapfo biennii fpatio. Iuftinus L. XII. c. 15. *intra trigefimum annum*, i. e. nondum expleto trigefimo anno.

ſe eſſe ſecundum eam dinumerationem argumentati, ad conditiones Inperatoris deſcenderunt.

II. L. Marcius, eques Romanus, qui reliquiis exercitus duorum Scipionum praefuit, quum in propinquo bina caſtra Poenorum paucis millibus paſſuum diſtarent, cohortatus milites, proxima caſtra intempeſta nocte adortus eſt: et quum hoſtem, victoriae fiducia incompoſitum, adgreſſus, [2] ne nuntios quidem cladis reliquiſſet, breuiſſimo tempore militi ad requiem dato, eadem nocte raptim famam rei geſtae praegreſſus, altera eorumdem caſtra inuaſit. Ita bis ſimili vſus euentu, deletis vtrobique Poenis, amiſſas populo Romano Hiſpanias reſtituit.

CAP. XI.

De dubiorum animis in fide retinendis.

Exemplum I.

P. Valerius, Epidauri, timens oppidanorum perfidiam, quia parum praeſidii habebat, gymnicos ludos procul ab vrbe adparauit. Quo quum omnis fere multitudo ſpectandi cauſſa exiſſet, clauſit portas, nec in eas antea admiſit Epidaurios, quam obſides a principibus acciperet.

II. Cn. Pompeius, quum ſuſpectos haberet [1] Catinenſes, et vereretur, ne praeſidium non reciperent, petiit ab eis, vt aegros interim apud ſe refici

2 *Ne nuntios quidem cladis*] Locutio ſcriptoribus vſitata, qua proprie πανωλεθρία, cum ad internecionem hoſtis caeditur, ſignificatur. Sic Iuſtinus de Cyri clade L. I. c. 8. *in qua victoria etiam illud memorabile fuit, quod ne nuntius quidem tantae cladis ſuperfuit.*

1 *Catinenſes*] Mire variant hoc loco Codd. MSS. nec morari libet monſtra illa lectionum. Palatinus ſeruat *Caucenſes*, incolas *Caucae*, vrbis Vaccaeorum, cuius miſerandam a Lucullo factam cladem memorat Appianus de B. Hiſp. p. 478. ſqq. Non male coniicit adeo Oudendorpius, hoc ſtrategema aduerſus Vaccaeos adhibitum fuiſſe a Pompeio, in bello Sertoriano, in quibus eo tempore hi-

ſici paterentur: fortiſſimis deinde habitu languentium miſſis, ciuitatem occupauit, continuitque.

III. Alexander, deuicta perdomitaque Thracia, petens Aſiam, veritus, ne poſt ipſius diſceſſum ſumerent arma, reges eorum praefectosque, et omnes quibus videbatur ineſſe [2] cura detractae libertatis, ſecum, velut honoris cauſſa, traxit; ignobilibus autem relictis plebeios praefecit: conſecutus, vti principes beneficiis eius obſtricti, nihil nouare vellent; plebs vero ne poſſet quidem, ſpoliata principibus.

IV. Antipater, conſpecto priore [3] Neciorum exercitu, qui, audita morte Alexandri, ad infeſtandum inperium eius confluxerant, diſſimulans, ſcire ſe, qua mente veniſſent, gratias his egit, quod ad auxilium ferendum Alexandro aduerſus Lacedaemonios conueniſſent: adiecitque, id ſe regi ſcripturum. Ceterum ipſos, quia ſibi opera eorum in praeſentia non eſſet neceſſaria, abirent domos, hortatus eſt. Et hac [4] adſeueratione periculum, quod ex nouitate rerum inminebat, diſcuſſit.

V. Sci-

hibernauit, teſte Plutarcho in Sertorio p. 579.

2 *Cura detractae lib.*] Cod. Petrenſis habet *retrahendae libertatis*, quod non contemnendum. Iuſtinus L. XI. c. 5. *reges ſtipendiarios conſpectioris ingenii* eosdem appellat.

3 *Neciorum*] Qui ſint iſti *Necii*, non liquet. Vnde Tennulius reponit *Neſtiorum*, qui *Neſtum* Illyridis vrbem incoluerunt. An vero *Neſtii* illi imperium Antipatri infeſtare auſi fuerint, eſt omnino, quod dubitemus. Cum vero ex ſcripturae quoque varietate, quae in Codd. MSS. deprehenditur, nihil certi liceat extricare, Weſſelingius legendum cenſuit *Beſſorum*, qui, Thraciae populus, tunc Macedoniam inuadere voluerunt, cum Antipatro res eſſet cum Lacedaemoniis. Prae omnibus tamen coniecturis Oudendorpio impenſe placet illa Waſſei, *conſpecto Tetrachoritarum exercitu*. Cum vero *Beſſi* ipſi fuerint *Tetrachoritae*, qui et τετράκωμοι dicti, ſecundum Stephanum p. 705. equidem *Beſſorum*, quod propius ad vulgatam accedit, praeferrem; donec vera ſcriptura ex Codd. MSS. peti poſſit. Verum tamen *Tetrachoritarum* meminit Polyaenus L. IV. c. 4. §. 1. Ἀντίπατρος ἐν τῇ Τετραχωριτῶν ϛρατεύων.

4 *Adſeueratione*] Melius hic cum Waſſeo legendum cenſeam *adſimulatione*, vti L. II. c. 7. §. 13. Non eſt tamen, quod vulgatam reiiciamus, quam noſter etiam ha-

 bet

V. Scipio Africanus, in Hiſpania, quum inter captiuas eximiae formae virgo [5] nubilis ad eum perducta eſſet, omniumque oculos in ſe conuerteret, ſumma cuſtodia habitam, ſponſo, nomine [6] Allucio, reddidit: inſuperque aurum, quod parentes eius, redemturi captiuam, donum Scipioni adtulerant, eidem ſponſo pro nuptiali munere dedit. Qua multiplici [7] magnificentia vniuerſa gens victa, inperio populi Romani acceſſit.

VI. Alexandrum quoque Macedonem, traditum eſt, eximiae pulchritudinis virgini captiuae, quum finitimae gentis principi fuiſſet deſponſata, ſumma abſtinentia ita peperciſſe, vt illam ne adſpexerit quidem.

bet L. II. c. 5. §. 20. *qua adſeueratione auertit hoſtem.* L. III. c. 8. §. 2. *qua adſeueratione perterriti.* Ac pro *ſimulatione* hic videtur vſurpaſſe: qua ſignificatione *τὸ aſſeuerare* occurrit etiam apud Tacitum L. XIII. Annal. c. 18. *Nec defuere, qui arguerent viros grauitatem adſeuerantes*, i. e. ſimulantes, prae ſe ferentes.

5 *Nubilis*] In MSS. et Edd. ante Scriuerium *nobilis*, pro quo recte Scriuerius coniecit *nubilis*, cuius coniecturam cum MS. alterum Keuchenii firmat; tum Polybius L. X. c. 19. vbi eam vocat *παρθένον κατὰ τὴν ἀκμήν.* et Liuius L. XXVI. c. 50. *Captiua deinde a militibus adducitur ad eum adulta virgo, adeo eximia forma, vt, quacumque incedebat, conuerteret omnium oculos.* Fuiſſe tamen etiam nobilem, praeter alios, etiam Polyaenus innuit L. VIII. c. 16. §. 6. *ὅσαι δὲ καὶ ἄλλαι γυναῖκες τῶν εὖ γεγονότων, ἢ θυγατέρες, ἢ παῖδες, ὥραν ἔχοντες ἑάλωσαν.* Ex quo loco forſan v. *alias*, quam male traiectam penitus eiecit Oudendorpius, probari poſſit. Quare ita legi poſſit: *cum inter alias captiuas eximiae formae virgo nubilis.* Cum vero et *nobilis* et *nubilis* fuerit illa virgo: vtram admittas ſcripturam, a veritate non aberrabis.

6 *Allucio*] Varie in antiquis libris illius ſponſi nomen ſcribitur. Verum autem fuiſſe, *Allucius*, auctoritate Liuii non dubitamus, qui l. c. *Allucio nomen erat*, et paucis interiectis, *vocatoque ad ſe Allucio*, ſcripſit: inſuperque varii MSS. Codd. ſuffragantur. *Indibilem* quidem vocat Valerius Maxim. L. IV. 3. n. 1. ſed is alius fuit Regulus, de quo vid. Appianus de B. Hiſp. p. 464. ſeqq.

7 *Magnificentia*] Dignior ſane Scipionis virtute haec lectio prae illa altera *munificentia*. *Munifici* multi eſſe poſſunt, qui ſacra auri fame non vrguentur; *magnifici* vero non niſi ii, qui in rebus magnis et excelſis ſingulari animi magnitudine ſplendent: qualis fuit Scipio, perpetuum illud Romani nominis ornamentum. Vnde Cicero Offic. L. I. c. 21. *Capeſſentibus autem rempublicam nihilo minus, quam philoſophis, haud ſcio an magis etiam, et magnificentia et deſpicientia adhibenda ſit rerum humanarum.*

dem. Qua mox ad ſponſum remiſſa, vniuerſae gentis per hoc beneficium animos conciliauit ſibi.

VII. [8] Inperator Caeſar Auguſtus Germanicus, eo bello, quo victis hoſtibus cognomen Germanici meruit, quum in finibus [9] Vbiorum caſtella poneret, pro fructibus locorum, quae vallo comprehendebat, pretium ſolui iuſſit; atque ea iuſtitiae fama omnium fidem adſtrinxit.

CAP. XII.

Quae facienda ſunt [1] *pro caſtris, ſi ſatis fiduciae in praeſentibus copiis non habeamus.*

Exemplum I.

T. Quinctius Cos, quum Volſci caſtra eius adgreſſi forent, cohortem tantummodo in ſtatione [2] detinuit, reliquum exercitum ad quieſcendum dimiſit, aenea-

8 *Imperator Caeſ. Aug. Germ.*] Cod. Petrenſ. addit *Domitianus.* Sine hac v. autem L. II. c. 3. §. 23. Forſan ibi quoque eiusdem codicis auctoritate v. *Domitianus* addi poſſit, vti reperitur L. IV. c. 3. §. 14.

9 *Vbiorum*] *Vbiorum*, quod Modius coniecit, et a viris doctis iam in textum admiſſum eſt, inde rurſus temere eiicere nolim, niſi clare doceant Codd. quidam, quale hic nomen ab auctore ſit relictum. Cum tamen MSS. habeant *Cabiorum*, et Leid. pr. cum Medic. pr. *Copiorum*, Medic. ſec. et Io. Sareſberienſ. *Copiarum*, Leid. ſec. *Municipiorum*: crederem ego potius reſcribendum eſſe *Vſipiorum*, gentis prope Cattos, ob quos victos maxime nomen Germanici accepit Domitianus. De Vſipiis adi Tacitum L. XIII. Annal. c. 55. 56. et in vit. Agricol. c. 28. Martial. L. VI. Epigr. 60.

Sic leue flauorum valeat genus
Vſipiorum,
Quisquis et Auſonium non amat
imperium. Oudend.

1 *Pro caſtris*] Plenius ac melius in quibusdam codicibus legitur: *quae facienda ſunt pro caſtrorum defenſione.*

2 *Detinuit*] Petrenſis *continuit.* niſi, iudice Oudendorpio, malis ſimpliciter *tenuit.* Non opus eſt mutatione: hac enim voce alias quoque noſter ſaepius in eadem re vtitur. Pro *facie* paullo poſt, vir quidam doctus libri ſui margini adſcripſit *ſpecie*, Liuium forte ſecutus, qui L. II. c. 64. *Volſcos ſpecies armatorum — intentos velut ad impetum hoſtium tenuit.* Neque tamen ſecius vulgata recte ſe tuetur omnium MSS. conſenſu. Sic noſter L. IV. c. 7. §. 44. *qua facie decepti Megarenſes.* Tacito in primis frequens eſt vocis huius vſus

neatoribus praecepit, vt vallum insidentes equis circuirent, concinerentque. Qua facie et simulatione quum et propulsasset, et detinuisset per totam noctem hostes, ad lucis exortum fessos vigilia, repente facta eruptione, facile superauit.

II. Q. Sertorius, in Hispania, hostium equitatui maxime inpar, qui vsque ad ipsas munitiones nimia fiducia succedebat, nocte scrobes [3] aperuit, et eas ante aciem direxit: quum demum turmales secundum consuetudinem redire vellent, pronuntiauit, comperisse se insidias ab hostibus dispositas: idcirco ne discederent a signis, neue laxarent agmen. Quod quum [4] solerte ex disciplina fecisset, exceptus forte veris insidiis, quia praedixerat, interritos milites habuit.

III. Chares, dux Atheniensium, quum exspectaret auxilia, et vereretur, ne interea, contemtu prae-

vsus in eadem significatione: vt Annal. L. XIII. c. 38. *in faciem pacis.* et L. II. Histor. c. 54. *publici consilii facie.*

3 *Aperuit*] Nescio, cur Barthius pro commoda lectione *aperuit*, reponendum suaserit *praeruit*: cum vestigia receptae scripturae non solum in *apparauit* et *aperuit* Codd. Mediceor. deprehendantur; sed Vegetius quoque aliquoties hac locutione vtatur. L. II. c. 10. *ferramenta, quibus materies serratur vel caeditur, quibusque aperiuntur fossae.* L. III. c. 4. *materiam dedolare, aperire fossam.* c. 8. *cincti gladio fossam aperiunt.*

4 *Solerte ex disciplina*] Varie corrupto huic loco, qui in collatis adhuc MSS. et typis expressis editionibus ita legitur, *soluere ex disciplina fecisset*, mederi conati sunt viri eruditi, eumque suae integritati restituere. Quare Barthius eumque secutus Tennulius pro *soluere* ponunt *sollenne*, quod verum non putamus; cum eo tempore, quo dispositas ab hoste insidias ficte praedixerat, forte veris insidiis exceptus fuisse videatur: quodsi *solenne* fecisset Sertorius, sine dubio victas illas commenticiasque insidias, mox procaces milites in ludibrium vertissent. Oudendorpius reponit *sollerte ex disciplina*, nullo quidem addicente Codd. MSS. qui, vt ipse monet, omnes τὸ *soluere* mordicus tenent. Quare perplacet *solum*, quod olim coniecit Lipsius, atque Cod. Medic. sua auctoritate confirmat. Sertorius nimirum, vt suorum equitum ferociam reprimeret, insidias ex disciplina tantum, vt callidus imperator, praedixerat; cumque forte accidisset, vt reuera insidias struerent hostes, interriti milites eas exceperunt, cum tela praeuisa minus soleant nocere.

praesentis paucitatis, hostes castra eius obpugnarent, complures ex iis, quos habebat, [5] per auersam partem nocte missos, iussit, qua praecipue conspicui forent hostibus, redire in castra, et accedentium nouarum virium speciem praebere. Atque ita simulatis auxiliis tutus se est, donec instrueretur exspectatis.

IV. [6] Iphicrates Atheniensis, quum campestribus locis castra haberet, explorassetque, Thracas ex collibus, per quos vnus erat descensus, nocte ad diripienda castra venturos, clam duxit exercitum, et in vtroque viae latere, per quam transituri erant Thraces, distributum collocauit: hostemque decurrentem in castra, in quibus multi ignes per paucorum curam instituti, speciem manentis ibi multitudinis seruabant, a lateribus adortus, obpressit.

CAP. XIII.

De Effugiendo.

Exemplum I.

Galli, pugnaturi cum Attalo, aurum omne et argentum certis custodibus tradiderunt, a quibus, si acie fusi essent, [1] spargeretur, quo facilius colligenda praeda hostem inpeditum effugerent.

K 3 II.

5 *Per auersam partem*] Nihil absurdius dici cogitarique potest vulgata: *per aduersam partem*. Quis Charetem communi sensu adeo caruisse sibi persuadeat, vt per portam hosti obuersam, intempesta licet nocte, suos miserit, quo accedentium nouarum virium speciem praeberent? Risum teneatis amici! Legendum plane *per auersam partem*. Ita sane legimus apud Liuium L. XXIV. c. 17. *Claudium Neronem cum robore equitum, silentio noctis, per auersam maxime ab hoste portam emittit*. vid. not. ad C. VI. §. 5.

6 *Iphicrates*] Hoc exemplum superius iam L. I. c. 5. §. 24. paucis mutatis, adfuit. Adde Polyaenum L. III. c. 9. §. 46. vbi Casaubonus: *Frontinus haec ita refert L. II. c. 12. vt videatur confundere cum aliis eiusdem Iphicratis strategematibus, quae a Polyaeno referuntur*.

1 *Spargeretur*] In vulgatis est *parceretur*. Quaero, quid Gallos fuga salutem quaesituros iuuaret, si par-

II. Tryphon, Syriae rex, victus, per totum iter fugiens pecuniam sparsit: [2] eique sectandae Antiochi equites inmoratos effugit.

III. Q. Sertorius, [3] pulsus acie a Q. Metello Pio, ne fugam quidem sibi tutam arbitratus, abire disper-
sos

parceretur certis vel Graecis custodibus. Num minus tum possent ipsos persequi? Immo vero eo celerius Attalus eos assequi posset, si modo aliquos e suis adponeret istis custodibus, qui eos simul cum capta gaza custodirent, et in vinculis renerent. Vnde patet, ineptissimum esse illud *parceretur*, et omnino rescribendum *spargeretur*, qua re fieret, vt retardaretur vehementer in fugiendo hostis: qua re hoc strategema a Mithridate et aliis quoque adhibitum est. *Parcetur* Medic. pr. Petrensis *quae, si in acie fugissent, spargerent.* Quod praeter *in acie fugissent* amplectitur totum cl. Wasse ad Sallust. B. Iugurth. c. 42. vbi vide quoque, quis Attalus hic fuerit. Mihi tamen hoc ex interpolatione quadam videtur: qua re malui addita praepositione, vt olim etiam coniecit Lipsius, *a quibus spargeretur.* Nam alterum sine praepositione nimis ambigue dictum videtur. Sanutus explicat: *Galli pugnaturi cum Attalo aurum omne et argentum custodibus certis tradiderunt, vt, si aciei contingeret terga dare, hostes thesauris intenti, fugientibus parcerent.* Oudendorpius. Sic Mithridates, rex Ponti, pecuniam a suis fugientibus spargi iussit, vt sequentes moraretur. Florus L. III. c. 5. §. 18. *Alaricus*, Gothorum rex, eadem vsus est arte. v. Claudianus de B. Getic. v. 610. Quid, quod *Hippomenem*, sparsis tribus malis aureis, ex hortis Hesperidum decerptis, *Atalantam* cursu superasse ingeniosa finxit antiquitas? Hyginus fab. 185.

2 *Eique sectandae*] Variis modis corrupta haec verba in MSS. et impressis exemplaribus leguntur, ita tamen, vt in omnibus vestigia τοῦ *sectari* deprehendantur. Cantabrig. Palat. Gudian. Leid. sec. *veram* videntur seruare scripturam *ei sectandae*, cum qua optime conuenit τὸ *immoratos*, quod habet Sanutus, cuius haec sunt verba: *effugit Antiochi milites ad eius collectionem immoratos. Sectari* vox est venatorum propria, quae per Metaphoram ad alia multa transfertur. Iustinus L. XI. c. 9. *conuiuia et magnificentiam epularum sectari.* Quinctilianus Instit. L. X. c. 1. *omnes dicendi veneres sectatus est.*

3 *Pulsus acie*] Ineptissimos hic Barthius homines librarios dicit, qui hunc locum ita corrupissent, vt *pulsus* demum *acie* Sertorius, locum conueniendi suis adsignasse dicatur: quod antequam pelleretur, fieri debuisse. Quare ita refinxit scripturam: *Q. Sertorius pellendus acie.* At enim vero frustra hic scripturam castigare conatus est vir doctissimus, atque, iudice Oudendorpio, nodum in scirpo quaesiuit. Non enim statim in fugam dispersus abit exercitus, quando acie pellitur; sed ordine seruato saepe in munita castra, in vrbem vel alium tutum locum se recipit. Sic *Marius, septies Cos. filius, pulsus a Sulla acie, Praeneste, quod ante natura munitum praesidiis firmauerat, se exercitumque contulit*, teste Velleio L. II. c. 26. §. 1. Vanum alioqui foret Tacticorum praeceptum, παραμυθεῖσθαι
τὰς

ſos milites iuſſit, admonitos, in quem locum vellet conuenire.

IV. Viriathus, dux Luſitanorum, copias noſtras locorumque iniquitatem euaſit eadem, qua Sertorius, ratione, ſparſo exercitu, dein recollecto.

V. Horatius Cocles, vrguente Porſenae exercitu, iuſſit ſuos per pontem redire in vrbem, eumque, [4] ne caſu ſequeretur hoſtis, intercidere. Quod dum efficitur, in capite eius propugnator ipſe inſequentes detinuit. Audito denique fragore pontis abrupti, deiecit ſe in alueum: [5] eumque non armis, ſed vulneribus oneratus transnauit.

VI. Afranius, in Hiſpania ad Ilerdam, quum Caeſarem fugeret, inſtante eo, caſtra poſuit: quum idem Caeſar feciſſet, et pabulatum ſuos dimiſiſſet, ille ſignum repente itineri dedit.

VII. Antonius, quum [6] ex Parthis ſibi inſtantibus reciperet exercitum, et, quoties prima luce moueret,

τὺς ἐκ τῆς μάχης ἀνασωθέντας, ἐφεδρεύειν τε καιρῷ, ἔνθα πη καὶ μᾶλλον οἰόμενος ἐπανορθώσασθαι τὴν ἐλάττωσιν, apud Onoſandrum c. XXXII. Hinc Paullus apud Liuium L. XLV. c. 39. *Caſtra ſunt victori receptaculum, victo perfugium.* Aliud eſt *vinci, pelli acie*; aliud, *rebus amiſſis, in praecipitem turpemque fugam verti*: vti apud Graecos τὸ ἡττᾶσθαι *vinci*; et τοῖς ὅλοις σφάλλεσθαι, πταίειν, *de ſumma rerum periclitari, ſummam rerum perdere*; de qua locutione nos ad Onoſandri προοιμ. p. 7.

4 *Ne caſu*] *Caſu* non ſine ratione doctos viros offendit; non enim dubitandum videtur, Porſenam, ſi per ipſum ſtetiſſet, ſecuturum fuiſſe. Inter alias vero coniecturas mihi quidem perplacet Lipſii coniectura, *ea ſubſequeretur*: ex qua ſcriptura corruptum illud *caſu* facile potuit oriri.

5 *Eumque non armis, ſed*] Recte omnino pro vulgata pronunciat Stewechius, quique eum ſequuntur, Tennulius et Oudendorpius, qui Graecam hanc loquendi rationem probe animaduerterunt. Quare nos nec lectionis varietatem, nec aliorum coniecturas adferre operae pretium exiſtimamus, maxime cum etiam Cod. Mediceus antiquior vulgarae conſentiat; alter vero particulam *tantum* interpolatam exhibeat. Exemplorum huius ellipſeos quantum ſatis eſt, nos attulimus ad Boſii ellipſ. p. 559. et ad Onoſandri cap. VII.

6 *Ex Parthis ſibi inſtantibus*] Gudian. Palat. Leid. pr. Cantabr. Bibl. publ. Medic. ſec. Edit. Pariſ. *ex parte ſine.* Petrenſis *ex partis illis.* Cantabrig. tert. *ſe p.* Mediceus pr. *ex Parthis Siriae.* Vnde non

ueret, toties vrguentibus barbarorum ſagittis infeſtaretur abeuntium agmen, in quintam horam continuit ſuos, et fidem eo ſtatiuorum fecit. Qua perſuaſione digreſſis inde Parthis, iuſtum iter reliquo die ſine interpellatione confecit.

VIII. [7] Philippus, in Epiro victus, ne fugientem eum Romani premerent, inducias ad ſepeliendos, qui caeſi erant, inpetrauit, et ob id remiſſioribus cuſtodibus euaſit.

IX. P. Claudius, nauali proelio ſuperatus a Poenis, quum per hoſtium praeſidia neceſſe haberet erumpere, reliquas viginti naues tamquam victrices iuſſit ornari: atque ita Poenis exiſtimantibus, ſuperiores fuiſſe acie noſtros, terribilis exceſſit.

X. Poeni, claſſe ſuperati, quia inſtantem auertere Romanum ſtudebant, ſimulauerunt, in vada naues ſuas incidiſſe: haerentesque imitati, effecerunt, vt victor, eorum timens caſum, ſpatium ad euadendum daret.

XI. [8] Commius Atrebas, quum victus a Diuo Iulio ex Gallia in Britanniam fugeret, et forte ad Oceanum ſecundo vento quidem, ſed aeſtu recedente, veniſſet, quamuis naues in ſiccis littoribus haererent, pandi nihilominus vela iuſſit. Quae quum perſequens eum Caeſar, ex longinquo tumentia et flatu plena vidiſſet, ratus, proſpero ſibi eripi curſu, receſſit.

non dubium mihi eſt, quin *ſibi* ſit vitioſum. *Inſtare* ſine caſu ſexcenties vbique inuenias, vt modo ex. pr. Nec *Syria* hic locum habere poteſt. Acciderunt enim haec in Media vltra Armeniam. Quare exiſtimo, excidiſſe hic vocem, et ſcribendum *ex Parthis ſine fine inſtantibus*. Quotidie enim vexabant eum, et miſere carpebant recedens Antonii agmen. Euolue, nec poenitebit, Plutarchi Antonium, et Appianum de B. Parth. ac Florum L. IV. c. 10. et qui ibi citantur. *Ex* delebat Lipſius. Oudend.

7 *Philippus, in Epiro victus*] MSS. Scriuerii, vnus regius, item duo Medicei, et edd. Ital. *veritus*, vt c. VIII. §. 14. *Philippus veritus, ne impetum Scytharum ſui non ſuſtinerent.*

8 *Commius Atrebas*] In vulgatis eſt *Comminius*. male. *Commius* omnino MSS. plurimi, teſte Oudendorpio, exhibent apud Caeſarem de B. Gall. L. IV. c. 27. et L. VII. c. 75. et 76. Eodem modo apud Dionem L. XL. p. 140. Κόμμιον τινὰ Ἀτρέβαν.

SEX-

SEXTI IVLII FRONTINI STRATEGEMATICON

LIBER TERTIVS.

PRAEFATIO.

Si priores libri responderunt titulis suis, et lectorem hucusque cum adtentione perduxerunt, edam nunc [1] circa obpugnationes vrbium defensionesque strategemata: nec morabor vlla [2] praelocutione, prius traditurus, quae obpugnandis vrbibus vsui sunt, tum, quae obsessos instruere possint. Depositis autem operibus et machinamentis, quorum expleta iam pridem inuentione, nullam video vltra artium materiam, has circa expugnationem species strategematon fecimus:

1 *Circa oppugnationes*] Duplex est doctrina πολιορκητικὴ, quam strategici scriptores tradere solent; cuius vna pars docet praecepta *oppugnandis vrbibus* necessaria; altera vero *tolerandae obsidionis* rationes complectitur. Quemadmodum vero, pro misera rerum humanarum conditione, vtrumque per se indigens, alterum alterius auxilio veget: ita strategici scriptores, qui quidem ceteris praestare studuerunt, vtramque hanc partem sibi tractandam sumserunt, quaeque ad oppugnationes vrbium pariter atque earumdem defensiones pertinent, litteris consignarunt. Idque caussae est, quod Frontinus quoque strategemata ad vtramque partem facientia in hoc libro proposuit, cuius prima vndecim capita, ad proprie sic dictam πολιορκητικὴν spectant, (quam solam quoque tradidit Onosander c. XL. seqq.) reliqua vero docent, quae ad tutelam obsessorum faciunt, eosque instruere possunt.

2 *Praelocutione*] Varii codices praeferunt *prolocutione*, librariorum forte errore. Nam *praeloqui* veteribus est praefationem facere, vti apud Plinium L. VIII. ep. 21. *quod mibi caussam praeloquendi dedit:* indeque est *praelocutio* apud Senecam Excerpt. Controu. III. in praef. *Si a praelocutione dimitteret.*

INDEX CAPITVM.

CAP.

CAP. I.

De repentino inpetu.

Exemplum I.

T. Quinctius Cos, victis acie Aequis et Volscis, quum Antium oppidum expugnare statuisset, ad concionem vocato exercitu, exposuit,[1] quam id necessarium et facile esset, si non differretur. Eoque inpetu, quem exhortatio concitauerat, adgressus est vrbem.

II. M. Cato in Hispania animaduertit, potiri se quodam oppido posse, si[2] inopinatus inuaderet. Quatridui itaque iter biduo per confragosa et deserta emensus, nihil tale metuentes obpressit hostes. Victoribus deinde suis caussam tam facilis euentus requirentibus, dixit, Tunc illos victoriam adeptos, quum quatridui iter biduo[3] eripuerint.

CAP.

1 *Quam id necessarium*] Eleganter MS. a I. Fr. Gronouio collatus, *quam id et necessarium et facile esset.* Oudend.

2 *Inopinatus*] MSS. tantum non omnes seruant *inopinatos*, praeter Palatinum, in quo est *inopinatus*, qua voce noster etiam vtitur passiua significatione. L. I. c. 1. §. 2. *inopinatus adpelleret classem.* c. IV. §. 6. *inopinatus Thermopylas traiecit.* §. 7. *Custodes angustiarum inopinatus oppressit a tergo.* Sic etiam Velleius L. II. §. 4. *ita inopinato classis aduentu grauis sub ipsius Caesaris oculis circa Taurometium accepta clades.* Nepos Dion. c. VI. §. 1. *inopinatas res consecuta est subita commutatio.* Vnde Strategicorum praeceptum, πολιορκίᾳ μὴ ἧττον ἀπροόρατος τῶν πολιορκουμένων ἔσω, apud Onosandr. c. XL. Ita vrbs Arcadiae *Psophis*, διὰ τὸ παράδοξον τῆς ἐπιβολῆς, a Philippo magno terrore fuit perculsa, teste Polybio L. IV. c. 71.

3 *Eripuerint*] *Arripuerunt* in vulgatis legitur; pro quo Barthius reponit *corripuerunt*, melius omnino, si MSS. addicerent; quorum cum plerique exhibeant *eripuerunt* vel *eripuerint*, ea scriptura omnino videtur esse verissima. *Eripere* enim maiorem innuit celeritatem, quam *corripere*. Quemadmodum nimirum, qui rapido contendunt cursu, omnes quidem *corripiunt spatia*, effusi nimbo similes, vt cum Poeta loquamur: ita ille dicitur *eripere campum* reliquis, qui ante omnia corpora emicat, elapsusque prior alios post se relinquit. Sic Virgilius Aen. L. II. v. 619.

Eripe, nate, fugam, finemque impone labori.

Tacitus Annal. L. I. c. 63. *vbi primum copia fuit, euehi equites, campumque, quem hostis insederat, eripi iubet.*

CAP. II.

De fallendis iis, qui obſidentur.

Exemplum I.

Domitius Caluinus, quum obſideret [1] Lunam, oppidum Ligurum, non ſitu tantum et operibus, verum etiam propugnatorum praeſtantia tutum, circuire muros frequenter omnibus copiis inſtituit, eaſdemque reducere in caſtra. Qua conſuetudine inductis ita oppidanis, vt crederent, exercitationis id gratia facere Romanum, et ob hoc nihil ab eo conatu cauentibus, morem illum obambulandi in ſubitum direxit inpetum: occupatisque moenibus, [2] expreſſit, vt ſe ipſos dederent oppidani.

II. C. Duilius Cos. ſubinde exercendo milites remigesque, conſecutus eſt, vt ſecuris Carthaginienſibus vſque in id tempus innoxiae conſuetudinis, ſubito admota claſſe, [3] murum occuparet.

III. Hannibal in Italia multas vrbes cepit, quum Ro-

1 *Lunam*] Multis modis turpiterque hanc ſcripturam deprauarunt rudes librarii; quorum illi tolerabilius peccarunt, qui *Lucam*, vrbem Etruſcorum, hic intruſerunt: *Luca* ſiquidem et *Luna* olim ad Etruriam pertinebant: quarum altera haec Ligurum poſtea facta eſt. Dum vero noſter addit *oppidum Ligurum*, omnis facile dubitatio euaneſcit. Sic enim, vt alios omittamus, Mela L. II. c. 4. §. 105. *Deinde Luna Ligurum, et Tigulia, et Genua, et Sabbatia, et Albigaunum*: et Liuius L. XLI. c. 13. *Lunam colonia eodem anno duo millia ciuium Romanorum ſunt deducta. De Ligure captus is ager erat; Etruſcorum ante, quam Ligurum fuerat.*

2 *Expreſſit*] Oppreſſit eſt in Mediceis et Edd. Par. Hittorp. ac Wechelii. *Effecit* Cantabrigienſes, teſte cl. Waſſe ad Salluſt. B. Catil. c. 27. ſed recte vulgatum defendit Ciceronis locus in Verrinis: *expreſſi, vt conficere tabulas negaret.* Liuius L. VIII. c. 2. *Deditio neceſſitate expreſſa.* Oudendorpius.

3 *Murum occupauit*] Mirus ſcribendi modus. Quem murum? vbi et quando? In conſulatu Segeſtam obſidione liberauit. Dein Conſul C. Cornelius Panormum occupauit. v. Polyb. L. I. c. 38. De Duilio vide quoque ad L. I. c. 5. §. 6. Oudend. Ita plane §. 7. non addit, cuius vrbis in Arcadia moenia intelligantur, extra quae vagatas hoſtium feminas dicit.

Romanorum habitu quosdam ſuorum ex longo belli vſu Latine quoque loquentes praemitteret.

IV. Arcades, Meſſeniorum caſtellum obſidentes, factis quibusdam armis ad ſimilitudinem hoſtilium, eo tempore, quo ſucceſſura alia praeſidia his explorauerant, inſtructi eorum, qui exſpectabantur, ornatu, admiſſique per hunc errorem, vt ſocii, poſſeſſionem loci cum ſtrage hoſtium adepti ſunt.

V. Cimon, dux Athenienſium, in Caria inſidiatus cuidam ciuitati, religioſum incolis templum Dianae, locumque, qui extra muros erat, noctu inprouiſus incendit: effuſisque oppidanis ad opem aduerſus ignes ferendam, vacuam defenſoribus cepit vrbem.

VI. Alcibiades, dux Athenienſium, quum ciuitatem [4] Agrigentinornm egregie munitam obſideret, petito ab eis concilio, diu tamquam de rebus, [5] ad commune pertinentibns, diſſeruit in theatro, vbi ex more Graecorum locus conſultationi praebebatur: dumque conſilii ſpecie tenet multitudinem, Athenienſes, quos ad id praeparauerat, incuſtoditam vrbem ceperunt.

VII. Epaminondas Thebanus, in Arcadia, die feſto, effuſe extra moenia vagantibus hoſtium feminis, plerosque ex militibus ſuis muliebri ornatu inmiſcuit: qua ſimulatione illi intra portas ſub noctem recepti, ceperunt oppidum, et ſuis aperuerunt.

VIII.

4 *Agrigentinorum*] Hic Frontinus humani quid paſſus videtur, dum pro *Catinenſium* poſuit *Agrigentinorum:* vt diſerte indicat Polyaenus L. I. c. 40. §. 4. ὁμῦ δὴ συνέβαινεν Ἀλκιβιάδην μὲν ἄρχεσθαι δημηγορεῖν, Ἀθηναίυς δὲ Κατάνην ἔχειν.

5 *Ad commune*] *Commune* apud Romanos aeque, ac τὸ κοινὸν et τὰ κοινὰ apud Graecos Rempublicam ſignificare conſtat. Quare hic quoque *ad commune* idem eſt quod *ad rempublicam.* Sic Horatius L. II. Od. 15. v. 13.

Priuatus illis cenſus erat breuis,
Commune magnum.

Eodem fere modo apud Onoſandrum c. XXXV. ὃ γε μήν ἐςι πολέμυ, καὶ τοῖς κοινοῖς εἶναι χρημάτων δαψίλειαν, καὶ τοῖς ςρατιώταις ἐπικαλυτὸν ὠφέλειαν.

VIII. [6] Aristippus Lacedaemonius, festo die Tegeatarum, quo omnis multitudo, ad celebrandum Mineruae sacrum, vrbe egressa erat, iumenta saccis frumentariis, palea refertis, onusta Tegeam misit, agentibus ea militibus: qui negotiatorum specie inobseruati, portas aperuerunt suis.

IX. Antiochus, in Cappadocia, ex castello [7] Suenda, quod obsidebat, iumenta frumentatum egressa intercepit: occisisque calonibus, eorumdem vestitu milites suos, tamquam frumentum reportantes, submisit. Quo errore illi, custodibus deceptis, castellum intrauerunt, admiseruntque milites Antiochi.

X. [8] Thebani, quum portum Sicyoniorum nulla vi redigere in potestatem suam possent, nauem ingentem armatis compleuerunt, exposita super merce, vt negotiatorum specie fallerent: ab ea deinde parte murorum, quae longissime remota erat, adparere paucos [9] disposuerunt, cum quibus e naue quidam egressi inermes, simulata rixa, concurrerent. Sicyoniis ad dirimendum id iurgium [10] aduocatis, Thebanae

6 *Aristippus Lacedaemon.*] Multi fuere Aristippi, quorum recensum agunt Diogenes Laertius L. II. Sect. 83. et inibi cl. Menagius. Lacedaemonii vero Aristippi mentionem nusquam inueni; nisi idem sit, qui Argiuus, quod sane non videtur. Tegeatis autem saepe bella fuere cum Lacedaemoniis, quorum capti cum iis sunt compedes seruati Tegeae in templo Mineruae *Aleae*, vt vocabatur. Consule Herodotum L. I. c. 66. Pausaniam in Arcad. L. VIII. c. 46, 47. aliosque. Oudend.

7 *Suenda*] Varie haec vox in antiquis Codd. et Edd. scripta reperitur: quae vera autem sit scriptura, dici haud facile possit: nisi sit *Soanda*, cuius in Cappadocia sitae Antoninus in itinerario facit mentionem.

8 *Thebani*] Hoc strategema *Pammenis* refert Polyaenus quoque L. V. c. 16. §. 1. nulla tamen simulati huius concursus facta mentione.

9 *Disposuerunt*] *Disposuerunt adparere*: i. e. vt *adparerent*. Oudendorpius vero rectius vult *instituerunt*, vt L. II. t. 1. §. 18. *instituit infestari naues Atheniensium*, et c. XIII. §. 8. *postquam disposito quibusdam locis cibo columbas illuc deuolare instituerat*.

10 *Aduocatis*] Hic quoque, vt alibi saepe, *aduocatis*, librariorum incuria, pro *auocatis*, scil. a portu, vbi illa armaris impleta nauis stabat. vid. not. ad L. I. c. 4. §. 14.

nae naues et portum vacantem, et vrbem occupauerunt.

XI. Timarchus Aetolus, occiso Charmade, Ptolemaei regis praefecto, chlamyde interemti et galero ad Macedonicum ornatus est habitum. Per hunc errorem pro Charmade in [11] Samiorum portum receptus, occupauit.

CAP. III.

De eliciendis ad proditionem.

Exemplum I.

Papirius Cursor Cos, apud Tarentum, Miloni, qui [1] cum praesidio Epirotarum vrbem obtinebat, salutem ipsi et popularibus, si per illum oppido potiretur, pollicitus est. Quibus praemiis ille corruptus, persuasit Tarentinis, vt se legatum ad Consulem mitterent: a quo plena promissa ex pacto referens, in securitatem oppidanos resoluit: atque ita incustoditam vrbem Cursori tradidit.

II. M. Marcellus, quum Syracusanum quemdam Sosistratum ad proditionem sollicitasset, ex eo cognouit, remissiores custodias fore die festo, quo Epicydes prae-

11 *Samiorum*] *Saniorum* quaedam exemplaria habent, quam lectionem miror elegantissimum Tennulium probasse. Probe obseruat Oudendorpius, Timarchum res gessisse in Asia; rectiusque adeo *Samum*, quam *Sanen*, Thraciae vrbem intelligi. Polyaenus L. V. c. 25. Τίμαρχος Αἰτωλὸς ἀποβὰς τῆς Ἀσίας ἐς πολυάνθρωπον χωρίον.

1 *Cum praesidio*] In vulgatis est *tum*, contra omnium MSS. consensum, qui seruant *cum praesidio*. Praepositio *cum* addita fuisse videtur, vbi ipse *copiarum dux*, *legatus* vel *praefectus* praesens fuit: cum alias eadem locutio, omissa Praepositione legatur. Prioris exempla sunt apud Caesarem L. IV. B. G. c. 22. *Legatum cum eo praesidio, quod satis esse arbitrabatur, portum tenere iussit.* Auctor B. Hisp. c. III. *Qui cum praesidio Cordubam tenebat.* Hirtius de B. Afr. c. LXXIX. *Vbi Virgilius cum grandi praesidio praeerat.* Posterioris locutionis vsum probant Nepos in Agesil. c. III. §. 4. *hostes non credituros, aliasque regiones praesidiis occupaturos.* Velleius Pat. L. II. c. 51. *mare praesidiis classium sepserat.* Curtius L. IV. c. 1. *Nunc Spartanorum, nunc Macedonum praesidiis occupabantur.*

praebiturus esset vini epularumque copiam. Insidiatus igitur hilaritati, et, quae eam sequebatur, socordiae, munimenta conscendit: vigilibusque caesis, aperuit exercitui Romano vrbem, nobilibus victoriis claram.

III. Tarquinius Superbus, quum Gabios in deditionem accipere non posset, filium suum Sextum Tarquinium, caesum virgis, ad hostem misit. Is, incusata patris saeuitia, persuasit Gabinis, odio suo aduersus regem vterentur: et dux ad bellum electus, tradidit patri Gabios.

IV. [2] Cyrus, Persarum rex, suum [3] comitem Zopyrum, explorata eius fide, truncata de industria facie ad hostes dimisit. Ille, [4] adsentante iniuriarum fide,

2 *Cyrus*] Hic quoque locus pertinacem Codd. MSS. in tuenda vitiosa lectione consensum declarare valet. Quem enim Herodotus L. III. c. 154. ac tantum non omnes historici Darii amicum dicunt; hunc Cyri comitem esse librarii voluerunt. Forsan matrimonium Darii, quo duas *Cyri* filias, *Atossam* et *Artystonam* sibi iunctas habuit, teste Herodoto L. III. c. 88. librario *Cyri* nomen in memoriam reuocauit; si modo is tam gnarus antiquae historiae habeatur.

3 *Comitem*] *Comites* dicebantur, quos magistratus et imperatores, in prouincias profecturi, itineris socios comitesque, splendoris maxime caussa, habuerunt: quorum frequens cum apud alios scriptores, tum apud Suetonium mentio occurrit. Sic Horatius L. I. ep. 8. 2. *comiti scribaeque Neronis.* Suetonius in Ner. c. V. *Siquidem comes ad orientem C. Caesaris iuuenis — dimissus e coborte amicorum, nihilo modestius vixit.*

4 *Adsentante iniuriarum fide*] *Iniuriarum fide* mihi suspecta sunt; vel certe illud *adsentante*, de quibus alii otiosiores videant, inquit Barthius Aduersar. L. XIV. c. 9. Medic. pr. Vatican. et edir. Rom. *illo asserente.* Bononiensis *illo asserente ins. fidem.* Medic. sec. *illo assectante.* *Assentante* mihi etiam suspectum est. Num scribendum, quod timide tamen pronuncio, *vultu adserente iniuriarum fidem?* πιςεύσασι τῇ ὄψει Polyaen. Iustin. *nec de fide timebant, cuius velut pignora, vulnera corporis et iniuriae notas babebant.* Liuius L. XXVI. c. 50. *forma faceret fidem.* Sed, vt dixi, nihil definio: nam licet *adserere* hoc sensu apud Tacitum aliosque satis frequenter vsurpetur, *adserere* tamen *fidem*, nescio, num inueniri possit. Quare vulgata tutius retinebitur, nisi quod tum *illi* malim. *Iniuriarum fides* est vultus laceratus seu argumentum. *fides inopiae* apud Iustin. *fides defectionis* Liuio, et alibi saepissime. Oudend. Satis recte se habet vulgata *adsentante* pro adsentiente, i. suffragante *iniuriarum fide.* *Adsentari* enim pro *adsentiri*, et *assentationem* pro *assensione* poni, docti viri dudum obseruarunt.

fide, creditus inimicissimus Cyro, quum hanc persuasionem adiuuaret procurrendo propius, quoties acie decertaretur, et in eum tela dirigendo, commissam sibi Babyloniorum vrbem tradidit Cyro.

V. Philippus oppido [5] Saniorum exclusus, Apollonio praefecto eorum, ad proditionem corrupto, persuasit, vt plaustrum, lapide quadrato oneratum, in ipso aditu portae poneret. [6] Confestim deinde signo dato insecutus, oppidanos circa inpedita portae claustra trepidantes obpressit.

VI. Hannibal apud Tarentum, quae a praesidio Roma-

runt. Velleius Paterc. L. II. c. 48. §. 1. *et iis, qui a Caesare dimittendos exercitus contendebant, adsentabatur.* Idem L. II. c. 128. §. 3. *Et qui M. Tullio tantum tribuere, vt paene adsentatione sua, quibus vellet, principatus conciliaret.* Petronius c. XVII. *Tacentibus adhuc nobis, et ad neutram partem assentationem flectentibus:* vbi etiam paucis versibus interiectis *ostentatio doloris* pro *ostensione* occurrit: vnde in glossis etiam *assentatio*, assensio legitur.

5 *Saniorum*] Ita omnino pro *Samniorum* l. *Sanniorum*, *Sampinorum* legendum esse, eruditissimus Vossius ad Melam L. II. c. 3. notauit: cuius coniecturae adstipulatur Stephanus: Σάνη, πόλις Θρᾴκης, μεταξὺ Ἄθω καὶ Παλλήνης. οἱ πολῖται, Σάνιοι. Hinc Iustinus L. VIII. c. 5. *Compositis ordinatisque Macedoniae rebus, Dardanos, ceterosque finitimos fraude captos expugnat:* quos inter *Sanii* quoque fuisse videntur, quos dicta a Frontino fraude oppressit.

6 *Confestim deinde*] Tres Cantabrigienses, ambo Medicei, bini Leidenses, et edd. primae non agnoscunt τὸ *deinde.* Cantabrigienses *confestimque*, rectius. si enim *confestim*, quomodo potest *deinde?* Praeterea non iungenda sunt *insecutus oppidanos*, sed *insecutus* plaustrum scilicet positum in porta, oppressit oppidanos trepidantes circa claustra impedita portae, vel *impeditae*, vt in Petiens. Sic enim bene digerunt haec verba MSS. Vulgo *insecutus oppidanos, circa imped. portae claustra, oppressit trepidantes. Trepidare circa claustra*, vt apud Phaedrum L. IV. fab. 5.

Fugerent et artos circum trepidarent cauos.

Hirtius de B. Afr. c. XXVIII. Animaduertit hostes *circa vallum trepidare.* Liuius L. I. c. 7. *Concursu pastorum trepidantium circa aduenam manifestae rerum caedis.* Oudendorp. De hac voce nos quaedam notauimus ad Vegetii L. II. c. 23.

Romano, duce [7] Liuio, tenebatur, [8] Cononeum quemdam Tarentinum, quem ad proditionem sollicitauerat, eiusmodi fallacia instruxit, vt ille [9] per caussam venandi noctu procederet, quasi id per hostem interdiu non liceret. Egresso ipsi apros subministrabant, quos ille tamquam ex captura Liuio obferret; idque quum saepius factum esset, et ideo minus obseruaretur, quadam nocte Hannibal, venatorum habitu, Poenos comitibus eius inmiscuit: qui quum onusti [10] venatione, quam ferebant, recepti essent a custodibus, protenus eos adorti, occiderunt. Tum fracta porta admissus cum exercitu Hannibal, omnes Romanos interfecit, exceptis his, qui in arcem profugerant.

VII. Lysimachus, rex Macedonum, quum Ephesios obpugnaret, et illi in auxilio haberent [11] Mandronem Archipiratam, qui plerumque oneratas praeda naues Ephesum adpellebat, corrupto ei ad proditionem iunxit fortissimos Macedonum, quos ille restrictis manibus pro captiuis Ephesum introduceret: qui postea, raptis ex arce armis, vrbem Lysimacho tradiderunt.

CAP.

7 *Liuio*] Huic *Marci* praenomen dedit Liuius L. XXVI. c. 39. quem Ἰάϊον appellat Polybius L. VIII. c. 20. Videtur tamen, iudice Oudendorpio, rectius esse *Marci* nomen: vnde Cicero eum confudit cum M. Liuio Salinatore, qua de re egit cl. Wesselingius Obseru. L. II. c. 5.

8 *Cononeum*] Variant in huius Tarentini nomine Codd. MSS. quorum alii *Coneum*; alii *Eoneum* praeferunt: ex quibus facile adparet, *Cononeum* legi debere; quem etiam Appianus Κονωνέα appellat, vt obseruauit Oudendorpius.

9 *Per caussam venandi*] i. e. praetextu venationis. Caesar de B. G. L. VII. c. 9. *Per causam supplementi equitatusque cogendi, ab exercitu discedit.*

10 *Venatione*] *Venatio* pro praeda venatione capta apud Liuium quoque L. XXV. c. 9. XXXV. c. 49. Celsum L. I. c. 6. *Venatio durique pisces:* et noster L. III. c. 13. §. 3. *Venationi quoque et pecoribus quidam insuerunt litteras.* Eodem modo apud Ebraeos ציד vsurpatur Genes. XXV. 28. et XXVII. 3. Vid. Salmasium ad Capitolini Antonin. Philos. c. IV. et Burmannum ad Quinctiliani Declam. XIII. c. 8.

11 *Mandronem*] Mandronis Bebrycum regis meminit Polyaenus L. VIII. c. 37.

CAP. IV.

Per quae hoſtes ad inopiam redigantur.

Exemplum I.

Fabius Maximus, vaſtatis Campanorum agris, ne quid eis ad fiduciam obſidionis ſupereſſet, receſſit ſementis tempore, vt frumentum, quod reliquum habebant, [1] in ſationes conferrent. Reuerſus deinde, renata [2] protriuit, et ad famem redactis [3] potitus eſt.

II. Antigonus aduerſus Athenienſes idem fecit.

III. Dionyſius, multis vrbibus captis, quum Rheginos adgredi vellet, qui copiis abundabant, ſimulat pacem, petitque ab eis, vt commeatus exercitui ipſius ſubminiſtrarent. Quod quum inpetraſſet, exhauſto oppidanorum frumento, adgreſſus vrbem, alimentis deſtitutam ſuperauit.

IV. Idem et aduerſus [4] Himeraeos feciſſe dicitur.

1 *In ſationes*] Medic. *in ſationem.* Plurali numero item apud Senecam epiſt. LXI. *Quamdiu ſationibus implebimus magnarum vrbium campos?*

2 *Protriuit*] *Proſtrauit* quinque mei et edd. Italicae. *Strauit* in Sanuto. Leid. tert. *proruit.* Perperam. Liuius L. XXXIV. c. 26. *Viride, ne hoſtes mox haberent, protritum et corruptum.* Lucanus L. VI. v. 82.

ad pabula terrae,
Quae currens obtriuit eques.

Statius L. II. v. 657.

equitumque cateruis
Exſpirat protritus ager.

et paſſim. Verum tamen Liuius dicit, Fabium non protriuiſſe pabulum, ſed id congeſſiſſe in Claudiana caſtra: ſed vel ſic *proſternere* non habet locum. *Segetes proſternere* calamitas dicitur et tempeſtas, non meſſis; et praeterea nimis abrupta foret locutio. Oudend.

3 *Potitus eſt*] Cum omnes hiſtorici in eo conſentiant, Capuam a Conſulibus Fuluio Flacco et Appio Claudio A. V. C. DXLII. captam fuiſſe: ingenioſe ſane Oudendorpius grauioris erroris Frontinum abſoluit, culpamque in oſcitantes librarios tranſtulit; qui peſſime huic exemplo adſuerunt, quae poſt ſecundum demum exemplum ponenda fuerunt. Simili enim fraude Athenas ab Antigono captas fuiſſe, docet Polyaenus L. IV. c. 6. §. 20. Qua re ita legendum ſuadet: *protriuit.* §. II. *Antigonus aduerſus Athenienſes idem fecit, et ad famem redactis potitus eſt.*

4 *Himeraeos*] Huius ſtrategematis aduerſus Himeraeos meminit etiam Polyaenus L. V. c. 2. §. 10. aduerſus Rheginos vero, Diodorus

V. Alexander obpugnaturus Leucadiam, commeatibus abundantem, prius castella, quae in confinio erant, cepit, omnesque ex his Leucadiam passus est confugere, vt alimenta inter multos celerius absumerentur.

VI. Phalaris Agrigentinus, quum quaedam loca, munitione tuta, in Sicilia obpugnaret, simulato foedere, frumenta, quae residua se habere dicebat, [5] apud eos deposuit. Deinde data opera, vt tectorum camerae, in quibus id conferebatur, rescissae pluuiam reciperent, fiducia conditi commeatus proprio tritico [6] abusos, primo initio aestatis adgressus, inopia compulit ad deditionem.

C A P. V.

Quemadmodum persuadeatur, obsidionem permansuram.

Exemplum I.

Clearchus Lacedaemonius exploratum habens, Thracas omnia victui necessaria in montes comportasse, [1] vna quoque ope sustentari, quod crederent, eum com-

dorus Siculus L. XIV. p. 317. Vix autem verisimile videtur, vtramque gentem non nimis longis spatiis disiunctam, eadem fraude se capi passam fuisse, nisi id vno fere eodemque tempore factum fuisse censeamus.

5 *Apud eos*] Scil. castellorum incolas, nota Synthesi, siue Enallage generis, saepe cum apud sacros, tum apud profanos scriptores obuia. e. g. Matth. c. XXVIII. 19. Apocal. c. XVII. 16.

6 *Abusos*] Locus integer, nec vllo modo mihi quidem sollicitandus videtur. Phalaris nimirum mala fraude dedit operam per corruptos forte in hoc homines, vt tectorum camerae rescissae pluuiam reciperent: incolae vero castellorum, fiducia conditi huius a Phalaride commeatus et foederis cum eo facti, proprio tritico abusi sunt, i. e. profusa luxuria incauti imprudentesque illud consumserunt: quos adeo Phalaris adgressus, inopia compulit ad deditionem. Sic omnia, meo quidem iudicio, plana et aperta.

1 *Vna quoque ope sust.*] Quamquam *ope* l. *opibus sustentari*, proba est locutio, qua ipse Cicero vtitur L. IV. ad Famil. ep. 13. *Casus meos aliorum opibus sustentaui:* hic

commeatus inópia recessurum, per id tempus, quo legatos eorum venturos opinabatur, aliquem ex captiuis in conspectu iussit occidi, et membratim, tamquam alimenti caussa, in contubernia [2] distribuit. Thraces nihil non facturum perseuerantiae caussa eum credentes, qui tam detestabiles epulas sustinuisset experiri, [3] in deditionem venerunt.

II. Tiberius Gracchus, Lusitanis dicentibus, in decem annos cibaria se habere, et ideo obsidionem non expauescere, Vndecimo, inquit, anno vos capiam. Qua voce perterriti Lusitani, quamquam instructi commeatibus, statim se tradiderunt.

III. A. Torquato Graecam vrbem obpugnanti, quum diceretur, iuuentutem ibi studiose iaculis et sagittis exerceri: Pluris eam, inquit, propediem vendam.

 CAP.

hic tamen incommodam esse eam, quisque, opinor, nullo negotio animaduertet. Qua re facere non possum, quin cl. Wesselingio, ex ingenio *spe* reponenti, accedam; cuius coniecturam insuper Cod. Palat. *spe sustentari* optime confirmat.

2 *Distribuit*] Ita omnes Codd. MSS. praeferunt. Scriuerius notat *distribui*: vt nimirum respondeat τῷ *occidi*. Non est vero, quod vulgatam Codd. consensu probatam deseramus. Sic enim noster L. II. c. 5. §. 46. *ita ordinauit suos, vt paucarum nauium malos erigeret, easque primas agi iuberet.* L. III. c. 15. §. 6. *Compellere iussit, et conuiuiis sub id tempus institutis per totam vrbem epulas praestitit.*

3 *In deditionem venerunt*] Saepius quidem apud optimos scriptores *in deditionem venire* legitur; pro eo vero eruditissimi viri suadent *in ditionem venire*. Sic Liuius L. XXIX. c. 38. *Voluntate in ditionem venerunt*. L. XXXVIII. c. 3. *Ea quoque magna ex parte sine certamine in ditionem venit.* Quamquam *deditio* et *ditio* librariorum oscitantia in antiquis codicibus facile potuerunt confundi: nescio tamen, an locutio *in deditionem venire*, tam frequens apud veteres scriptores, vbique pro corrupta recte habeatur. Sic apud Caesarem de B. G. L. VI. c. 9. *Vbii, qui ante obsides dederant, atque in deditionem venerant.* Suetonius in Caes. c. XXXIV. *Domitio — in deditionem redacto atque dimisso.* Possis enim τὸ *in deditionem venire*, interpretari, *eo venire, vt te dedas*; vti noster L. II. c. 10. §. 1. *Ad conditiones imperatoris descenderunt.* Cum vero sollemnis sit harum vocum confusio, nihil certi definire ausim. Vide tamen Oudendorpium ad Caesar. de B. G. L. VI. c. 9. coll. L. II. c. 34.

CAP. VI.

De destructione praesidiorum hostium.

Exemplum I.

Scipio, Hannibale in Africam reuerso, quum plura oppida, quae ratio illi in potestatem redigenda dictabat, firmis praesidiis [1] diuersae partis obtinerentur, subinde aliquam manum submittebat ad infestanda ea: nouissime etiam, tamquam direpturus ciuitates, aderat: deinde simulato metu, refugiebat. Hannibal ratus, veram esse eius trepidationem, deductis vndique praesidiis, tamquam de summa rerum [2] decertaturus, insequi coepit. Ita consecutus Scipio, quod petierat, nudatas propugnatoribus vrbes, per Masinissam et Numidas cepit.

II. P. Cornelius Scipio, intellecta difficultate expugnandi [3] Delminium, quia omnium concursu defendebatur, adgredi alia oppida coepit: et euocatis ad sua

1 *Diuersae partis*] Sic L. II. c. 3. §. 16. *Quorum pars non solum ex diuersis partibus, sed etiam ex Italicis constabat.* Suetonius in Aug. c. 51. *Ne enumerem, quot et quos diuersarum partium venia et incolamitate donatos, principem etiam locum in ciuitate tenere passus sit.* Idem in Caes. c. XXX. *Sed cum obstinatius omnia agi videret, et designatos etiam Consules e parte diuersa.*

2 *Decertaturus*] In vulgatis est *dimicaturus*, quod in nullo codice MS. est. Quare sex MSS. auctoritate pro eo Oudendorpius posuit *decertaturus*. Reliqui codd. MSS. praeferunt *decuraturus*, vnde vir ille doctissimus putat, veram Frontini scripturam esse *decreturus*, quod cum *decertare* in antiquis libris saepe confusum, e. g. L. I. c. X. §. 3, L. II. c. 1. §. 12. Sic Nepos in Hannib. c. X. §. 4. *Classe paucis diebus erant decreturi.* De verbis *cernere* et *decernere* pluribus egerunt Burmannus ad Valerii Flacci Argonaut. L. VIII. v. 319. Cortius ad Sallust. B. Catilin. c. LIX. §. 5.

3 *Delminium*] Caput Dalmatarum fuit vrbs haec, quae Graecis Δάλμιον, ἢ Δελμίνιον, ἢ Δέλμινον dicta fuit, secundum Eustathium ad Dionysii περ. v. 97. *Delminium* dicitur apud Florum quoque L. IV. c. 12. §. 11. Hic vero P. Cornelius Scipio fuit *Nasica*, teste Strabone L. VII. p. 315. Δαλμίνιον δὲ μεγάλη πόλις, ἧς ἐπώνυμον τὸ ἔθνος. μικρὰν δ᾽ ἐποίησε Νασικᾶς. Adde Pigh. in Annal. T. II. p. 428.

ſua defendenda ſingulis, [4] vacuatam auxiliis Delminium cepit.

III. Pyrrhus, Epirotarum rex, aduerſus Illyrios, quum ciuitatem, quae caput gentis erat, redigere in poteſtatem ſuam vellet, eius deſperatione ceteras vrbes petere coepit, conſecutusque eſt, vt hoſtes, fiducia velut ſatis munitae vrbis eius, ad tutelam aliarum dilaberentur. Quo facto reuocatis ipſe rurſus omnibus ſuis, vacuam eam defenſoribus cepit.

IV. Cornelius Rufinus Cos, quum aliquanto tempore Crotona oppidum fruſtra obſediſſet, quod inexpugnabile faciebat adſumta in praeſidium Lucanorum manus, ſimulauit ſe coepto deſiſtere: captiuum deinde, magno praemio ſollicitatum, miſit Crotona, qui, tamquam ex cuſtodia effugiſſet, perſuaſit, diſceſſiſſe Romanos. Id verum Crotonienſes arbitrati, dimiſere auxilia, deſtitutique propugnatoribus, [5] inopinati et inualidi capti ſunt.

V. Mago, dux Carthaginienſium, victo Cn. Piſone, et in quadam turre circumſepto, ſuſpicatus ventura ei ſubſidia, perfugam miſit, qui perſuaderet adpropinquantibus, captum iam Piſonem. Qua ratione deterritis eis, reliqua victoriae conſummauit.

VI. Alcibiades in Sicilia, quum Syracuſanos capere vellet, ex Catinenſibus, apud quos tunc exercitum continebat, quemdam exploratae ſollertiae [6] ſubmiſit ad Syracuſanos. Is in publicum concilium intro-

4 *Vacuatam*] Recte feminino genere pro vulgata *vacuatum*, v. *vrbem* ἐλλιπῶς ſuppreſſa, vt L. III. c. 3. §. 6. *Hannibal apud Tarentum, quae a praeſidio Romano, duce Liuio, tenebatur.*

5 *Inopinati et inualidi*] In MSS. *inopinati inualida capti ſunt:* vnde Scriuerius refinxit *inopinati vi valida*, nec renuit Oudendorpius, qui tamen *inopinata vi inualidi* quoque legi poſſe cenſet. Cum *inopinatus* in agendi pariter atque patiendi ſignificatione apud optimos ſcriptores occurrat, quod ad ipſam rem attinet, perinde eſt, vtram coniecturam ſequaris.

6 *Submiſit ad Syracuſanos*] Polyaenus L. I. c. 40. §. 5. qui idem ſtrategema refert, haec verba reddit, κα-

troductus, persuasit, infestissimos esse Catinenses Atheniensibus, et, si adiuuarentur a Syracusanis, futurum, vt obprimerent eos et Alcibiadem. Qua re adducti Syracusani, vniuersis viribus Catinam petituri processerunt, relicta ipsorum vrbe: quam a tergo adortus Alcibiades desolatam, vt sperauerat, adflixit.

VII. [7] Cleonymus Atheniensis Troezenios, qui praesidio Crateri tum tenebantur, adgressus, [8] tela quaedam, in quibus scriptum erat, venisse se ad liberan-

καθῆκεν ἐς Συρακούσας: et quae paucis interiectis sequuntur, *vniuersis viribus Catanam petituri processerunt*, ἐξιέναι πανδημεὶ τὴν ἐπὶ Κατάνης. Pro vulgata *superauerat*, omnino scribendum *sperauerat*, addicentibus omnibus praeter Medic. pr. Codicibus MSS. ipsoque contextu. Ceterum hoc strategema Niciae et Lamacho tribuit Thucydides L. VI.

7 *Cleonymus Atheniensis*] Turpiter denuo errarunt librarii, qui hunc Cleonymum, quem, praeter alios, Polyaenus L. II. c. 29. Λακεδαιμονίων βασιλέα diserte vocat, Atheniensem esse voluerunt. Qua re eruditissimus Casaubonus dudum vocem *Atheniensis* vel inducendam, vel emendandam mutandamque esse censuit: cui omnino, refragantibus licet omnibus Codd. MSS. qui vulgatam *Atheniensis* mordicus tenent, adsentiendum iudicamus. Pro *Cratero* quidem *Eudamidae* meminisse Polyaenum, quibusdam possit videri. Verum enim vero bene coniectauit Maasuicius, pro κρατερῶς ibi legendum esse Κρατερῦ, cuius στρατηγὸς quidem fuit ille *Eudamidas*; *Craterus* autem, summae rei praefuit, qualem τὸν στρατηγὸν τὸν τῦ ὅλυ ἡγεμόνα appellat Aeneas Tact. in Poliorc. c. XXII.

8 *Tela quaedam*] Inter varios modos, occulta inuicem communicandi consilia, is quoque fuit, quo litteras crenis sagittarum adfixas ex arcubus; vel etiam glandibus additas ex fundis; immo interdum iaculis ex catapultis miserunt. De illo ita Aeneas Tact. c. XXXI. οἱ δὲ τῦ τοξεύματος περὶ τὰς πύλας γλυφὰς (vel potius, secundum Herodotum L. VIII. c. 128. ex quo haec sunt deriuata, vt Casaubonus obseruauit, γλυφίδας) ἑλίξαντες τὸ βιβλίον καὶ πτερώσαντες, ἐτόξευον εἰς τὰ συγκείμενα χωρία. Glandium missarum meminit Auctor de B. Hispan. c. XIII. *Idemque temporis glans missa est inscripta, quo die ad oppidum capiendum accederent, sese scutum esse positurum.* et c. XVIII. *cum in oppidum reuertissent, qui mittere glandem inscriptam solebant.* *Catapultas* quoque adhibitas fuisse, modo laudato loco docet Polyaenus: κατὰ πολλὰ μέρη τῆς πόλεως ὀξυβελεῖς περιστήσας, ἐκέλευσεν ἀφιέναι, τοῖς βέλεσιν ἐπιγράψας· ἥκω τὴν πόλιν ἐλευθερώσων. libratores nimirum iussit catapultis tela torquere. Errat enim hic Lat. interpres, qui ὀξυβελεῖς reddit *expeditos iaculatores*: nam v. καταπέλτας subauditur, quarum aliae ὀξυβελεῖς; aliae λιθοβόλοι

a

randam eorum rempublicam, intra muros iecit, et eodem tempore captiuos quosdam, conciliatos ſibi, remiſit, qui Craterum [9] detractarent. Per hoc conſilium ſeditione inteſtina apud obſeſſos [10] conciliata, admoto exercitu, potitus eſt ciuitate.

CAP. VII.

De fluminum deriuatione, et [1] *vitiatione aquarum.*

Exemplum I.

P. Seruilius, [2] Iſauram oppidum, flumine, ex quo hoſtes aquabantur, auerſo, ad deditionem ſiti compulit.

L 5 II. C.

a ſcriptoribus dicuntur; vt Tacticae rei periti non ignorant: quamquam antiquiore militia λιθοβόλοι proprie *balliſtae* appellatae fuerunt. Antiquitas huius inuenti exinde colligi poteſt, quod non ſolum apud Herodotum eius fit mentio; ſed Aeneas quoque, qui et ipſe omnium Tacticorum fuit antiquiſſimus, *παρὰ τοῖς παλαιοτέροις* excogitatum fuiſſe adfirmat.

9 *Detractarent*] Sic optimi codices pro vulgata *detrectarent*; vt L. I. c. 1. §. 9. *Detractaturo pugnam*.

10 *Conciliata*] Quamquam *conciliare* ſaepius a ſcriptoribus in bonam partem ſumitur, non deſunt tamen exempla, quibus, eam vocem in malam quoque adhiberi, probari poſſit. Sic Velleius Pat. L. II. c. 57. §. 4. *inuidiam conciliarat*. Plinius L. XXVIII. c. 8. *Odium omnium hominum conciliare*. Cum vero proxime hic praeceſſerit *conciliatos ſibi:* dubito, an hic, MSS. adſentientibus, rectius *concitata* ponatur.

1 *Vitiatione*] Ita omnino cum in indice huius capitis; tum in hoc exemplo pro vulg. *vitatione* legendum eſſe, cum ſenſus, tum Codd. MSS. iubent. *Vitiare aquas* eſt *veneno eas inficere, corrumpere*. Pro quo Seneca L. II. de ira c. 8. *violatos fontes venenis*. Ouidius L. XIV. Metam. v. 55.

Hunc (gurgitem) *Dea praeuitiat.*

Lactantius Epiſt. c. XI. *Aqua omnis amaritudine vitiabitur*. *Vitiatio legis* apud Senecam Controu. L. IV. c. 23. reperitur.

2 *Iſauram*] Palatinus *Sauram:* quomodo illa vrbs hodie adpellari creditur. Plerique cum Ed. Pariſ. *Siſauram*. Varie autem haec vrbs enunciatur. *Iſaura* Ammiano Marcell. Plinio, Stephano, et Straboni, ſed duobus poſterioribus in Neutro genere plur. Hic autem in Leid. ſec. *Siſaurum* pro *Iſaurum:* quo modo vulgo nunc apud Florum editur L. III. c. 6. *Iſaurumque ipſam arcem Ciliciae*. Sed in Vett. Edd. ibi *Iſauram* eſt, vti et in vno Leidenſi. *Iſauram* retineo. Conſule Valeſium ad Ammian. L. XIV. c. 8. et commentar. ad Stephanum. Ceterum hic Seruilius dictus eſt *Iſau-*

II. C. Caesar in Gallia [3] Cadurcorum ciuitatem, amne cinctam, et fontibus abundantem, ad inopiam aquae redegit, quum fontes cuniculis auertisset, et fluminis [4] vsum per sagittarios arcuisset.

III. Q. Metellus, in Hispania citeriore, in castra hostium, humili loco posita, fluuium ex superiore parte inmisit, et subita inundatione turbatos, per dispositos in hoc ipsum insidiatores, cecidit.

IV. [5] Alexander apud Babylona, quae media flumine Euphrate diuidebatur, fossam pariter et aggerem instituit, vt in vsum eius existimarent hostes [6] egeri terram. Atque ita subito flumine auerso, per alueum ve-

Isauricus, non P. Valerius, vt negligenter tradit Keuchenius. Oudendorpius.

3 *Cadurcorum*] Mirum omnino, quomodo corruptum illud *Caduceorum* in quibusdam Edd. locum occupare potuerit: cum vel ex Caesare notissima sit *Cadurcorum* gens, de B. Gall. L. VII. c. 4. §. 6. et c. V. §. 1. *Lucterium Cadurcum summae hominem audaciae*; coll. L. VIII. c. 30. §. 1. insuperque vera scriptura cum in optimis Codicibus, tum in Edd. Rom. Bonon. et Parif. reperiatur. Non vero, vt hic notat Oudendorpius, illud *Caduceorum* in Wechelii officina natum, sed legitur iam in editione Hittorp. Colon. 1524. impressa.

4 *Vsum arcuisset*] Rara locutio *arcere vsum*, pro *hostes arcere vsu*. MSti tamen constanter eam retinent; sumendaque est actiue, quasi dixisset *vsentes ipsos hostes*. vt apud Liuium L. XXVI. c. 41. *Arceamus transitum hostis*, pro *hostes transitu*. Lucanus L. X. 489. *Aditus arcere*; quod, vt dixi illic, defendi posset, si sumas pro incursionibus hostium. Sic clare Cicero Philipp. V. 4. *Aditus hostium prohibebitur castellis*. Alii in Lucano iam ediderunt *aditu*. Oudendorpius.

De varia constructione verbi *arcere* vid. Burmannum ad Virgil. L. III. Georg. v. 155. nec non ad Lucan. L. II. v. 495.

5 *Alexander apud Babylona*] Frontinum, vt alibi in hoc opere, ita hic quoque memoria lapsum fuisse, cum Alexandro tribuit, quae alii historici de Cyro vnanimi consensu tradiderunt, dubitari non potest. Diserte de *Cyro* id prodidit Herodotus L. I. c. 191. coll. Plutarcho in Alexandro c. 64. Arrian. L. III. c. 3. 16. qui Alexandro traditam fuisse vrbem scripserunt. Eiusmodi forte, vt alia non dicamus, lapsus μνημονικὸς fuit, cum paullo ante c. VI. §. 7. *Cleonymum Atheniensem* appellauit: et sequenti exemplo idem aduersus Babylonios Semiramin fecisse scribit, quae ipsa tamen Babylona condidit, atque in eius vsum fossas et alueos ex Euphrate deriuauit. Strabo L. XVI. p. 737.

6 *Egeri*] Frustra omnino hunc locum docti viri sollicitarunt, cum, excepta Wecheliana editione, quae habet *aggeri*, reliquae omnes cum MSS. veram scripturam *egeri* rueantur. Sic Liuius L. XXXVIII. c. 7. *Non solum sub terra fodientes, sed egerentes etiam humum, fefellere hostem*.

veterem, qui ſiccatus ingreſſum praebebat, vrbem intrauit.

V. Semiramis aduerſus eosdem Babylonios, eodem Euphrate auerſo, idem feciſſe dicitur.

VI. Cliſthenes Sicyonius ductum aquarum in oppidum [7] Criſaeorum ferentem rupit: mox adfectis ſiti reſtituit aquam elleboro corruptam: qua vſos profluuio ventris [8] decipiens, cepit.

CAP. VIII.

De iniiciendo obſeſſis pauore.

Exemplum I.

Philippus, quum [1] Prinaſum caſtellum nulla vi capere poſſet, terram ante ipſos muros [2] adgeſſit, ſimulauit-

7 *Criſaeorum*] Ortelius coniecerat *Cirraeorum*. Saltem a Κίῤῥα, *Cirrba*, vt vocatur, foret deducendum. Sed optime docuerunt iam dudum viri docti, reſcribendum eſſe per Diphthongum *Criſaeorum* vel *Criſſaeorum*. *Cirrha* enim et *Criſa* ſ. *Criſſa* eadem eſt: vnde hoc bellum a Sicyoniis ductu Solonis et Cliſthenis geſtum, vocatum fuit Κρισαῖον, *Criſaeum*. Praeter Freinshemium ad Florum L. II. c. 20. adi etiam Kuhnium ad Pauſaniam L. X. c. 37. Maasuic. ad Polyaen. L. III. c. 5. L. VI. c. 13. et Longuerue ad Iuſtinum. Vt verum tamen fatear, mallem cum aliis *Cirrhaeorum*, ſi MSS. addicerent, ex Demoſthene, Aeſchine aliisque. Nam praeter Pauſaniam et Iuſtinum ceteri Geographi *Cirrham* et *Criſam* diſtinguunt, non vero easdem faciunt. Oudend.

8 *Decipiens*] Inter alias coniecturas, quas pro v. *decipiens* adferunt docti viri, inprimis probatur illa Oudendorpii, qua *deſidentes* vult legi; nimirum prae continua alui exoneratione. Qua voce in eadem re vtitur Celſus L. II. c. 10. et L. IV. c. 18. *In torminibus frequens deſidendi cupiditas eſt.* Vel *decumbentes* Maasuicii: cui lectioni conueniunt illa Polyaeni, qui hoc ſtrategema Amphictyonibus tribuit L. VI. c. 13. τὴν Κίῤῥαν πόλιν ἔλαβον, κειμένων τῶν πολεμίων.

1 *Prinaſum*] Dici non poteſt, quae monſtra lectionum, in ſcribenda hac voce, denuo nobis protulerit male collocata librariorum diligentia: ſed nos illa non curamus. *Prinaſum* vel *Prinaſſum* a manu Frontini profectam eſſe, non dubitamus. Sic Polyaenus L. IV. c. 17. φίλιππος Ῥοδίων πόλιν ἐν τῇ Περαίᾳ Πρινασσὸν ἐπόρθει: et Polybius L. XVI. c. 10. Ὅθεν ἀπαλλαττόμενος προσεστρατοπέδευσε τῷ Πρινασσῷ.

2 *Adgeſſit*] Quidam Codd. hic pro *adgeſſit*, praeferunt *egeſſit*, quod locum non habet. Non enim reuera

uitque agi cuniculum. Caſtellani, quia ſubrutos ſe exiſtimarant, dediderunt.

II. Pelopidas Thebanus Magnetum duo oppida ſimul obpugnaturus, non ita longo ſpatio diſtantia, quo tempore ad alterum eorum exercitum admouebat, praecepit, vt ex compoſito ab aliis caſtris quatuor equites coronati, notabili alacritate velut victoriam adnuntiantes, venirent. Ad cuius ſimulationem curauit, vt ſilua, quae in medio erat, incenderetur, praebitura ſpeciem vrbis ardentis: praeterea quosdam, captiuorum habitu, eodem iuſſit perduci. Qua adſeueratione perterriti, qui obſidebantur, dum in parte iam ſe ſuperatos [3] exiſtimant, defecerunt.

III. Cyrus, rex Perſarum, incluſo Sardibus Croeſo, qua praeruptus mons nullum aditum praeſtabat, ad moenia malos exaequantes altitudinem iugi [4] ſubrexit, quibus ſimulacra hominum armata Perſici habitus

tus

uera omnem illam egeſſit terram, quam viderunt caſtellani; ſed acti cuniculi ſimulatione, militum opera, noctu eam *adgerendam* e longinquo curauit. Polybius L. XVI. c. 10. *τὰς μὲν ἡμέρας ψόφον ἐποίει κατὰ γῆς, ὡς ἐνεργυμένων τῶν μετάλλων· τὰς δὲ νύκτας ἔξωθεν ἔφερε χῦν, καὶ παρέβαλε παρὰ τὰ στόμια τῶν ὀρυγμάτων*: cum quo conſpirat etiam Polyaenus L. IV. c. 17. *νύκτωρ δὲ ἐκέλευσε τοὺς στρατιώτας ἀπὸ σταδίων ὀκτὼ, ἢ δέκα, ἔκ τινος βαθείας φάραγγος ἀνακομίζοντας χοῦν μεταβάλλειν πρὸ τοῦ στόματος τῶν ὀρυγμάτων. ἐπεὶ δὲ πολὺς χοῦς ἐγήγερτο σωρηδόν.* cet.

3 *Exiſtimant*] MSS. mei decem cum Edd. primis *exiſtimant*: veriſſime. nam vulgatum *exiſtimarent* non eſt Latinum. Quippe *dum* hoc ſenſu indicatiuum amat. Idem vitium vulgatos Codd. obſederat L. I. c. 5. §. 2. *Dumque ignibus ſubmouentur hoſtes, ipſe fluuium ſuperauit.* vbi vide. Oudend.

4 *Subrexit*] Medicei *ſubtexit* cum Edd. Italicis. *ſubrepſit* Palatinus. *Subiecit* Petrenſis, ſolita librariorum mutatione, non ſcientium *ſubrigere* pro ſurſum erigere actiuae eſſe ſignificationis. At tu lector, vide, quae congeſſit Cl. Drakenburg ad Silium L. X. v. 252. *ſubrecta cuſpide.* Seneca Ep. 86. *Vidi turres in propugnaculum villae ſubrectas.* Oudendorpius. De hac voce ita Nonius Marcellus p. 78. ed. Plant. *Subrigere ſignificat ſurſum erigere. quo verbo ruſtici vtuntur, cum tritae fruges ad ventilandum in areis eriguntur.* Virgilius Aen. L. IIII. v. 183.

Tot linguae, totidem ora ſonant, tot ſurrigit aures.

Suetonius Vitell. c. XVII. *Mucrone gladii ſubrecto.* A *ſurrigere*; *b* in Praeterito de nouo adſumto, vt forte

tus inpoſuerat, noctuque eos monti admouit. Tum prima luce ex altera parte muros adgreſſus eſt, vbi orto iam ſole ſimulacra illa, armatorum referentia habitum, refulſerunt. Oppidani captam vrbem ab tergo credentes, et ab hoc in fugam dilapſi, victoriam hoſtibus conceſſerunt.

CAP. IX.

De inruptione ex diuerſa parte, quam exſpectamus.

Exemplum I.

Scipio apud [1] Carthaginem [2] ſub diſceſſum aeſtus maritimi ſecutus Deum, vt dicebat, ducem, ad muros vrbis acceſſit, et, cedente ſtagno, qua non exſpectabatur, inrupit.

II. Fabius Maximus, Cunctatoris filius, apud Arpos, praeſidio Hannibalis occupatos, conſiderato ſitu vrbis, ſexcentos milites obſcura nocte miſit, qui per munitam, eoque [3] minus frequentem oppidi partem ſca-

te a *ſurrexi*, quod a *ſurgo* flectitur, vt Ariſtarchi filii iudicant, distinguatur. Ceterum Herodotus L. I. c. 48. in exponenda Sardium expugnatione, non eadem quae *Frontinus* et *Polyaenus* affert: vt adeo hi aliorum hiſtoricorum veſtigia ſecuti videantur.

1 *Carthaginem*] Hiſpanam ſcilicet vel *Nouam*, quam vocem differentiae cauſſa addere plerumque ſolent auctores, ex abrupto de hac vrbe loquentes. Apud Aurelium Victorem tamen in Scipione a quibusdam MSS. *Nouam* abeſſe quoque deprehendi. Oudend. *Καρχηδόνα νέαν* aliquoties in Hiſpaniae deſcriptione habet Strabo L. III. p. 147. 156.

2 *Sub diſceſſum*] Vtrumque recto dici, *ſub diſceſſum*, et *diſceſſu*, optimorum ſcriptorum exemplis facile poteſt probari. vid. not. ad L. I. c. 5. §. 9.

3 *Frequentem*] In vulgatis eſt *frequentatam*: pro qua ſcriptura, optimorum MSS. auctoritate, Oudendorpius eleganter repoſuit *frequentem*. Sic noſter L. III. c. 10. §. 6. *frequentes procurrunt*. Eadem ratione *frequens auditorium*, *Senatus*, *frequentiſſimae aedes* apud Plinium, Salluſtium aliosque. Nec eſt tamen, quod illam alteram lectionem *frequentatam* improbemus, cum *loca frequentata* apud alios melioris notae ſcriptores reperiamus. Quod vero ad ipſam rem attinet, Strategici ſcriptores optime monuerunt, *ὅτι ἐνίοτε τὰ δοκοῦντα μέρη τῆς πόλεως εἶναι κρημνώδη, καὶ πέτραις ἀποτόμοις ὀχυρώτερα* τῶν

ſcalis euecti in murum, portas reuellerent. Hi adiuti decidentium [4] aquarum ſono, qui operis ſtrepitum obſcurabat, iuſſa peragunt. Ipſe, dato ſigno, [5] ab alia parte adgreſſus, cepit Arpos.

III. C. Marius, bello Iugurthino, apud flumen Mulucham, quum obpugnaret caſtellum in monte ſaxeo ſitum, quod vna et anguſta ſemita adibatur, cetera parte (velut conſulto) praecipiti, nunciato ſibi per Ligurem quemdam ex auxiliis gregalem militem, qui forte aquatum progreſſus, dum per ſaxa montis cochleas legit, [6] ad ſummum peruenerat, [7] erepi poſſe

τῶν διὰ χειρὸς ἀνεσηκότων τειχῶν, ἔδωκε τοῖς πολιορκοῦσιν ἀφορμὰς μείζους εἰς τὸ νικᾷν, teſte Onoſandro c. XLII. p. 124. quod quidem praeceptum ex Xenophontis L. VII. Cyrop. c. 2. eſt deriuatum, multisque omnis aetatis exemplis comprobatum. Hic praetetea conſuli poſſunt Xenophon Cyrop. p. 413. Polybius L. IV. c. 78. L. VII. c. 4. Leo c. XV. §. 20. Vnde Damaſcius, Philoſophus Stoicus et Hiſtoricus, Polybii verbis vſus, apud Suidam et Polybium Fragment. p. 1524. Tom. II. ed. Gron. τὰ ἐπιφανέστατα τῶν ὀχυρωμάτων — γίνονται πολλάκις αἴτιοι δουλείας, καὶ κακῶν ὁμολογουμένων.

4 *Aquarum*] Imber fuit, qui maxime tunc ad fallendum iuuit, teſte Liuio L. XXIV. c. 46. *Imber a nocte media coortus, cuſtodes vigilesque dilapſos e ſtationibus ſuffugere in tecta coegit; ſonituque primo largioris procellae ſtrepitum demolientium portam exaudiri prohibuit.*

5 *Ab alia parte adgreſſus*] Cui ergo bono ab interiore parte portam illam, qua adſcenderant, reuellere debuerunt? Hoc non capio. Scribendum videtur, niſi auctor lapſus fuerit, *effracta* vel *auulſa porta ingreſſus*, aut ſimile quid. Liuius: *Id vbi factum ex compoſito eſt, ſigna efferri conſul iubet, ac paullo ante lucem per effractam portam vrbem ingreditur.* Fauet nonnihil Medic. ſec. *egreſſus*. *Porta* alibi quoque apud noſtrum deprauatum eſt in *parte*. Vel lege, quod deinceps in Vaticano inueni, ſimpliciter *ab ea parte*. Mihi tamen hoc ab correctoris eſſe manu videtur. Pro *Arpos* non male Leid. ſec. habet *vrbem*. Oudend.

6 *Ad ſummum*] Quidam Codd. habent *ad ſummam*; alii *ad ſumma*. Vulgatam vero tuetur ipſe Salluſtius, ex quo ſua hauſiſſe noſter videtur. Iugurth. B. c. XCVIII. *Paullatim prope ad ſummum montis egreſſus eſt.*

7 *Erepi poſſe in caſtellum*] Quidam Codd. MSS. et Ed. Romana habent *eripi poſſe in caſtellum.* Sine dubitatione *eripi*, librariorum errore, pro *erepi* ſcriptum putamus. Vnde optime editio Bononienſis: *erepi poſſe in caſtellum:* vti etiam coniectauit Stewechius. Sic etiam Horatius L. I. Sat. V. v. 77.

Incipit ex illo montes Appulia notos
Oſtentare mihi, quos torret Atabulus, et quos
Numquam erepſemus.

Adde

se in castellum, paucos centuriones, quibus [8] perfectissimos cum velocissimis militibus aeneatores inmiscuerat,

Adde N. Heinsii notam ad Silium Italic. L. III. 529. et Io. Fr. Gronouium ad Senecae Phoeniss. v. 112.

8 *Perfectissimos cum velocissimis militibus aeneatores*] Sallustius tantum dicit *ex copia tubicinum et cornicinum numero quinque quam velocissimos delegit, et cum bis, praesidio qui forent, quatuor centuriones; omnesque Liguri parere iubet.* Vnde doctissimus Wasse coniicit ibidem, ceteris reiectis, scribendum esse *quibus quam velocissimos aeneatores.* Contra ego putarem potius, Sallustio a nostro auctore magnam adfundi lucem, eumque idem voluisse, quod dicit Frontinus. Centuriones enim non solos intelligit Sallustius, sed et sub iis delectos quosdam ex centuriis. Hoc patere videtur ex eo, quod sequitur *illi, qui centuriis praeerant.* Vnde colligas, ipsos adfuisse milites. Nimis enim poetica haec foret descriptio *centurionis*; nisi etiam tunc reuera iis praefuissent. Quare hoc argumento commotus Cl. Wasse rescripsit mihi, se iam *cum mil.* non mouere; sibi tamen nequaquam τὸ *perfectissimos* placere: cuius rei caussam equidem, pace viri doctissimi dixerim, non percipio. At doct. Cortius haec non capiens, vrit statim et secat suum auctorem; et delenda ea verba, *qui centuriis praeerant*, censet: immo ad maiorem audaciam procedit. Mox apud eumdem additur, quibus *alleuati milites melius escenderent*, quod constanter innumeri eius aliorumque Codd. retinent; ille tamen confidentet ex ipso textu vocem *milites* eiecit, rogans *qui milites? Centuriones, an tubicines, an omnes?* Immo vero milites; qui Frontino teste dilectos centuriones sequebantur, aut etiam ipsos cornicines et centuriones, qui laxiore significatione *milites* dici possent. Vehementer autem miror, viris doctis non suspecta esse illa Sallustii verba *cornicinum n. q. quam velocissimos*: cum tamen, si quid in hisce mutandum est, illic sine dubio lateat mendum, quod vox *velocissimos* satis euincere possit. Hoc enim, ni fallor, epitheton est inconueniens tubicini et cornicini, quale hominum genus nemo commendauerit a celeritate, qua illis minime est opus. Milites veloces et expediti sint oportet: aeneatores vero in arte sua perfecti si sint, nihil vltra requiret imperator. Iam vero Cortius indicauit, in MSto et ed. Venet. 1470 interseri *pedites*; in quatuor aliis MSS. interponi *millium* vel *millia*, et *quam* in iis abesse. Hinc nemo non videt, facile legi posse *militesque velocissimos*; quorum glossa est *pedites*, vti etiam in Frontino plus semel vidimus: quomodo si reliquerit Sallustius, *centuriones* simplici significatione sunt sumendi. Et, vt verum fatear, licet sub duce saepe eius intelligantur milites, hic tamen loci durius foret, et intricatius. Haec olim ad hunc locum notaueram. Nunc in Sallustio nihil mutari velim, sed etiam deberi nihil in Frontino, qui facile hic potuit Sallustii mentem non percepisse: quare etiam nihil in eo deleatur, vt male voluit Cortius. *Centuriones*, licet non adessent ipsae centuriae, nihilominus reapse centuriis praeerant. Ipsi autem, vt dixi, cum aeneatoribus laxiore sensu *milites* vocantur. *Velocissimi* hic debebant esse aeneatores, quia cito erependum erat in asperum montem. Multi adesse non debebant, vt res tacite geri posset. Oudend.

scuerat, misit, capite pedibusque nudis, vt prospectus [9] nisusque per saxa facilior foret, scutis gladiisque [10] a tergo aptatis. Hi Ligure duce, [11] et loris et clauis, quibus in adscensu nitebantur, adiuti, quum ad posteriora, et ob id vacua defensoribus, castelli peruenissent, concinere et tumultuari, vt praeceptum erat, coeperunt. Ad quod constitutum Marius constantius adhortatus suos, acrius instare castellanis coepit: quos ab inbelli multitudine suorum reuocatos, tamquam ab tergo capti essent, insecutus, [12] castellum cepit.

IV. [13] L. Cornelius Cos. complura Sardiniae cepit oppida, dum firmissimas partes copiarum noctu ex-

9 *Nisusque*] Mirum sane, quomodo contra optimorum MSS. auctoritatem, atque doctissimorum virorum obseruationes in Vesaliensi edit. residere potuerit apertum librariorum quorumdam rudium mendum *visusque*; cum proxime antecesserit *prospectus*; insuperque Sallustii exemplaria c. XCIX. cuius ipsa verba Frontinus retinuisse videtur, diserte praeferant *nisusque*: quae hic addere non piget: *Ceterum illi, qui centuriis praeerant, praedocti ab duce, arma ornatumque mutauerant, capite atque pedibus nudis, vti prospectus nisusque per saxa facilius foret.* Vide de hac voce Oudendorpium ad Lucani L. III. 612. L. VI. 482. IX. 484. et Nic. Heinsium ad Ouidii Epist. Heroid. L. IV. 126.

10 *A tergo*] Tollendam suadet Tennulius Cod. Voss. et Hill. auctoritate praepositionem *a*: nulla vero sufficienti ratione. *a tergo* idem nostro est, quod apud Sallustium l. c. *super terga*. Ita noster L. IV. c. 7. §. 20. *religatis a tergo, quae traheret, sarmentis.* et L. I. c. 4. §. 7. *oppressit a tergo.* L. I. c. 5. §. 1. *a tergo instante hoste.* §. 5. *instante a tergo Caesare.* Forsan elliptica haberi possit locutio, subaudita voce *humeris*; vt apud Virgilium L. V. Aen. v. 558. *Pars* (ferunt) *leuis humero pharetras.*

11 *Et loris*] Scriuerius pro vulg. *et telis* in suis membranis inuenerat *teloris*, quod et ego reperi in Petrensi et Mediceo sec. *loris* clare Gudianus. *et* abest a meis octo, vel nouem libris. Verum *et loris* iam olim recte editum fuit in Edd. Romana et Bononiensi: quare secure reuocaui. Oudend. Corrupta scriptura *teloris*, festinantis calami, *te*, pro *et*, transpositis litteris, posito, esse videtur.

12 *Castellum cepit*] Hinc vere Onosander de tubicinum in vrbis expugnatione vtilitate c. XLII. §. 7. *οὕτως πȣ δυνατὸν ἑνὶ καὶ ἀνόπλῳ σαλπιγκτῇ πόλιν ἁλῶναι.*

13 *L. Cornelius*] Omnes Codd. MSS. addunt *Rufinus*, contra historiae fidem. Nam fuit is *L. Cornelius Scipio*, de quo Florus L. II. c. 2. §. 15. *L. Cornelio Scipione — Sardiniam annexamque Corsicam transit. Olbiae hic, ibi Aleriae vrbis excidio incolas terruit, adeoque omnes, terra, mari, Poenos expugnauit.*

exponit, quibus praecipiebat, delitescerent, opperirenturque tempus, [14] quo ipse naues adpelleret; occurrentibus deinde aduentanti hostibus, et ab ipso per simulationem fugae longius ad persequendum auocatis, illi in relictas ab his vrbes inpetum [15] facerent.

V. Pericles, Atheniensium dux, quum obpugnaret quamdam ciuitatem, magno consensu defendentium tutam, nocte ab ea parte murorum, quae mari adiacebat, classicum cani, [16] clamoremque adtolli iussit. Hostes [17] penetratum illac oppidum rati, reliquerunt

14 *Quo ipse naues*] Variant hic Codd. MSS. quorum alii *nactus* l. *natus*; alii *noctu* praeferunt. Verum priores lectiones ex v. *naues*; altera vero ex praec. *noctu exponit*, hic irrepsisse videntur. Quare, *naues*, vt olim coniecit Gronouius, et diserte adstipulatur Palatinus, veram equidem existimem esse scripturam, quam adeo Oudendorpius recte pro illa, *noctu*, reuocauit. *Naues, classem adpellere*, optimis scriptoribus frequens est locutio. Cicero ad Attic. L. XIII. ep. 21. *Cum ad villam nostram nauis adpelleretur.* Nepos in Thrasyb. c. IV. §. 4. *Cum praetor classem ad Ciliciam appulisset.*

15 *Facerent*] Quidam Codd. MSS. non male habent *fecerunt*, si post *adpelleret* τελεία στιγμὴ ponatur. Ac, si vera fateamur, magis probatur haec quam illa altera *facerent:* tum enim potius dixisset *aduentantibus sibi hostibus:* ac pro *illi*, commodius *ipsi* poneretur: quamquam non ignorem, vsum illum Pronominum non vbique ex Grammaticorum regulis tam adcurate obseruari: quare nec ego receptam scripturam velim moueri.

16 *Clamoremque adtolli*] Edd. Rom. et Bonon. *clamorem attolli*, reliquis reiectis: *que* deest quoque in Mediceis. *Tolli* vterque Leid. Palat. Gudian. Petrensis cum Cantabrig. tertio, quod placet. Phaedrus: *Clamorem subito totis tollit viribus.* et quis non? Videtur autem simplex *tolli* dictum ex formula castrensi magis, quam alterum *attolli*. Pauca de multis en exempla. Caesar L. III. B. Ciu. c. 92. *Neque frustra antiquitus institutum est, vt signa vndique concinerent, clamoremque vniuersi tollerent.* Liuius L. XLIV. c. 11. *Clamorem alacres gaudio repente tollunt, aliis parte alia in vrbem inrupturis.* Noster L. I. c. 9. §. 2. *Ad arma vocantium clamorem tolli, signa canere.* Ne tamen protenus receptam lectionem eiiciam, prohibet me Vegetii locus tam in MSStis, quam Edd. L. III. c. 8. *Clamor autem, quem barritum vocant, non prius debet attolli, quam acies vtraque se iunxerint.* Oudend.

17 *Penetratum illac oppidum*] Pro vulgata *penetrari illac in oppidum*, vel, vt Palatinus habet, *penetrari illac oppidum*, Oudendorpius reduxit veram, vt ipse iudicat, scripturam, *penetratum illac oppidum*, auctoritate trium Cantabrigiensium Codd. et Medicei adductus. *Penetrare montem, flumen, vrbem*, recte dici, luculenter probant

runt portas: per quas Pericles, destitutas praesidio, inrupit.

VI. Alcibiades, dux Atheniensium, Cyzicum, obpugnandi eius caussa, nocte inprouisus accessit, et diuersa parte moenium cornicines canere iussit. Sufficere propugnationi murorum poterant. Ad id latus, a quo solo se tentari putabant, quum confluerent, qua non obsistebatur, [18] muros transcendit.

VII. Thrasybulus, dux Milesiorum, vt portum Sicyoniorum occuparet, a terra subinde oppidanos tentauit: et illo, quo lacessebantur, conuersis hostibus, classe [19] inexspectata portum cepit.

VIII. Philippus in obsidione cuiusdam maritimae vrbis, binas naues procul a conspectu contabulauit, superstruxitque eis [20] turres: aliis deinde turribus adortus

bant Graeuius ad Florum L. III. c. 4. Bentleius ad Horat. L. I. O. 37. 24.

18 *Muros transcendit*] Atqui ἀτείχιστον fuisse illo tempore *Cyzicum* tradit Thucydides L. VIII. p. 629. et ex eo Diodorus Sicul. L. XIII. p. 167. quod vertunt nullis muris cinctam. Vide, quaeso, num etiam significare possit *non valde munitam* vel *indefensam*. nam a praesidio fuisse desertam docet Plutarchus in vita Alcibiad. p. 207. Haec autem ille gessit in collegio Thrasybuli et Theramenis. Confer Polyaen. L. I. c. 40. Nepot. c. VI. Oudendorpius.

19 *Inexspectata*] Non videtur sollicitanda vulgata *inexspectata*: qua voce noster quoque vtitur L. III. c. 2. §. 1. *Prohibere inexspectatam vim non potuerunt*; et L. I. c. 4. §. 4. *Qua non exspectabatur, aditum intrauit.* Placet tamen non minus Medicei pr. lectio *insperata*; siquidem τὸ *sperare*, aeque ac Graecorum ἐλπίζειν, in vtramque partem vsurpatur. In malam Virgilius L. IV. Aen. v. 419.

Hunc ego si potui tantum sperare dolorem,
Et perferre, soror, potero.

vbi Seruius pro *timere* Acyrologiam appellat: nam *speramus bona.* Cicero ad Famil. L. V. ep. 1. *Te tam mobili in me meosque esse animo, non sperabam.* Florus L. III. c. 1. *Quis speraret post Carthaginem aliquod in Africa bellum?* ad h. l. vide Dukerum, et quos ibi laudat doctos commentatores. Sic apud Graecos ἐλπὶς, et ἐλπίζειν, pro *existimatio*, *existimare*. Vnde apud Onosandrum c. X. §. 8. Ἡ δ' ἀνελπιστία τῶν δεινῶν ἀμελεστέρους ἐποίησε τοὺς στρατιώτας.

20 *Turres*] Hinc *turritae puppes, naues, turrigerae carinae* apud Poetas leguntur. Vegetius L. V. c. 14. *In maioribus etiam Liburnis propugnacula turresque constituunt, vt tamquam de muro, ita de excelsioribus tabulatis facilius vulne-*

tus a terra, domibus propugnatores [21] distringit, turritas naues a mari adplicuit, et qua non resistebatur, subiit muros.

IX. [22] Pericles Peloponnesiorum castellum obpugnaturus, in quod duo omnino erant accessus, alterum fossa interclusit, alterum munire instituit. Castellani securiores ab altera parte facti, eam solam, quam muniri videbant, custodire coeperunt. Pericles, praeparatis pontibus, iniectisque super fossam, qua non cauebatur, subiit castellum.

X. Antiochus, aduersus Ephesios, Rhodiis, quos [23] in auxilio habebat, praecepit, vt nocte portum cum magno strepitu inuaderent. Ad quam partem omni multitudine cum tumultu decurrente, nudatis defensore reliquis munitionibus, ipse [24] ex aduerso adgressus, ciuitatem cepit.

vulnerent et perimant inimicos. Alias *Liburnae* erant *naniculae textae viminibus*, secundum vet. Scholiast. in Horatii Epod. I.

Ibis Liburnis inter alta nauium,
Amice, propugnacula.

21 *Distringit*] *Distringit* MSS. mei septem vel octo cum Ed. Paris. et Ph. Rubenio I. 11. Elect. c. 29. vt reposui: nam in *domibus*, quod praecedit, sine dubio latet *dum*. Rubenius ibidem coniiciebat *dum ibi pr.* Vide etiam Perizonium in diss. de duobus Flori locis p. 16. et supra ad L. I. 5. 2. Sed in Medic. pr. ac Edd. Italicis scribitur *a terra vel cominus domibus*. In Medic. sec. *altera vel cominus domibus*. Ex quibus patet, *vel cominus* e glossa in textum irrepsisse: num scripsit auctor, *dum eminus*, i. e. longe a mari? an potius *dum moenibus*, siue *per moenia?* quod verum puto. Videant acutiores. *Domibus* corruptissimum est. an *dum illis* sc. turribus? *Cominus* pro *domibus* coniecit, et ad marginem exemplaris sui adscripsit magnus Gronouius. Oudend.

22 *Pericles*] Idem strategema noster attulit L. I. c. 5. §. 10. ita vero, vt Pericles a Peloponnesiis in locum vndique abruptis cinctum compulsus, hac arte cum suis euaserit. Idem strategema Imilconi tribuit Polyaenus L. V. c. 10. §. 3.

23 *In auxilio habebat*] Eadem ratione L. III. c. 3. §. 7. *Et illi in auxilio haberent Mandronem archipiratam.* Alibi *in auxilium.* L. II. c. 5. §. 45. *In auxilium superuenire ei arbitrati.* Praeterea apud optimos scriptores *auxilio venire.* Nepos in Thrasyb. c. III. *Pausanias venit Atticis auxilio.*

24 *Ex aduerso*] *Ex* deest in Mediceis, Petreani, Gudiano, et vtroque Leid. *a diuerso* Edd. Rom. et Bonon. quod putem vnice ab auctoris manu esse. *A diuerso* idem est, quod *ex aduerso, in diuersum.* Apuleius L. XI. Metam. p. 252. Ed.

CAP. X.

[1] *De insidiis, per quas eliciantur obsessi.*

Exemplum I.

Cato in conspectu Lacetanorum, quos obsidebat, reliquis suorum submotis, [2] Suessetanos quosdam ex auxiliaribus, maxime inbelles, adgredi moenia iussit: hos quum facta [3] eruptione Lacetani facile auertissent, et fugientes auide insecuti essent, illis, quas occultauerat, cohortibus oppidum cepit.

II. L. Scipio, in Sardinia, cuiusdam ciuitatis [4] per tumultum relicta obpugnatione, quam instruxerat, speciem fugientis praestitit: insecutisque temere oppidanis, per eos, quos in proximo occultauerat, oppidum inuasit.

III. Han-

Ed. pr. et supra L. I. 5. 14. vbi vide, *ex diuerso*. L. II. 4. 3. *a diuerso*, vt *a tergo*, *a latere*, *a fronte* etc. millies. Idem strategema aduersus *Cassandream* tribuit Liuius praetori C. Marcio L. XLIV. c. 11. Oudend.

1 *De insidiis*] Quamquam pletique Codd. addunt *disponendis*, sensui perquam conuenienter: vulgatam tamen non deserendam esse existimamus, cum in indice capitum, ab initio L. III. posito, omnes Codd. MSS. hac voce destituantur.

2 *Suessetanos*] In vulgatis corrupte legebatur *Suessanos*, omnibus licet collatis adhuc MSS. et libris impressis huic errori addicentibus. Primus omnium tamen huic vitiosae scripturae medelam attribuit I. F. Gronouius, qui ex Liuii L. XXXIV. c. 20. *Ceteras copias ad vlteriorem partem vrbis circumducit: maximum ex omnibus auxiliis numerum Suessetanae iuuentutis habebat: eos ad murum oppugnandum subire iubet:* pro *Suessanos* reposuit et ad marginem sui codicis adscripsit *Suessetanos*.

3 *Eruptione*] *Eruptione* (pro vulgata *irruptione*) reposui iubente sana ratione, Liuio, et MSS. meis octo cum Edd. Rom. Bonon. Paris. et Wechelii. Corrupta haec vox legebatur quoque L. I. 5. 17. adde L. II. 6. 5. et passim. Oudend. Noster §. IV. *ad primam eruptionem oppidanorum simulata fuga cessit:* et saepius alibi. Sic Onosander c. XL. *οἱ δὲ πολιορκούμενοι, πρόβλημα τὸ τεῖχος ἔχοντες, ἀκέραιοι πολλάκις ἐκχυθέντες διὰ πυλῶν. erumpentes per portas s. eruptionem facientes.*

4 *Per tumultum*] Pro hac scriptura, quae est in editionibus primis, omnes MSS. habent *parte militum:* (rectius ex Oudendorpii coniectura *parti:*) quae lectio cum satis commodum sensum habeat, atque Codd. MSS. auctoritate nitatur, equidem lubens eam praeferrem; nisi scrupulum quodammodo mouerent illa: *speciem fugientis praestitit.*

III. Hannibal, quum obſideret ciuitatem Himeram, caſtra ſua capi de induſtria paſſus eſt, iuſſis recedere Poenis, tamquam praeualeret hoſtis. Quo euentu Himeraeis ita deceptis, vt gaudio inpulſi, relicta vrbe, procurrerent ad Punicum vallum, Hannibal vacuam vrbem, per eos, quos in inſidiis ad hanc ipſam occaſionem poſuerat, cepit.

IV. [5] Idem, vt Saguntinos eliceret, rara acie ad muros accedens, ad primam eruptionem oppidanorum ſimulata fuga ceſſit, interpoſitoque exercitu, ab oppido interclusos a ſuis hoſtes, in medio trucidauit.

V. [6] Himilco Carthaginienſis, apud Agrigentum, iuxta oppidum partem copiarum in inſidiis poſuit, prae-

5 *Idem vt Saguntinos*] Non idem, qui in Sicilia. alia vox quaerenda pro *Saguntinos*. Lipſius ad libri ſui marginem: Quis ille *idem?* Hannibal? certe is praeceſſit, ſed alius ab eo, qui Saguntinos deuicit. Nam Hannibal eſt, qui in Sicilia bellum geſſit, et *Himeram vrbem cepit*, vt ſuperiore exemplo narratur. Quomodo ergo idem, qui cum Saguntinis manum conſeruit? Certum eſt exſcriptorum virture et magiſterio deprauatam ſcripturam, atque adeo criticam opem aduocandam. In duabus autem poſitus ſum ſenrentiis: vna, quod legendum, *vt Segeſtanos eliceret*, notam Siciliae gentem: altera item, Hannibal *vt Saguntinos el.* Ita reperendum Hannibalis nomen ſit, omiſſum quaſi ſuperuacuum a temporum hominumque parum gnaris. Ph. Rubenius L. II. c. 29. Elect. At ego hanc, quae in antiqua et vulgata haeret lectione, ἀνιστορησίαν librariis imputare non poſſum; verum ipſi imputo auctori, qui duo haec diuerſorum ducum, ſed quibus vna erat patria, et vnum nomen, ſtrategemata e priſcis monumentis, non adſcripto, quo res geſtae anno, collecta, non vni ſolum nomini, ſed etiam homini, et quidem, vt arbitror, poſteriori ac celebriori Hannibali attribuit. I. Perizonius Anim. Hiſtor. c. II. p. 82. Quo minus hic culpam in auctorem poſſim conücere, et accedere cl. Perizonio, tria faciunt argumenta. Primo enim mentio vrbis *Himerae* non potuit non auctorem admonere, primum ſtrategema in Sicilia eſſe peractum; vbi Hannibal, qui Saguntinos obſedit, numquam res geſſit: dein ſtrategematis huius in Saguntinos nusquam meminit Liuius, qui tam accurate illam obſidionem deſcripſit. Tandem veteres libri demonſtrant clare a Frontino *Segeſtanos* fuiſſe ſcriptum: nam in Mediceo primo et Edd. Roman. ac Bonon. legitur *Sagittarios*. De Segeſtae obſidione vide Pighium in Annal. T. II. p. 22. Oudendorpius.

6 *Himilco*] Idem ſtrategema refert Polyaenus L. V. c. 10. § 4. Sic Ventidius Parthos et Labienum alacres ſucceſſibus victoriarum, ſimulatione metus in loca iniqua deduxit, adeoque debellauit, vt Parthi prouincia excederent. Quare prudenter ſtrategici monent, ſimulatam fugam interdum magnae eſſe vti-

praecepitque his, vt, quum processissent oppidani, ligna humida incenderent: deinde cum reliqua parte exercitus prima luce ad eliciendos hostes progressus, simulata fuga persequentes oppidanos longius cedendo protraxit. Insidiatores prope moenia inperatum [7] ignem aceruis subiecerunt: vnde obortum contemplati fumum Agrigentini, incensam ciuitatem suam existimauerunt, defendendaeque eius gratia dum trepide recurrunt, obuiis eis, qui insidiati iuxta muros erant, et a tergo instantibus, quos persecuti fuerant, in medio trucidati sunt.

VI. Viria-

vtilitatis. Onosander cap. XXI. Οὐκ ἄχρηστον δέ ποτε καὶ ἀντιπαραταξάμενον, ὑπὸ πόδα τῷ στρατεύματι χωρεῖν, ὡς καταπεπληγμένον· ἢ καὶ ἐπιστρέψαντα παραπλησίαν φυγῇ ποιεῖσθαι τὴν ὑποχώρησιν· εἶτα αὖθις μεταβαλλόμενον ἀντεπιέναι τοῖς ἐπιοῦσιν. cet. coll. c. XI.

7 *Ignem aceruis*] MSS. Codd. et impressa pleraque ante Modium exemplaria habent partim *ignem acerbum*; partim *ignem acerbis*: ex qua scriptura Modius elicuit *aceruis*, commodo quidem sensu. Vt enim *aceruus frumenti*, *aeris et auri*, aliarumque rerum congestarum: ita et *aceruus lignorum* aliquoties in veterum scriptis reperitur. Quae cum ita sint, temperare tamen mihi non possum, quin Medicei Cod. scripturam *ignem lignis acerbis* veram esse censeam, librariorum ignorantia in *aceruis* corruptam: quo facto, *lignis* postea ab aliis penitus fuit eiectum. Vix enim verisimile videtur, pro notissima voce *aceruis*, ab imperito librario, qui in aliis, vt varia in Frontino exempla probant, satis multa lectionum monstra dedit, haud vbiuis obuiam locutionem *ignem lignis acerbis subiecerunt*, repositam fuisse. *Ligna acerba* autem hic sunt, quae paullo ante *ligna humida* noster dixit, *aridis*que opponuntur. Cum enim omnia, quae esse solent tristia, vel molestiam facessunt, dicantur a veteribus *acerba*: *ligna* quoque dicta videntur *acerba*, quod ignis viridibus ex lignis humidisque factus, lacrimosum oculisque molestissimum fumum effundit. Sic Horatius L. I. Sat. 5. 80.

lacrimoso non sine fumo
Vdos cum foliis ramos vrente camino.

qui contra L. III. Od. 17. 13. *aridum lignum* amico commendat. *Cruda ligna* dicit Lucanus L. IV. v. 316.

Nunc herbas, frondesque terunt, et rore madentes
Destringunt ramos: et si quos palmite crudo,
Arboris aut tenera succos pressere medulla.

Huc faciunt illa quoque Ciceronis in Verrem Act. I. c. 27. *Omnes ad eam domum, in qua iste diuersabatur, profecti sunt: caedere ianuam saxis, instare ferro, ligna et sarmenta circumdare, ignemque subiicere coeperunt.* Consimili fere modo noster: *ignem lignis subiecerunt.*

VI. Viriathus, difpofito per occulta milite, paucos mifit, qui abigerent pecora Segobrigenfium. Ad quae illi vindicanda quum frequentes procucurriffent, fimulantesque fugam praedatores perfequerentur, deducti in infidias, caefique funt.

VII. Scordifci equites, quum Heracleae [8] duarum partium praefidio praepofitus effet Lucullus, pecora abigere fimulantes, prouocarunt eruptionem: fugam deinde mentiti, fequentem Lucullum in infidias deduxerunt, et octingentos cum eo milites occiderunt.

VIII. Chares, dux Athenienfium, ciuitatem adgreffurus litori adpofitam, poft quaedam promontoria occulte habita claffe, e nauibus velociffimam praeter hoftilia praefidia ire iuffit. Qua vifa, quum omnia nauigia, quae pro cuftodia portus [9] agebant, ad perfequendam euolaffent, Chares in indefenfum portum cum reliqua claffe inuectus, etiam ciuitatem occupauit.

 IX.

8 *Duarum partium*] Hic coecutio cum ignariffimis: quare contentus fis, quaefo, lector, variis lectionibus, et tu hinc veri quid elice. MS. Voff. *Eradee duarum p.* Petrenfis *Heracleanarum p.* Medic. pr. *aerecea eduarum p.* Medic. fec. *acrecea eduorum.* Ambo Leidenfes *eraclea eduarum.* Hillensb. *Heraclea bed.* Ed. Roman. *acrecia d.* Bononienf. *a Graecia d.* Parif. *eraclea Hed.* An *Eordaeae fuarum p.?* Eft enim *Eordaea* in illis finibus. Liuius L. XLI. 54. XLV. 30. Sed ἐπέχω. Nam et *Heraclea Sintica* illic. Vide Freinshem. ad Curtium L. VIII. c. 1. Oudendorpius.

9 *Agebant*] Vulgata *agebantur:* pro quo recte Oudendorpius *agebant* repofuit. Quamquam enim *nauem agere* proba eft locutio; vti apud Horatium L. II. ep. 2. 114. *Nauim agere ignarus nauis timet,* et Florum L. II. c. 2. §. 35. *Romana claffis — fic remis, quafi habenis agebatur:* quisque tamen videt, hic *agebant* idem effe, quod *erant;* cuius fignificationis plurima apud veteres fcriptores exempla occurrunt. Tacitus Annal. L. I. c. 68. *Haud minus inquies Germanus — agebat.* L. XIII. c. 32. *non cultu, nifi lugubri; non animo, nifi maefto, egit.* Id. Hiftoriar. L. IV. c. 64. *ne fine folatio ageret.* Huc accedit Codd. MSS. Cantabrig. Leidenf. Palat. Voff. auctoritas, qua iftud *agebantur* librariorum ofcitantiae deberi, nullo negotio probatur.

IX. [10] Barca, dux Poenorum, in Sicilia Lilybaeum nostris terra marique obsidentibus, partem classis suae procul armatam iussit ostendi. Ad eius conspectum quum euolassent nostri, ipse reliquis, quas in occulto tenuerat, nauibus Lilybaei portum occupauit.

CAP. XI.

De simulatione regressus.

Exemplum I.

Phormion, dux Atheniensium, quum depopulatus esset agros Chalcidensium, legatis eorum, de ea re querentibus, benigne respondit, et nocte, qua dimissurus illos erat, finxit, litteras sibi superuenisse ciuium suorum, propter quas redeundum haberet: ac paullum regressus, dimisit legatos. His omnia tuta, et abisse Phormionem renuntiantibus, Chalcidenses spe et oblatae humanitatis, et abducti exercitus, remissa vrbis custodia, quum confestim Phormion reuer-

10 *Barca*] Barca fuit cognomen Hamilcaris, classis in Sicilia praefecti. Vid. Polyb. L. I. c. 56.62. Appian. Iberic. p. m. 428. Nepot. in eius vita. Sed et alii hoc cognomento vsi sunt. Nam Plutarchus in Fabio p. 184. *Barcan* vocat Maharbalem Himilconis filium; siue, vt alii, Adherbalem Bomilcaris, qui Hannibalem vti victoria non posse dixerat. Caeterum quod noster *Barcae*, Polybius diserte adscribit Hannibali L. I. c. 44. conlato cum c. 56. Oudend. Inde Liuius *Barcinae familiae* L. XXIII. c. 13. et *factionis Barcinae* c. 12. meminit. Quamquam variae huius cognominis etymologiae ab eruditis viris adferuntur: illa tamen ad veritatem proxime accedere videtur, qua istud, ob virtutem huic familiae propriam, a Chald. ברקא *fulmen*, datum iudicatur: vnde in priscis Annalibus ipse Hannibal, *fulmen belli*; et Seleucus, Ptolemaeus, *Cerauni*, *κεραυνοί*, ipseque Iupiter ἀστεροπητὴς et βρονταῖος appellantur.

1 *Querentibus*] Cod. Voss. non male, *de caussa requirentibus*. Polyaenus L. III. c. 4. Χαλκιδεῖς ἐπρεσβεύσαντο ἀπαιτοῦντες. Non est vero, cur a recepta scriptura, quae satis commodum sensum praestat, discedamus. *Questum* nimirum de hac iniuria venerunt ad Phormionem illi legati. Ita saepe apud scriptores de legatis. Iustinus L. XXXII. c. 2. *Cum multae Graeciae ciuitates questum de iniuriis Philippi regis Macedonum, venissent.*

uertiſſet, prohibere inexſpectatam vim non potuerunt.

II. Ageſilaus, dux Lacedaemoniorum, quum Phocenſes obſideret, et intellexiſſet, eos, qui tunc praeſidio illis erant, iam [2] grauari belli incommodo, paullulum regreſſus tamquam ad alios actus, liberam recedendi occaſionem his dedit. Non multo poſt, milite reducto, deſtitutos Phocenſes ſuperauit.

III. [3] Alcibiades, aduerſus Byzantios, qui ſe moenibus continebant, inſidias diſpoſuit, et ſimulato regreſſu, incautos eos obpreſſit.

 IV.

2 *Grauari belli incommodo*] Vulgatae fauet Polyaenus L. II. c. 1. §. 16. πολλῷ γε μὴν μᾶλλον ἐταλαιπώρουν οἱ τῶν φωκέων σύμμαχοι. Magis tamen probatur Lipſii coniectura, legentis *belli incommoda*; quam etiam alteri praetulit Oudendorpius. Quid mirum enim, ſi illud praeſidium grauatum fuit incommodis, quae numquam non cum bellis coniuncta eſſe ſolent? Diuturnitas potius temporis, quae in aduerſis fortiſſimum ſaepe animum frangit, et ex ſua ſtatione deiicit, in cauſſa fuit, cur illud praeſidium belli incommodis nimis diu preſſum, tandem ea coeperit grauari: teſte enim ſupra laudato Polyaeno Ἀγησίλαος ἐπολιόρκει φωκέας χρόνῳ μακρῷ. Hinc miles ille Lucullеus, qui praeſidium olim regale loco deiecerat ſumme muniro, donisque ob id factum honeſtis fuerat ornatus, cum praetor ad euertendum aliud caſtellum eum etiam atque etiam hortaretur, duris incommodis ſe noluit denuo committere, vt canit Horatius L. II. ep. 2. 26. Optimus vero quisque veterum ſcriptorum *grauari aliquid*, pro grauate ferre, detrectare, recuſare, dicere amat. Suetonius in Vitell. c. XII. *Aſiaticum libertum, ob nimiam contumaciam et ferocitatem grauatus.* Plinius L. III. ep. 18. §. 6. *At cui materiae hanc ſedulitatem praeſtiterunt? nempe quam in Senatu quoque, vbi perpeti neceſſe erat, grauari tamen vel puncto temporis ſolebamus.* Horatius L. IV. Od. 11. 27.

—— *terrenum equitem grauatus*
Bellerophontem.

De hoc verbo cum Accuſatiuo iuncto, ita Seruius ad illa Virgilii Aen. L. X. 28. *Quid ſi, quod voce grauaris, Mente dares*, commentatur: *Grauaris autem, negas, grauiter fers: et hac elocutione nonniſi per Accuſatiuum vtimur: vt ſi dicas, grauor aduentum tuum, id eſt, grauiter fero; grauor praeſentiam tuam: nam et ipſe dixit: quae grauaris. aliter non dicimus in hac ſignificatione.* Plura vide ab Oudendorpio allata ad Lucani L. V. 258. Adde Gronouium ad Senecae Thyeſt. v. 106. Hanc vero conſtructionem verbi *grauari*, ſaepe corruptam fuiſſe a librariis, notat Cortius ad Plinii L. III. ep. 18.

3 *Alcibiades*] Polyaenus idem videtur ſtrategema referre L. I. c. 40. §. 2. ſuppreſſo tamen vrbis nomine, quam πολεμίαν πόλιν tantum appellat. Proditione vero ciuium

IV. Viriathus, quum tridui iter difcedens confeciffet, idem illud vno die remenfus, fecuros Segobrigenfes, et facrificio [4] tum quum maxime occupatos obpreffit.

V. Epaminondas, [5] in Mantinia, quum Lacedaemonios in fubfidium hofti veniffe animaduerteret, ratus, poffe Lacedaemonem occupari, fi clam illo profectus effet, nocte crebros ignes fieri iuffit, vt fpecie remanendi occultaret profectionem: fed a transfuga proditus, adfecuto exercitu Lacedaemoniorum, itinere quidem, quo Spartam petebat, deftitit: idem tamen confilium conuertit ad Mantinienfes. Aeque enim ignibus factis Lacedaemonios, quafi maneret, fruftratus, per quadraginta millia paffuum Mantiniam [6] reuertit, eamque auxilio deftitutam occupauit.

CAP.

nium quorumdam eam captam fuiffe reftatur Diodorus Sicul. L. XIII. p. 366.

4 *Tum quum maxime*] Eodem modo L. II. c. 9. §. 5. *quod tum quum maxime babebant barbari.*

5 *In Mantinia*] Ita omnes Codd. MSS. et veteres editiones, cum hoc loco, tum paullo poft *Mantiniam reuertit:* quamquam contra in omnibus Nepotis codicibus, tefte van Staueren, *Mantinea* reperiatur. Vtrumque rectum cenfemus, cum ει Graecorum, modo I, modo E longe apud Romanos exprimatur. Apud *Stephanum* Ἐθνογρ. legitur Μαντίνεια, πόλις Ἀρκαδίας: vnde gentile Μαντινικός. Homerus autem Iliad. B. v. 607. Μαντινέην ἐρατεινήν appellat: cuius auctoritate *Mantinea* fe tueri poffit. *In Mantinia* autem Graecorum more dixit Frontinus pro *Mantineae.* Sic Aelianus V. H. L. XIII. cap. 3. Ἐπαμεινώνδας ὅτε ἐτρώθη ἐν Μαντινείᾳ cet. *Epaminondas cum apud Mantineam vulneratus effet.* Iulium Obfequentem ad confirmandam hanc locutionem laudat Oudendorpius, c. 85. *In Numantia res male geftae.* cuius notas videfis.

6 *Reuertit*] In locum τοῦ *reuertitur*, auctoritate Codd. Tennul. ambor. Leid. duor. Cantabr. Palat. et Voff. Oudendorpius optime repofuit *reuertit:* cui ftatim refpondet *occupauit.* *Reuertit* autem apud optimos fcriptores occurrit; qui altera forma *reuerfus eft* rarius vfi fuerunt; quamquam apud Neporem tamen legitur in Themift. c. V. §. 2.

CAP. XII.

Ex contrario circa tutelam obſeſſorum. De excitanda cura ſuorum.

Exemplum I.

Alcibiades Athenienſis, ciuitate ſua a Lacedaemoniis obſeſſa, veritus [1] negligentiam vigilum, denuntiauit his, qui in ſtationibus erant, [2] obſeruarent lumen, quod nocte oſtenſurus eſſet ex arce, et ad conſpectum eius ipſi quoque lumina adtollerent: in quo munere qui ceſſaſſet, poenam paſſurum. Dum ſollicite exſpectatur ſignum ducis, peruigilatum ab omnibus, et ſuſpectae noctis periculum euitatum eſt.

II. [3] Iphicrates, dux Athenienſium, quum praeſidio Corinthum teneret, et ſub aduentum hoſtium ipſe vigilias circuiret, vigilem, quem dormientem viderat, transfixit cuſpide: quod factum quibusdam, tamquam ſae-

1 *Negligentiam vigilum*] Negligentiam vigilum grauiſſimas clades ſaepius attuliſſe exercitui, antiqua Annalium monumenta ſatis abundeque teſtantur. Qua re ſtrategici ſcriptores ſuarum partium eſſe exiſtimarunt, de hisce quoque adcurate diligenterque copiarum duces monere praeceptisque inſtruere; ex quibus conſuli merentur Iul. Africanus c. LXXIV. et LXXVII. Aeneas Tact. c. I. et XXII. Leo c. XIV. §. 34. XVII. §. 102. XX. §. 145. Xenophon Cyrop. p. 301. ed. Oxon. Weſſ. Polyb. T. I. p. 667. 670. Hinc Onoſandri monitum c. X. §. 4. Ὀρθοὶ δ᾽ ἑστῶτες φυλασσόντων Vnde Seneca epiſt. XXXVI. *Vt ſi neceſſe fuerit, ſtans etiam aliquando ſaucius pro vallo peruigilet, et ne pilo quidem incumbat: quia ſolet obrepere interdum ſomnus in aliquod adminiculum reclinatis.*

2 *Obſeruarent lumen*] De ſuo coniunctionem rurſus addiderunt ardeliones quidam, ſcribentes *vt obſeruarent*. Abeſt ea ex noſtri more a ſeptem, vel octo MSS. recte. vt ſupra aliquoties monitum. Oudendorpius.

3 *Iphicrates*] Dux hic diſciplina maxime militari nobilitatus eſt, tantumque conſilio valuit, vt in re militari partim noua attulerit, partim meliora fecerit. Apud Corinthum ſumma ſeueritate praefuit exercitui, quem etiam ſic omni diſciplina erudiuit, vt, quemadmodum quondam *Fabiani* milites Romani appellati ſunt, ſic *Iphicratenſes* apud Graecos in ſumma laude fuerint, vt Nepos memoriae prodidit in eius vit. c. I. et II. cuius ipſa verba referre non alienum videbatur.

saeuum, increpantibus, [4] Qualem inueni, inquit, talem reliqui.

III. Epaminondas Thebanus idem fecisse dicitur.

CAP. XIII.

De emittendo et recipiendo nuntio.

Exemplum I.

Romani obsessi in Capitolio, ad Camillum [1] ab exsilio inplorandum miserunt Pontium [2] Cominium: qui, vt stationes Gallorum falleret, per saxa Tarpeia demissus, transnato Tiberi, Veios peruenit, et perpetrata legatione, similiter ad suos rediit.

II. Campani, diligenter Romanis, a quibus obsessi erant, custodias agentibus, quemdam pro transfuga subornatum miserunt: qui occultatam balteo episto-

4 *Qualem inueni*] Vide ad Lucanum L. IX. v. 841.

Stygias somno descendis ad vmbras.

et comm. ad Petron. c. LXXIX. *Ego dubitaui, an vtrumque traiicerem gladio, somnumque morti iungerem.* c. LXXXIX.

Hic graues alius mero
Obtruncat, et continuat in mortem vltimam
Somnos.

Ceterum in Vaticano, Cantabr. tert. Hillensb. Leid. sec. et Edit. Paris. pro *reliqui* legitur *dimisi*. me non adprobante. Oudend.

1 *Ab exsilio inplorandum*] Nisi hic *ab exilio* idem sit ac *post exsilium*, vt *a prandio, coena, obitu* dici solet, quod tamen durius hic existimem, omnino aliquid excidisse videtur. Nam *implorare aliquem ab exsilio,* vt Latine dictum putem, animum inducere haud possum. Quare etiam Oudendorpius, MS. Codd. auctoritate, quorum alii *ad auxilia,* vt Leid. sec. alii, vt Medic. sec. *ad auxilium* habent, ita censet legendum, *ab exsilio ad auxilium implorandum:* id quod fecisse Romanos satis constat. Liuius L. VII. c. 1. *Fuit enim vere vir vnicus in omni fortuna, princeps pace belloque priusquam exulatum iret: clarior in exilio, vel desiderio ciuitatis, quae capta absentis opem implorauit.* Vnde forte coniici possit legendum: *ad Camilli ab exilio* (i. e. post exilium) *opem implorandam.*

2 *Cominium*] Pro vulgata *Cominum* Liuius *Cominium* vocat L. V. c. 46. vbi rem paullo aliter narrat: *Pontium* nimirum *Cominium* a Veiente exercitu in Capitolium missum, indeque Veios Senatus sententiam, de Camillo exsule ab Ardea reuocando, retulisse. Florus tamen, contra reliquorum historicorum consensum, scribit L. I. c. 22. *Camillum in capta vrbe* (Veiis) *consenuisse*; cui consentit etiam Lucanus L. V. 27. *Veiosque habitante Camillo.*

epistolam, inuenta effugiendi occasione, ad Poenos pertulit.

III. [3] Venationi quoque et pecoribus quidam insuerunt litteras, membranis mandatas.

IV. Aliqui et iumentum [4] in auersam partem insulserunt, dum stationes transeunt.

V. Nonnulli interiora vaginarum inscripserunt.

VI. L. Lucullus, Cyzicenos obsessos a Mithridate vt certiores aduentus sui faceret, quum praesidiis hostium teneretur introitus vrbis, qui vnus et angustus ponte modico insulam continenti iungit, militem e suis, nandi et nauticae artis peritum, iussit insidentem duobus inflatis vtribus, litteras insutas habentibus, quos ab inferiore parte duabus regulis inter se distantibus commiserat, ire septem millium passuum traiectum. Quod ita perite gregalis fecit, vt cruribus, velut gubernaculis, [5] dimissis cursum dirigeret, et pro-

3 *Venationi*] De huius vocis significatione vid. not. ad L. III. c. 3. §. 6. De variis modis litteras occulte mittendi quaedam tradit Aeneas Tact. c. XXXI. seqq. Sic *Harpagi litterae ad Cyrum perferendae exenterato lepori insertae fuerunt*, teste Herodoto L. I. c. 123. et Iustino L. 1. c. 5.

4 *In auersam partem insulserunt*] Non dubium mihi est, quin legi debeat, *iumento* vel *iumentis in auersam partem insulserunt*, scil. litteras, cum summo Casaubono ita citante ad Aeneae Poliorcetica c. XXXI. et Lipsio, qui *iumento in auers.* ad libri sui marginem correxerat. Nam primo pro *iumentum* in Petrensi est *iumenta*. Dein *auersam* idem exhibet cum ora Hittorp. et Wechel. Edd. Per *partem* exprimi *naturalia* dudum docuerunt viri docti. Adi comment. ad Petronii c. 112. et Phaedr. L. IV. c. 14. *Auersa* ergo *pars* eadem est, quam Obsequens c. 85. vocat *posteriorem naturae partem*. Ex interpolatione Leid. tert. exhibet *in terga iumentorum*: vnde quis forsan *iumentum* contracte pro *iumentorum* capere velit. Dein pro *insulserunt* Edd. Italicae *infixerunt*. Quod male praetulit Stewechius. *Inpulerunt* Petrensis; Glossa scilicet haec est τῷ *insulserunt*, i. e. stiparunt, intruserunt in auersam partem, ab *insulcire*. Seneca epist. XXIV. *Quaeris, quid huic epistolae insulserint*. Saxo Grammar. L. I. *canina cadauera corporibus insulserunt*, ex emend. I. Fr. Gronouii L. IV. Obs. c. 22. vbi vide plura. Ceterum *et* deest hic in MSS. Mediceis et Edd. primis. Oudendorpius.

5 *Dimissis*] Huius rei meminit Florus quoque L. III. c. 5. §. 16. et quem Dukerus ibi laudat, Sallustius L. III. Hist. Fragm. c. 6. Ad modo citatum Flori locum pro *dimissis* Salmasius reponit *demissis*, quod, vel repugnantibus MSS

procul visentes, qui in statione erant, marinae specie beluae deciperet.

VII. Hirtius Cos. ad Decimum Brutum, qui Mutinae ab Antonio obsidebatur, litteras subinde misit [6] plumbo scriptas, quibus ad brachium religatis, milites [7] Scultennam amnem transnabant.

VIII. Idem columbis, quas inclusas ante tenebris et fame adfecerat, epistolas seta ad collum religabat, easque a propinquo, in quantum poterat, moenibus loco emittebat. Illae lucis cibique auidae, altissima aedificiorum petentes, excipiebantur a Bruto: qui eo modo de omnibus rebus certior fiebat, vtique postquam disposito quibusdam locis cibo columbas illuc deuolare instituerat.

CAP. XIV.

De introducendis auxiliis, et commeatibus suggerendis.

Exemplum I.

Bello ciuili, quum Ategua vrbs in Hispania Pompeianarum partium obsideretur, [1] Munatius interim rex, tam-

MSS. verum puto. Non enim illi nuncio, pedibus iter adgubernanti, pedes dimittendi, sed potius *demittendi* in mare fuerunt, vt gubernaculi vice fungerentur. Nihil enim frequentius illa syllabarum *de* et *di* confusione in antiquis libris esse, vbique fere viri eruditi notarunt. v. not. ad L. II. c. 6. §. 4.

6 *Plumbo scriptas*] Dio Cassius p. 315. Ἐς ἐλασμὸν μολίβδου λεπτὸν ἐγγράψαντές τινα, ἐπείλιξαν αὐτὸν, ὥσπερ τι χαρτίον, καὶ κολυμβητῇ νυκτὸς ὑφύδρῳ διενεγκεῖν ἔδωκαν· καὶ οὕτως ὁ Δεκιμὸς etc. Sic legendum, non ἀπείλιξαν. Oudend.

7 *Scultennam*] *Scultennam* verum esse huius amnis nomen, citato Liuio L. XLI. c. 16. et 22. vbi et *Mutinae* et *Scultennae* mentio fit, probat Oudendorpius.

1 *Munatius interim rex*] Voss. *Maurus vicerex*. 2 Reg. *Martius interim rex*. Tennul. Vulgata hac lectione nihil est ineptius. Edd. veteres *Martius interim rex*. vnde quidam vir doctus putabat, simpliciter esse reponendum *Marcius Rex*. Marciae enim gentis cognomen *Rex* notissimum est. Quod ad marginem

tamquam Caesarianus Tribuni cornicularius vigiles quosdam excitauit, e quibus aliquos euitans, constantia fallaciae suae per medias Caesaris copias praesidium Pompeii transduxit.

II. Hannibale obsidente Casilinum, Romani farinam doliis secunda aqua [2] Vulturni fluminis demittebant,

nem Ed. Stewech. adscripsit etiam Scriuerius ex Plutarchi Ciceron. p. 875. Et *Q. Marcii* Tribuni, qui a Pompeio ad Caesarem transfugit, mentio est in bello Hispan. c. II. Verum huic ego sententiae accedere non possum: primo enim sub *τῷ interim* aliud quid latere videtur; dein defectio Marcii illius diu ante accidit; denique historiae huius memoriam seruauit nobis Dio L. XLIII. p. 230. diserte hunc hominem nominans *Munatium Flaccum.* Vnde primo liquet, pro *Marcius* reponendum *Munatius* vel *Minatius*: quam emendationem laetissimus deinceps deprehendi factam quoque a cel. Perizon. in Epist. corpore T. IV. p. 788. In MSS. est *Murus, Maurius, Maritus, Himaritus*: quod vltimum satis prope accedit ad *Minatium.* Verum quid tum fiet his vocibus *interim rex?* quod inueni quoque in MSS. meis quatuor, et in Petrensi *eius terrae interrex.* Haec se non percipere testatur ibidem Perizonius. Dio autem ait, quod vigiles quosdam iusserit tesseram sibi dare, tamquam misso a Caesare ad inspiciendas excubias; qua accepta et dein aliis data, eos delusit et vrbem introiit, sed solus, non vero cum praesidio, vt Frontinus sine vlla veri specie narrat. Vnde coniici posse videtur, sub vocibus *interim rex*, aliquid de tradenda tessera latere. Certi vero aliquid statuere nequeo: si autem per MSS. liceret, cum Stewechio posset legi *exciuit*, pro *excitauit.* Quas voces, vt et *concire* ac concitare, de quibus supra, crebro confundi notum est. Verum contra MSS. opus non est. *Excitare vigiles*, non notat, dormientes sollicitare, vt vigilent, sed vigilantes admonere hostilis aduentus, seu cuiuscumque nocturni casus. Clare Curtius consensu omnium MSS. L. IV. c. 5. 2. *Obiicitur a vigilibus claustrum, et qui proximi excubabant, ab eisdem excitantur.* Hinc lemma c. 12. *De excitanda cura suorum.* Quare etiam Curtii loco L. VIII. c. 6. 21. *excitatisque custodibus* nihil mutari velim, licet aliter etiam vitium sit Heinsio et Scheffeto. At pro eo, quod sequitur, *excitauerunt*, placet *exciuerunt.* Subiicit enim e continenti *sopitum excitant regem.* Nihil etiam mutandum in eodem L. IV. c. 13. 21. *Vbi est vigor ille animi tui? nempe excitare vigiles soles:* vbi Modio placebat *exercitare.* Ceterum pro *interrex* Gronouius orae libri sui adleuit *interpres.* Porro *cornicularius Tribuni Militaris* quid fuerit, vide apud Pighium T. I. Thes. Critici p. 455. et quos laudat Vorstius ad Valer. Max. L. VI. c. 1. §. 12. *Tribuni militaris cet. quod cornicularium suum stupri caussa adpellasset.* Oudend.

2 *Vulturni*] *Vulturni* nomen huic fluuio, Casilinum defluenti, fuisse, Liuius probat L. XXIII. c. 19. vbi huius vrbis ab Hannibale factam oppugnationem, summamque eius famem describit, qua *omnium rerum inopia tandem lora detractasque scutis pelles, feruida aqua mollitas, mandere coacti fuerunt.*

bant, vt ab obſeſſis exciperetur. Quibus quum obiecta per medium amnem catena Hannibal obſtitiſſet, nuces ſparſere: quae quum, aqua ferente, ad oppidum defluerent, eo commeatu ſociorum neceſſitatem ſuſtentauerunt.

III. Hirtius Mutinenſibus, obſeſſis ab Antonio, ſalem, quo maxime indigebant, cupis conditum, per amnem [3] Scultennam intromiſit.

IV. Idem pecora ſecunda aqua [4] demiſit: quae excepta ſuſtentauerunt neceſſariorum inopiam.

C A P. XV.

Quemadmodum efficiatur, vt, quae deerunt, abundare videantur.

Exemplum I.

Romani, quum a Gallis Capitolium obſideretur, in extrema iam fame panem in hoſtem iactauerunt: conſecutique, vt abundare commeatibus viderentur, obſidionem, donec Camillus [1] ſubueniret, tolerauerunt.

II. Athenienſes aduerſus Lacedaemonios idem feciſſe dicuntur.

III. [2] Hi, qui ab Hannibale Caſilini obſidebantur, ad extremam famem perueniſſe crediti, quum etiam herbas

3 *Scultennam*] Miris modis huius loci ſcripturam corruperunt librarii, quorum commenta hic referre non lubet. *Scultennam* hic legendum, perquam veriſimile reddit L. III. c. 14. §. 7.

4 *Demiſit*] Vulgat. *dimiſit*: quod verum non eſſe, quisque nullo negotio intelliget. Sollemni nimirum errore librarii *demittere* et *dimittere* inuicem commutare ſolebant: de quo vid. not. ad L. III. c. 13. §. 6.

1 *Subueniret*] Eleganter Vaticanus *ſuperueniret*. Liuius L. V. c. 49. *Forte quadam Dictator interuenit*. Adi notata ad L. I. c. 1. §. 6. *Donec ſuperuenirent legiones*. Oudendorpius.

2 *Hi, qui ab Hannib.*] Eodem plane modo noſter L. II. c. 5. §. 15. *Hi, qui aduerſus Erythraeos bellum gerebant*. Hos autem fuiſſe *Praeneſtinos* quingentos, qui interfectis oppidanis Caſilinum citra Vulturnum occupauere, quod prae-

herbas alimentis eorum Hannibal, ſaepe arato loco, qui erat inter caſtra ipſius et moenia, praeriperet, ſemina in praeparatum locum iecerunt: conſecuti, vt habere viderentur, quo [3] victum ſuſtentarent vſque ad ſatorum prouentum.

IV. [4] Reliqui ex Variana clade, quum obſiderentur, quia defici frumento videbantur, [5] horrea tota nocte circumduxerunt captiuos; deinde praeciſis manibus dimiſerunt. Hi circumſedentibus ſuis perſuaſerunt, ne ſpem maturae expugnationis reponerent in fame Romanorum, quibus ingens alimentorum copia ſupereſſet.

V. Thraces in arduo monte obſeſſi, in quem hoſtibus [6] acceſſus non erat, conlato viritim exiguo tritico

praeſidium tunc habebant Romani, docet Liuius L. XXIII. c. 17.

3 *Victum ſuſtentarent*] Cum *victus* alias dicantur *alimenta*, quae ad vitam ſuſtentandam pertinent; quo ſenſu a *cultu* reliquaque vitae degendae ratione diſtinguitur; vti cum alibi, tum apud Ciceronem L. I. Off. c. 4. *quae ſuppeditent et ad cultum et ad victum*: cumque inſuper *vita* et *victus* differant ita, vt illa ad communem in hominum ſocietate conſuetudinem; haec vero ad priuatam vitam referatur: ſaepius tamen *victus* pro *vita* apud optimos ſcriptores occurrere videtur. Vnde Nonius Marcellus de verb. ſignif. p. 258. ed. Plant. *Victus pro vita poſitum genere maſcul. M. Tullius de finib. bonorum et malor. libr. V. Perſecutus Ariſtoteles animantium omnium ortus, victus, figuras.* Sic Nepos in Dion. c. IV. §. 4. *Is vſque eo vitae ſtatum commutatum ferre non potuit, poſtquam in patriam rediit pater, (namque appoſiti erant cuſtodes, qui eum a priſtino victu deducerent) vt ſe de ſuperiore parte aedium deiecerit.* Quae cum ita ſint, non opus videtur, vt apud noſtrum pro *victum* contra MSS. Codd. auctoritatem *vitam* reponamus: nam eodem fere modo Columella in Praef. *Tolerare victum lacte:* quamquam lubens fatear, vſitatius *vitam ſuſtentare* dici, quam *victum ſuſtentare.*

4 *Reliqui*] Leid. ſec. *Reliquiae* v. not. ad L. II. c. 7. §. 13.

5 *Horrea*] Varie haec verba interpuncta fuerunt. Schelius in not ad Hyg. c. VIII. *defici frumento videbantur horrea.* Alii, *captiuos deinde praeciſis manibus circumduxerunt.* Qui ſapit, facile intelliget, receptam interpunctionem reliquis eſſe praeferendam.

6 *Acceſſus*] Cantabr. tert. *aſcenſus.* recte. Vocem hanc paſſim vſurparunt, et cum *aditu* iungunt Cicero, Liuius aliique. Eadem confuſio, vt frequenter, eſt L. III. c. 10. §. 4. *rara acie ad muros accedens:* vbi notaui e MSS. multis *aſcendens.* Caeſar L. VII. B. Gall. c. 46. *Oppidi muros ab planicie atque initio adſcenſus*, ſeu *eſcenſus.* Hirtius B. Afr. c. 5. *Oppidi egre-*

tico [7] aut caseo pauerunt pecora, et in hostium praesidia dimiserunt: quibus exceptis et occisis, quum frumenti vestigia in visceribus earum adparuissent, opinatus hostis, magnam vim tritici superesse eis, qui inde etiam pecora pascerent, recessit ab obsidione.

VI. [8] Thrasybulus, dux Milesiorum, quum longa obsidione milites sui angerentur ab Alyatte, qui sperabat, eos ad deditionem fame posse compelli, sub aduentum legatorum Alyattis frumentum omne in forum [9] compellere iussit, et conuiuiis sub id tempus institutis per totam vrbem epulas praestitit: atque ita persuasit hosti, superesse ipsis copias, quibus diuturnam sustinerent obsidionem.

CAP.

egregia munitio, difficilisque ad oppugnandum erat accessus, MS. Louan. aliique multi cum Edd. pp. *adscensus*. Oudend.

7 *Aut caseo*] Oudendorpius haec verba, *aut caseo pauerunt pecora*, corrupta, et pro iis rescribenda censet ex Cod. Palat. *oues eo pauerunt*: eo quod casei mentio ei inepta videbatur, neque illius vestigia, sicut tritici, in pecorum visceribus inuenta fuisse, auctor memorat. Forsan autem hic ὀρεινοὶ Θρᾶκες intelliguntur, quorum meminit Strabo L. IV. p. 497. ed. Almel. Iam cum montanae eiusmodi regiones lacte et caseo magis, quam tritico plerumque abundent; vnde idem modo laudatus auctor in Alpium descriptione p. 317. inter alia Heluetios caseo quoque abundare scribit: vulgata lectio, quam plurimorum Codd. auctoritas tuetur, non deferenda videtur. Cum enim frumenti vestigia in visceribus pecorum hostes deprehendissent, facile opinari poterant, maiorem vim casei, cuius maior forte copia suppetebat, ipsis superesse. Quare scrupulus ille omissi ab auctore *casei* me non mouet.

8 *Thrasybulus*] Eamdem hanc historiam relatam legimus apud Herodotum L. I. c. 21. 22.

9 *Compellere iussit*] Infinitiuum actiuum sine adiectione personae, quae iussa est agere, defendere possis ex notatis ad L. II. c. 5. §. 46. MSS. tamen Palat. et Leid. exhibent *compelli*. At praecessit modo *compelli*. Dubito quoque, num Latine dicatur *compellere frumentum*, pro *congerere* συγκομίζειν, vt Herodotus loquitur. Quare si plures addicerent MSS. libri, multum praeferrem lectionem Codicis Petrensis *comportari*. Cicero L. V. ad Att. Ep. 18. *Frumentum ex agris in loca tuta comportatur*. Oudend.

CAP. XVI.

Qua ratione proditoribus et transfugis occurratur.

Exemplum I.

Cl. Marcellus, cognito consilio [1] Bantii Nolani, qui corrumpere ad defectionem populares studebat, et Hannibali gratificabatur, quod illius beneficio curatus inter Cannenses saucius, et ex captiuitate remissus ad suos erat, quia interficere eum, ne supplicio eius reliquos concitaret Nolanos, non audebat, arcessitum ad se allocutus est, dicens, fortissimum eum militem esse, quod antea ignorasset; hortatusque est, vt secum moraretur; et super verborum honorem, equo quoque donauit. Qua benignitate non illius tantum fidem, sed etiam popularium, qui ex illo pendebant, sibi obligauit.

II. Hamilcar, dux Poenorum, quum frequenter auxiliares Galli ad Romanos transirent, etiam ex consuetudine, vt socii, exciperentur, sibi fidelissimos subornauit, ad simulandam transitionem: qui Romanos, excipiendorum eorum caussa progressos, [2] ceciderunt. Quae sollertia Hamilcari non tantum ad praesentem profuit successum, sed in posterum praestitit, vt Romanis veri quoque transfugae forent suspecti.

III. Hanno, Carthaginiensium Imperator in Sicilia, quum comperisset, Gallorum mercenariorum circiter quatuor millia conspirasse ad transfugiendum ad

 Ro-

1 *Bantii Nolani*] Scripturam receptam, quam Scriuerius quoque coniectando adsecutus est, probat etiam Liuius L. XXIII. c. 15. *Nolam Marcellus non sui magis fiducia praesidii, quam voluntate principum habebat. Plebs timebatur, et ante omnes L. Bantius* cet.

2 *Ceciderunt*] 3 Reg. 1 Hill. Voss. *occiderunt.* Tennul. Cum Gudiano et Edd. Italicis. male. v. ad L. II. 1. 6. et saepius. Ceterum auctor hic *Hamilcari* tribuit, quod Graeci *Hannoni*, et contra §. sq. *Hannoni*, quod iidem ad Hamilcarem referunt. Adi diuinum Casaubonum ad Polyb. p. 189. edit. Gronou. Oudend.

Romanos, quod aliquot menſium mercedes non receperant, animaduertere autem in eos non auderet metu ſeditionis, promiſit, prolationis iniuriam liberalitate penſaturum. Quo nomine gratias agentibus Gallis, per tempus idoneum [3] datis pollicitis, fideliſſimum diſpenſatorem ad [4] Otacilium Cos. miſit: qui, tamquam rationibus interuerſis transfugiſſet, nuntiauit, nocte proxima Gallorum quatuor millia, quae praedatum forent miſſa, poſſe excipi. Otacilius [5] nec ſtatim credidit transfugae, nec tamen rem ſpernendam ratus, diſpoſuit in inſidiis lectiſſimam ſuorum manum. Ab ea Galli excepti, dupliciter Hannonis conſilio ſatisfecerunt, et Romanos ceciderunt, et ipſi omnes interfecti ſunt.

IV. Hannibal ſimili conſilio ſe a transfugis [6] vltus eſt.

3 *Datis pollicitis*] Pro hac lectione a Frontino ſcriptum *ductis pollicitis* arbitratus eſt Stewechius; vti apud Caeſarem, *ducere diem ex die Hedui*; vel *ducere bellum, rem*, quae locutiones apud Caeſarem, Ciceronem aliosque frequenter occurrunt. Oudendorpio praeſtare videtur *datum*, i. e. conceſſum ei, antequam pollicita praebere deberet; vel *dilatis pollicitis*, vt coniecit olim Lipſius, quo facit locus Ouidii L. I. Art. Amat. v. 444. etc. Mihi ob communem Codd. conſenſum vulgata non mouenda videtur. Forſan *tempus idoneum datis promiſſis* illud dicit noſter, quo ſoluere promiſſa debuit: quemadmodum apud Plinium L. VII. ep. 30. §. 3. *idonei conductores* dicuntur, qui, quae debent, perſoluunt, nec reliquatores agunt. Quisque tamen ſuo fruatur iudicio.

4 *Otacilium*] Agit auctor de hiſtoria, quae accidit bello Punico primo, cuius tempore, Anno ſcilicet V. C. CDXCII. T. Otacilius Craſſus, et L. Valerius Flaccus Coſſ. in Sicilia rem geſſerunt contra Carthaginienſium Duces, Hannibalem Giſconis filium, et Hannonem, qui habebant illic magnam mercenariorum Gallorum manum. Confer omnino Polybium L. I. c. 17. 18. 19. 20. Otacilii Craſſi Cos. meminit auctor quoque L. IV. c. 1. Oudend.

5 *Nec ſtatim credidit*] Prudenter ſtrategici ſcriptores non ſtatim transfugis habendam eſſe fidem monent; ſed cuſtodiae mancipandos, addita poenae vel praemii oſtentatione. Hinc etiam Onoſander c. X. §. 7. *δήσας αὐτὺς ἀγέτω· τῦτο ποιῶν φανερὸν, ὡς ἐὰν μὲν ἀληθεύσωσι, καὶ ἐπὶ σωτηρίᾳ καὶ νίκῃ πάντα ποιήσωσι τῦ ϛρατεύματος, λύσει τε σφᾶς, καὶ δωρεὰς δώσει κατ' ἀξίαν* etc. Adde Iul. African. c. LXX. Leon. c. XVII. §. 43. 116.

6 *Vltus eſt*] Nota locutionem *vlciſci ſe ab aliquo*, et adi comment. Munkeri ad Hygini Fab. 184. *Occaſionem ab inimico ſe vlciſcendi.* Oudend.

eſt. Nam quum aliquos ex militibus ſuis ſciret transiſſe proxima nocte, nec ignoraret, exploratores hoſtium in caſtris ſuis eſſe, palam pronuntiauit, non debere transfugas vocari ſollertiſſimos milites, qui ipſius iuſſu exierint ad excipienda hoſtium conſilia. Auditis, quae pronuntiauit, retulerunt exploratores ad ſuos. Tum comprehenſi ab Romanis transfugae, et amputatis manibus remiſſi ſunt.

V. Diodorus, quum praeſidio Amphipolin tueretur, et duo millia Thracum ſuſpecta haberet, quae videbantur vrbem direptura, mentitus eſt, paucas hoſtium naues proximo litori adplicuiſſe, easque diripi poſſe. Qua ſpe [7] ſtimulatos Thracas emiſit, ac deinde clauſis portis non recepit.

CAP. XVII.

De eruptionibus.

Exemplum I.

Romani, qui in praeſidio [1] Panormitanorum erant, veniente ad obſidionem Hasdrubale, raros ex induſtria in muris poſuerunt defenſores: quorum paucitate contemta, quum incautus muris ſuccederet Hasdrubal, eruptione facta, ceciderunt eum.

II. Aemilius Paullus, vniuerſis Liguribus inprouiſo adortis caſtra eius, ſimulato timore militem diu continuit:

7 *Stimulatos*] Veriſſime pro vulgata *ſimulatos* Stewechius coniecit legendum *ſtimulatos:* quam coniecturam plurimi MSS. Codd. confirmant, teſte Oudendorpio, qui inſuper Liuium commentarii loco laudat L. XLIV. c. 44. *Diodorus, qui praeerat vrbi, metuens, ne Thraces, quorum duo millia in praeſidio erant, vrbem in tumultu diriperent, ab ſubornato a ſe per fallaciam in tabellarii ſpeciem literas foro medio accepit. Scriptum in iis erat, ad Emathiam claſſem Romanam adpulſam eſſe, agrosque circa vexari. His lectis hortatur Thracas* cet.

1 *Panormitanorum*] Dux Romanis fuit L. Caecilius Metellus, Proconſul, de quo L. I. c. 7. §. 1. celeberrimam hoc occaſione ad Panormum de Hasdrubale adeptus victoriam. Confer Pighii Annales A. V. C. DIII. Oudend.

tinuit: deinde fatigato iam hoste, [2] quatuor portis eruptione facta, strauit cepitque Ligures.

III. Velius, Praefectus Romanorum, arcem Tarentinorum tenens, misit ad Hasdrubalem legatos, vti abire sibi incolumi liceret. Ea simulatione ad securitatem perductum hostem, eruptione facta, cecidit.

IV. Cn. Pompeius, [3] circumsessus ad Dyrrhachium, non tantum obsidione liberauit suos, verum etiam post eruptionem, quam obportuno et loco et tempore fecerat, Caesarem [4] ad castellum, quod duplici munitione instructum erat, auide inrumpentem, exterior ipse circumfusus corona obligauit, vt ille inter eos, quos obsidebat, et eos, qui extra circumuenerant, medius, non leue periculum et detrimentum senserit.

V. Flauius Fimbria, in Asia, apud Rhyndacum, aduersus filium Mithridatis, [5] brachiis ab latere ductis,

2 *Quatuor portis erupt. facta*] Quot nimirum portae Romanorum castrorum fuerunt. Praepositionem *a* MSS. auctoritate deleuit Oudendorpius. Sic Caesar de B. G. L. III. c. 19. *Subito duabus portis eruptionem fieri iubet.* Interdum tamen etiam praepositionem *ex* additam habet haec locutio; vti apud Nepot. in Thrasyb. c. IV. §. 4. *ex oppido noctu eruptione facta:* quae sine praepositione posita Graecorum rationem sequi videtur.

3 *Circumsessus*] Vulgo legebatur *circumsessos:* pro quo recte Cod. Petrensis auctoritate Oudendorpius *circumsessus* reposuit. Ipse enim Pompeius, consentientibus omnibus annalium scriptoribus, ibi a Caesare obsidione clausus tenebatur. v. Vell. Patercul. L. II. c. 51. §. 2. Dio Cass. L. XLI. p. m. 176.

4 *Ad castellum*] Intelligit autem minora Pompeii castra, quae maioribus inclusa erant. Id patet ex aliis scriptoribus, et praecipue ex Caesare, late hanc actionem sibi paene exitialem describente L. III. B. Ciu. c. 66. et quae sequuntur. *Relicto interiore vallo maiorem adiecerat munitionem* (Pompeius). *Ita minora castra inclusa maioribus castelli atque arcis locum obtinebant.* Et deinde: *Primo in maiora castra, post etiam in castellum, quod erat inclusum maioribus castris, irruperunt.* Oudend.

5 *Brachiis ab latere ductis*] Frequens huiusmodi *brachiorum* apud Scriptores cum in re nautica, tum castrensi mentio occurrit; quos plena manu laudant Tennulius ad h. l. Dauisius ad Hirtium de B. Alexandr. c. XXX. Broukhus. ad Propert. L. III. El. XX. v. 24. Sunt vero istiusmodi *brachia*, per trans-

ctis, deinde fossa in fronte percussa, quietum in vallo militem tenuit, donec hostilis equitatus intraret angustias munimentorum: tunc, eruptione facta, sex millia eorum cecidit.

VI. C. Caesar in Gallia, deletis ab Ambiorige Titurii Sabini et Cottae legatorum copiis, quum a Q. Cicerone, qui et ipse obpugnabatur, certior factus cum duabus legionibus aduentaret, conuersis hostibus, metum simulauit, militesque in castris, quae [6] arctiora solito industria fecerat, tenuit. Galli,

 prae-

translationem ab humano brachio ita dicta, *munitiones*, quas vario opere, ad excludendam quamlibet vim, vel in longitudinem, vel etiam curuatas in modum arcus, pro loci conditione et opportunitate, direxerunt. Hinc Virgilius L. III. Aen. 533.

Portus ab Eoo fluctu curuatur in arcum:
Obiectae salsa spumant adspergine cautes:
Ipse latet. gemino demittunt brachia muro
Turriti scopuli, refugitque a littore templum.

Suetonius in Claud. c. XX. *Portum Ostiae exstruxit, circumducto dextra sinistraque brachio, et ad introitum profundo iam salo mole obiecta.* Hirtius de B. Alex. c. XXX. *Postero die castellum, quod rex in proximo vico non longe a suis castris munierat, brachiisque cum opere castrorum coniunxerat vici obtinendi caussa, Caesar adgressus omnibus copiis, expugnat.* Adde B. Afric. c. 38. 49. 51. Auct. de B. Hisp. c. 13. *Pompeius ex castris suis brachium coepit ad flumen Salsum ducere.* Graecis eiusmodi brachia σκέλη dicuntur. v. Diodorus Sicul. L. XIII. 107.

6 *Arctiora solito*] Turpissimum omnino vulnus huic loco librariorum oscitantia inflixit: nam in omnibus cum MSS. tum typis excusis libris pro *arctiora* legebatur *ampliora:* quae scriptura, ex doctissimorum virorum iudicio, non solum cum rei veritate, sed tantum non omnium Strategicorum praeceptis, ipsoque communi sensu pugnat. Quare verissime iam olim, repugnantibus licet omnibus MSS. Codd. Stewechius, qui primus mendum hoc animaduertit, reposuit *arctiora*; probauitque Oudendorpius, nisi quod hic *angustiora*, vel alia cum Wasseo coniectura, *altiori vallo* legi posse censuit. Callidam hanc Caesaris sollertiam ab ipso relatam legimus L. V. de B. G. c. 49. 50. 51. *Consedit, et quam aequissimo potest loco, castra communit* (Caesar): *atque haec, etsi erant exigua per se, vix hominum millium VII. praesertim nullis cum impedimentis: tamen angustiis viarum, quam maxime potest, contrahit, eo consilio, vt in summam contemtionem hostibus veniat.* Et Dio ait L. XL. p. 125. Ὡς ἐν βραχυτάτῳ ἐστρατοπεδεύσατο. Polyaenus L. VIII. cap. 23. §. 7. Τὸν μὲν χάρακα στενώτατον ἐκέλευσε τειχίζειν. Certe, vt proposito potiretur Caesar, non *ampliora*, sed *arctiora solito* debebant esse castra, vt paucitatis specie hostes fallerentur. Nam, vt Onosander docet

praesumta iam victoria, velut ad praedam castrorum tendentes, fossas inplere, et vallum detrahere coeperunt. Qua re proelio aptatos Caesar, emisso repente vndique milite, trucidauit.

VII. Titurius Sabinus, aduersus Gallorum amplum exercitum continendo militem [7] intra munimenta, praestitit eis suspicionem metuentis: cuius augendae caussa perfugam misit, qui adfirmaret, exercitum Romanum in desperatione esse, ac [8] de fuga cogitare. Barbari oblata victoriae spe concitati, lignis sarmentisque se onerauerunt, quibus fossas complerent, ingentique cursu castra nostra in colle posita petiuerunt: vnde in eos Titurius vniuersas inmisit copias, multisque Gallorum caesis, [9] plurimos in deditionem accepit.

VIII. Asculani, obpugnaturo oppidum Pompeio, quum paucos senes aegros in muris ostendissent, ob id securos Romanos, eruptione facta, fugauerunt.

IX. Numantini obsessi ne pro vallo quidem instruxerunt aciem, adeoque se continuerunt, vt Popillio Laenati fiducia fieret scalis oppidum adgrediendi. Quo deinde suspicante insidias, quia ne tunc quidem obsiste-

eet c. X. §. 8. ἡ ἀνελπιστία τῶν δεινῶν ἀμελεστέρους ἐποίησε τοὺς στρατιώτας. Hinc prudentissimo praecepto idem copiarum duces monet: μήτε γὰρ ἐὰν ἐν ἐπιπέδῳ καὶ κατὰ κύκλον ἴδῃ κειμένην, (τὴν παρεμβολὴν) τάχα ἐν περιμέτρῳ καὶ συνεσταλμένῳ χάρακι δοκείτω τοὺς πολεμίους ἐλάττους εἶναι et reliqua l. c. quae commentarii vicem in hunc Frontini locum praestare possunt. Adde, si lubet, Leon. c. XVII. §. 88. 89. Mautic. p. 188. 227. Polyb. T. I. p. 776. 777.

7 *Intra munimenta*] Male in vulgatis *iuxta munimenta*. Recte adeo Stewechius, adsentientibus omnibus MSS. ipsoque Caesare L. III. c. 17. *Sabinus idoneo omnibus rebus loco castris sese tenebat*, veram lectionem, *intra*, reposuit.

8 *De fuga*] Ita pro vulg. *fugam cogitare* reduxit in textum Oudendorpius, addicentibus MSS. Sic L. II. c. 2. §. 14. *Qui indicaret, populares suos de fuga cogitare.* Vegetius L. III. c. 10. *Pauore confusi magis de fuga, quam de conflictu incipiunt cogitare.*

9 *Plurimos*] Vterque Leid. Cantabrig. Bibl. publ. et Hillensb. *plurimum.* Vnde coniicere possis legendum esse, P. seu *populum Vnellum.* Friget certe vulgata lectio, et testatur Caesar, *Vnellos* a Titurio hic victos, et in deditionem esse acceptos. Oudend.

ftebatur, ac fuos reuocante, eruptione facta, auerfos et defcendentes adorti funt.

CAP. XVIII.

De conftantia obfefforum.

Exemplum I.

[1] Romani, adfidente moenibus Hannibale, oftentandae fiduciae gratia, fupplementum exercitibus, quos in Hifpania habebant, diuerfa porta miferunt.

II. Iidem agrum, in quo caftra Hannibal habebat, defuncto forte domino, venalem ad id pretium licendo perduxerunt, quo is ager ante bellum venierat.

III. Hi, dum ab Hannibale obfidentur, et ipfi [2] obfederunt Capuam: decreueruntque, ne, nifi capta ea, reuocaretur inde exercitus.

1 *Romani*] Quamquam Hannibal tertio ab vrbe lapide caftra fua habebat: tanta tamen Romanorum fuit fiducia, vt *illis ipfis diebus ager, quem hic Poenorum dux caftris infederat, venalis Romae effet, haftaeque fubiectus inueniret emtorem.* Florus L. II. c. 6. §. 47. quod ipfum nofter §. 2. memorat.

2 *Obfederunt Capuam*] In quibusdam MSS. et impreffis ita legitur: *obfidere Capuam decreuerunt, nec nifi capta ea reuocauerunt inde exercitum.* Verum non eo demum tempore decretum factum; fed iam ante obfeffam fuiffe Capuam Liuius L. XXVI. c. 1. et Florus L. II. c. 6. §. 43. teftantur.

SEXTI IVLII FRONTINI STRATEGEMATICON LIBER QVARTVS.

PRAEFATIO.

Multa lectione conquisitis Strategematibus, et non exiguo scrupulo digestis, vt promissum trium librorum inplerem, si modo inpleui, in hoc exhibebo ea, quae parum apte [1] descriptioni priorum ad speciem adligata subiici videbantur, et erant exempla potius strategicon, quam stratrgematicon. Quae idcirco separaui, quia, quamuis clara, diuersae tamen erant substantiae: ne, si qui forte in aliqua ex his incidissent, similitudine [2] inducti praetermissa opinarentur. Et sane velut residua expedienda sunt: in quo, sicut antea, et ipse ordinem per species seruare conabor.

1 *Descriptioni*] 3 Reg. Voss. Hill. et Gudian. habent *discretioni:* quae vox non inepta videtur. Sic ipse noster Praef. L. I. *Quo magis autem discreta ad rerum varietatem apte collocarentur.* Quinctilian. Declam. p. 77. *Romanae militiae pia discretio.*

2 *Inducti*]. Septem vel octo meorum MSS. cum Edit. Par. *indocti.* Verum *inducti* diserte exhibent Petrensis, Cantabrig. tert. et Leid. sec. quomodo legendum esse librorum suorum marginibus adscripserant iam Lipsius, Scriuerius, Vossius et Waffe. *Inducere* saepe notat falsa specie decipere. Consule Gebhardum ad Nepot. Alcib. c. 8. et Achill. Stat. ac Broukh. ad Tibull. L. I. El. VII. 1.

Semper vt inducas, blandos offers mihi vultus.

Oudend.

IN-

INDEX CAPITVM.

CAP. I.

De Disciplina.

Exemplum I.

P.[1] Scipio ad Numantiam, corruptum superiorum ducum socordia exercitum correxit, dimisso ingenti lixarum numero, redactis ad munus quotidiana exercitatione militibus. Quibus quum frequens iniungeret iter, portare complurium dierum cibaria imperabat, ita vt [2] frigora et imbres pati, vada fluminum pedibus traiicere adsuesceret miles: exprobrante subinde Imperatore timiditatem et ignauiam, [3] frangente delicatioris vsus ac parum necessaria expeditioni vasa. Quod maxime [4] notabiliter accidit C. Memmio Tribuno, cui

1 *Scipio*] De hoc ita Vegetius L. III. c. 10. *Scipio Africanus sub aliis imperatoribus Hispanienses exertitus frequenter victos accepit: hos, disciplinae regula custodita, omni opere fossisque faciendis ita diligenter exercuit, vt diceret, fodientes luto inquinari debere, qui madere hostium sanguine noluissent.* Idem, teste Polyaeno L. VIII. c. 16. §. 3. cum corruptum Ducum socordia exercitum vidisset, dixit: *πενθεῖν τὴν τῦ ςρατεύματος ἀσωτίαν καὶ μαλακίαν.*

2 *Frigora et imbres pati*] Ita frequenter plurali numero vtuntur cum Latini, tum Graeci scriptores. Phaedrus L. III. Fab 7. 11. *Nunc patior niues imbresque.* Onosander c. X. 1. *θάλπεσιν ἀκνιάςοις καὶ κρυμοῖς συγγυμναζόμενα.* Leo c. VII. §. 21. *Κρυμοῖς καὶ χειμῶσι γυμναζόμενοι.* Iam vero, cum in milite praecipue firma corporis constitutio requiratur, vt dura quaeuis, diuersamque caeli temperiem pati condiscat: strategici scriptores inter militaris disciplinae praecepta, huic quoque, *vt milites, imbres et frigora ferant*, locum dederunt. Per crebriores autem eiusmodi exercitationes *τεῤῥότερά τε τὰ σώματα γίγνεται καὶ ἀδμητὰ, καὶ συνεθίζεται τοῖς μέλλυσι δεινοῖς*, vt docet Onosander l. c. cui addi possunt Leo c. VII. §. 49. seqq. Vegetius L. III. c. 2. Mauricius L. XI. c. 5.

3 *Frangente*] Concitata procedere videtur oratio per *ἀσύνδετον*, ad exprimendum affectum; vti supra: *dimisso ingenti lixarum numero; redactis ad munus* cet. et paucis interiectis: *ita vt frigora et imbres pati; vada fluminum pedibus traiicere* cet. quare nec I. Sarisberiensi, nec Scriuerio, legentibus *frangenteque*, velim accedere.

4 *Notabiliter*] In vulgatis *nobiliter* legitur; pro quo rectius MSS. *notabiliter* exhibent. Immo sane *notabiliter*, iudice Oudendorpio, accidit huic Tribuno, quia peculiari quasi nota a Scipione repre-

cui dixisse traditur Scipio: [5] Mihi paullisper et Reipublicae, tibi semper nequam eris.

II. Q. Metellus, bello Iugurthino, similiter lapsam militum disciplinam pari seueritate restituit, quum insuper prohibuisset alia carne quam [6] assa elixaue milites vti.

III. Pyrrhus delectori suo fertur dixisse, [7] Tu grandes elige, ego eos fortes reddam.

IV. [8] L. Flacco et C. Varrone Cos. milites primo

prehensus est, qui totum quidem exercitum generaliter seueritate correxit; sed singulari et notabili locutione Tribunum istum notauit. Idem vitium occupauit vtramque Aldinam Editionem Plinii L. V. ep. 17. §. 6. *tam notabiliter pro fratre recitante primum metus eius, mox gaudium eminuit.* vbi contra omnium Codd. MSS. et Editionum reliquarum veterum fidem *nobiliter* exhibetur. Sic idem L. I. ep. 5. §. 13. *Expalluit notabiliter, quamuis palleat semper.*

5 *Mihi paullisper*] Variant in hoc Scipionis dicto libri veteres. Veram autem esse receptam scripturam Plutarchus probat in Apophthegm. p. 218. Ed. Steph. Ἐμοὶ μὲν, εἶπεν, ἡμέρας τριάκοντα καὶ τῇ πατρίδι, σαυτῷ δὲ τὸν βίον ἅπαντα, τοιοῦτος ὢν, ἄχρηστον πεποίηκας σεαυτόν. vbi etiam idem Tribunus, qui in vulgatis Frontini editionibus *Menius*, et in libris quibusdam antiquis *Gaius Nemius*, vel *Nummius* perperam dicitur, recte Μέμμιος appellatur.

6 *Assa elixaue*] Lipsius L. V. de militia Rom. c. 16. eumque secutus Scriuerius, contra omnium MSS. fidem, voces *a se* inseruerunt, quo historiae ratio constaret. At enim vero rectius Barthius, *bellaria* tantum et *pretiosa iuscula* a Metello vetita; solumque *assae elixaeue carnis* vsum relictum fuisse intelligit. Quam sententiam illa Plutarchi (quae tamen Scipioni tribuit) in Apophthegm. p. 218. Ed. Steph. probare possunt: Προσέταξε δὲ ἀριστᾶν μὲν ἑστῶτας ἄπυρον ὄψον, δειπνεῖν δὲ κατακειμένους ἄρτον ἢ πολτὸν ἁπλῶς, καὶ κρέας ὀπτὸν, ἢ ἑφθόν. Hisque consona habet Polyaenus L. VIII. c. 16. quem locum ante Schelium obseruauit laudauitque Lipsius in libro supra citato.

7 *Tu grandes elige*] Quamquam veteres Graeci pariter atque Romani in delectu staturae rationem veplurimum habuerunt; et apud hos quidem *proceritas tironum ad incommam semper fuit exacta,* auctore Vegetio L. I. c. 5. idem tamen L. I. c. 6. *vtilius fortes milites esse, quam grandes,* prudenter iudicauit.

8 *L. Flacco*] *Paullo* pro *Flacco* legendum monuit iam Schelius ad Polybium de castris Rom. p. 177. vnde Tennulii pleraque ad hunc locum de *Sacramento rogari* desumta sunt. Viderat etiam Keuchenius, qui animaduersionem de abeundo metus caussa totam ad verbum debet Casaubono ad Polybium p. 174. Ed. Gron. MSS. autem constanter retinent *Flacco*; nec minus I. Sarisberiens. Policr. L. VI. c. 7. *Flacco* exhibet. Oudendorpius.

mo iureiurando [9] facti sunt: ante ea enim [10] sacramento tantummodo a tribunis rogabantur: ceterum ipsi inter se [11] coniurabant, se fugae atque formidinis caussa non abituros, neque ex ordine recessuros, nisi teli petendi, feriendiue hostis, aut ciuis seruandi caussa.

V. [12] Scipio Africanus, quum ornatum scutum elegantius cuiusdam vidisset, dixit, non mirari se, quod tanta cura ornasset, in quo plus praesidii, quam in gladio haberet.

VI. Philippus, quum primum exercitum constitueret, vehiculorum vsum omnibus interdixit, equitibus non amplius quam singulos [13] calones habere per-

9 *Facti sunt*] Quamquam alias hac in re vsitatior vox *adacti*; vti cum apud alios, tum apud Liuium L. XXII. c. 38. *Milites tunc, quod numquam antea factum erat, iureiurando ab tribunis militum adacti, iussu consulum conuenturos, neque iniussu abituros:* apud nostrum ipsum tamen L. IV. c. 1. §. 12. *in legione militem fecit.*

10 *Sacramento rogabantur*] *Rogare sacramento*, et *dicere sacramento* vel *sacramentum*, locutiones sunt apud historicos satis frequentes. Tribunus nimirum rogabat sacramento; miles vero dicebat sacramento. Caeterum *sacramentum* antiquioribus militiae temporibus videtur obtinuisse, quo quisque Romanorum suis sumtibus militauit; fuitque adeo *voluntarium*; sicuti contra ea milites, iureiurando ab tribunis militum adacti, vel contra voluntatem fuerunt. Quae differentia fuerit inter *sacramentum* et *iusiurandum militare*, diserte explicat Liuius L. XXII. c. 38. *Nam ad eam diem, nil praeter sacramentum fuerat: et vbi ad decuriatum vel centuriatum conuenissent, sua voluntate ipsi inter se equites decuriati, centuriati pedites coniurabant, sese fugae atque formidinis ergo non abituros, neque ex ordine recessuros, nisi teli sumendi aut petendi, aut hostis feriendi, aut ciuis seruandi caussa: id ex voluntario inter ipsos foedere, a tribunis ad legitimam iurisiurandi adactionem translatum.* Consuli possunt de sacramento militari Vegetius L. II. c. 5. et Gellius L. XVI. c. 4.

11 *Coniurabant*] Formula huius coniurationis iisdem verbis legitur apud Liuium l. paullo ante cit.

12 *Scipio Africanus*] Verba Scipionis refert Polyaenus quoque L. VIII. c. 16. §. 4. αἰσχρὸν, ἔφη, Ῥωμαῖον ἄνδρα τῇ ἀριστερᾷ χειρὶ μᾶλλον, ἢ τῇ δεξιᾷ πιστεύειν. Sic legati ad Icilii verba apud Liuium L. III. c. 53. *Scuto vobis magis, quam gladio opus est.*

13 *Calones*] *Lacones* in meis omnibus, Saresber. L. VI. c. 11. et Ed. Romana: nisi quod in Medic. pr. sit *lances*. In Leidensi sec. *Latones*. *Calones* autem sunt armorum et necessariorum militi rerum *latores*, quomodo passim ii describuntur. Vide, quos laudaui ad L.

permisit, peditibus autem denis singulos, qui [14] molas et funes ferrent. In aestiua exeuntibus triginta dierum farinam collo portare imperauit.

VII. C. Marius recidendorum inpedimentorum gratia, quibus maxime exercitus agmen oneratur, vasa et [15] cibaria militum in fasciculos aptata furcis inposuit, sub quibus et habile onus et facilis requies esset: vnde et [16] in prouerbium tractum est, Muli Mariani.

VIII. [17] Theagenes Atheniensis, quum exercitum Megaram duceret, petentibus ordines respondit, ibi se

L. II. r. 6. Eorum lixarumque frequens apud nostrum est mentio. In Leid. tert. ex interpolatione *obsequentes*, quales etiam *galearii* et *caculae* dicti. Oudendorpius. *Lacones* per litterarum transpositionem, oscitantia librariorum, ex voce *calones* factum, non est quod dubitemus.

14 *Molas*] *Molas manuarias*, quibus ad frangendum frumentum vtebantur Romani, inter instrumenta militaria fuisse, probat ex Liuio Lipsius de Milit. L. V. Dial. 11.

15 *Cibaria*] Insignis hanc in rem locus exstat apud Ciceronem Tuscul. Quaest. L. II. c. 15. *Qui labor quantusque agminis, ferre plus dimidiati mensis cibaria; ferre, si quid ad vsum velint; ferre vallum? nam scutum, gladium, galeam, in onere nostri milites non plus numerant, quam humeros, lacertos, manus. arma enim, membra militis esse ducunt: quae quidem ita gerunt apte, vt, si vsus ferat, abiectis oneribus, expeditis armis vt membris, pugnare possint.* Adde, si lubet, Io. Frid. Gronouium ad Taciti de Mor. Germ. c. XXX. Imaginem militis Romani, vel *muli* eiusmodi *Mariani* iniusto sub fasce viam carpentis, nos quoque delineatam exhibuimus ad Onosandri c. VIII. p. 128. Hinc inter exercitationes militares, *pondus baiulare vsque ad sexaginta libras, et iter facere gradu militari, frequentissime cogendos esse iuniores,* praecepit Vegetius L. I. c. 19. Nec Romani solum; sed multis saeculis ante, Graeci quoque, sollertissimi illi disciplinae militaris cultores et statores, huius praecepti vtilitatem perspectam habuerunt. Sic Xenophon, quem hic laudat Tennulius, L. II. r. 37. *ἡμεῖς δέ γε, ἔφη, ἐν μεγάλοις φορτίοις καὶ βαδίζειν καὶ τρέχειν ἠναγκαζόμεθα, ὥστε νῦν, ἐμοὶ δοκεῖ, τὰ τῶν ὅπλων φορήματα πτεροῖς μᾶλλον ἐοικέναι, ἢ φορτίοις.*

16 *In prouerbium tract. est*] Ita in omnibus ante Keuchenium et Tennulium editionibus legitur. Codd. MSS. dissentiunt, aliis *vnde et prouerb.* aliis *vnde et inde* praeferentibus. Saresber. *inde et prouerbium natum est.* Oudendorpius, Ciceronis exemplo, optime legi censet: *vnde et prouerbium tritum est:* cui et nos, in hac Codd. varietate, lubentes adsentimur.

17 *Theagenes*] Palat. Leid. sec. et Edd. Rom. Bonon. ac Wechelian. *Theogenes.* Incertum duco, vtrum Frontinus e Polyaeno L. V. c. 28. an Polyaenus e Frontino sic emen-

se daturum: deinde clam equites praemisit, eosque hostium specie inpetum in socios retorquere iussit: [18] quo facto, quum, quos habebat, tamquam ad hostium incursum praepararentur, permisit ita [19] ordinari aciem, vt, quo quis voluisset, loco consisteret: et quum inertissimus quisque retro se dedisset, strenui autem in fronte prosiluissent, vt quemque inuenerat stantem, ita ad ordines militiae prouexit.

IX. Lysander Lacedaemonius egressum via quemdam castigabat: cui dicenti, [20] ad nullius rei rapinam se ab agmine recessisse, respondit, Ne speciem quidem rapturi praebeas, volo.

X. An-

emendandus: nam et Megarae et Athenis varii fuere *Theognidis* et *Theagenis* nomine. v. Thucyd. L. I. p. 81. Pausan. in Att. p. 96. Plutarch. T. II. p. 811. Suidam et alios. Erat et Thebanus *Theagenes*. Plutarch. p. 671. Polyaenus L. VIII. c. 40. Polyaenus autem non Atheniensem hunc dicit, sed Ἀθηναῖον ϛρατηγόν. Oudend.

18 *Quo facto, quum*] In solo Hillensb. adest *quos*. Ceteri omnes illo pronomine carent, et pro *tum* (vt in vulgatis est) praebent cuncti *cum* siue *quum*: quae coniunctio salua constructione adesse debet, Leidensi secundo excepto, in quo *tamen*. Saltem, si sensus constabit, legendum, vt interim rescripsi, *quo facto, quum, quos habebat* etc. vt exhibet Hillensb. Verum, *aiebat* in Medie. pr. pro *habebat*. Immo Petrensis et Edd. Rom. ac Bonon. hoc quoque verbum expungunt optime. Non tamen de nihilo est superius *imperatum* (ita nimirum pro *impetum* quidam Codd. habent) et hic *habebat*. Nam inde omnino putem rescribendum esse totum hunc locum hoc modo: *eosque hostium specie insperata in socios retorquere iussit habenas: quo facto, quum tamquam* etc. Simulac *insperata* corruptum est in *impetum*, necessario ex *habenas* aliud quid fingendum fuit. *Insperata species* esset inexspectata, inopinata. vide ad L. III. c. 9. §. 7. Vel etiam lege *imparatos*; aut potius, quod nunc vnice praefero, *eisque h. s. imperat, in socios retorquere habenas: q. Retorquere habenas* est, vt *retorquere currum* apud Lucanum L. VII. 3. Ouid. L. I. Art. Am. 329. et similia alibi. Quidquid sit, *quos habebat* e glossa irrepsit in textum, et nequaquam verba Frontini sunt: quare parum abfuit, quin ea deleuissem. Oudendorpius.

19 *Ordinari*] MSS. ni fallor, omnes et Edd. Stewechiana antiquiores *ordinari*, vt reposui; adeoque tota haec periodus ita concipi debet, mea saltem opinione: *equites praemisit, eisque hostium specie imperat in socios retorquere habenas: quo facto, quum tamquam ad hostium incursum praepararentur, permisit ita ordinari aciem.* Sic etiam MSS. et Vett. Edd. non obscure videntur postulare. Oudendorpius.

20 *Ad nullius rei rapinam*] Vulgatae scripturae fauet Saresberiens. L. VI. c. 11. vti et in sequentibus, vbi Palatinus argute exhibet, *ne spem quidem rapaci praebeas volo.* Oudendorpius.

X. Antigonus, quum filium suum [21] deuertisse audisset in eius domum, cui tres filiae insignes specie essent, Audio, inquit, fili, anguste habitare te, pluribus dominis domum possidentibus: [22] hospitium laxius accipe. Iussoque commigrare, edixit, ne quis, minor quinquaginta annos natus, hospitio matris familias vteretur.

XI. Q. Metellus Cos, quamuis nulla lege inpediretur, quin filium contubernalem perpetuum haberet, maluit tamen, eum [23] in ordine merere.

XII. P. [24] Rutilius Cos, quum secundum leges in contubernio suo filium habere posset, in legione militem fecit.

XIII. M. Scaurus filium, quod in saltu Tridentino [25] loco hostibus cesserat, in conspectum suum venire

21 *Deuertisse*] Sic pro *diuertisse* meliorum Codd. auctoritate legendum suadent viri eruditi. Quam scripturam confirmat Cicero de Offic. L. II. c. 18. *Quicumque Laciades in villam suam deuertisset.* Et L. III. epist. 7. ad Attic. *Sed itineris caussa vt deuorterem.* Nepos in vit. Lysandri c. II. §. 2. *Victor ex Asia quum reuerteretur, Thasumque deuertisset.*

22 *Hospitium laxius*] Medicei, et Edd. Italicae *latius* habent. Sed non est, quod a vulgata discedamus. Sic Plinius in Paneg. c. L. *Tum exitialis erat apud Principem, huic laxior domus* etc. Quinctilianus Declam. CCLXIX. *Nam vt possessiones non pares, vt familiam non emas, non laxiore habites domo.* Cicero pro domo ad Pontif. c. XLIV. *Habitare laxe et magnifice voluit.*

23 *In ordine merere*] Per *ordines* in re militari vel gradus honoris; vel ipsi milites intelliguntur. Hoc quidem loco *in ordine mereri* est sacramento, vel iureiurando a tribunis militum adactum, militiae nomen dare, stipendiaque mereri: nam sine militiae sacramento, nec miles quisquam esse, nec cum hostibus pugnare potuit, vt nobis auctor est Cicero de Offic. L. I. c. 11. Immo, teste Sallustio B. Catil. c. IX. *In bello saepius vindicatum est in eos, qui contra imperium in hostem pugnauerant, quique tardius, reuocati, praelio excesserant, quam qui signa relinquere, aut pulsi, loco cedere ausi erant.*

24 *Rutilius*] De huius disciplina militari multa loquuntur scriptores Latini. Consule Pighium Annal. Tom. III. Oudendorpius.

25 *Loco hostibus cesserat*] Cod. Petrens. *locum.* Nolim admittere hanc scripturam, cum vulgata apud optimos quosque scriptores hac in re reperiatur. Sic noster L. IV. c. 1. §. 34. *qui loco cesserant*, coll. §. 35. et Tacitus de morib. Germ. c. VI. *Cedere loco, dummodo rursus instes, consilii, quam formidinis arbitrantur.* Graeci vna voce dicunt παραχωρεῖν. Onosander c.

nire vetuit. Adolefcens verecundia ignominiae preffus, mortem fibi confciuit.

XIV. [26] Caftra antiquitus Romani, ceteraeque gentes, paffim per corpora cohortium velut mapalia conftituere foliti erant, quum folos vrbium muros noffet antiquitas. Pyrrhus, Epirotarum rex, [27] primus totum exercitum fub eodem vallo continere inftituit. Romani deinde, victo eo in campis [28] Arufinis circa vrbem Beneuentum, caftris eius potiti, et ordinatione notata, paullatim ad hanc vsque metationem, quae nunc effecta eft, peruenerunt.

XV. P. Nafica in hibernis, quamuis claffis vfus non effet neceffarius, ne tamen defidia miles corrumperetur, aut per otii licentiam fociis iniuriam inferret, naues aedificare inftituit.

XVI. M.

IX. ταχὺ δὲ πειράσαντες ἀποχωρῦσιν. c. X. f. 2. καὶ διὰ τὸ βαρεῖς εἶναι τὺς ἀποχωρῦντας ταῖς ὠφελείαις. alibi ὑποχωρεῖν vel etiam ὑποχωρήσεις ποιεῖσθαι. Idem c. XXVII. Παραγγελλέτω δὲ καὶ τὰς ὑποχωρήσεις ἐν τάξει ποιεῖσθαι.

26 *Caftra*] Haec male in Edd. Tenn. et Keuchenii praecedentibus annectebantur, quibus fimile nil continent. Quare disiunxi, adeoque auxi bic exemplorum numerum, quem rurfus minui §. 27. contractis in vnum duobus. Ceterum hinc vfque ad Ex. 30. deficiunt Edd. Rom. et Bonon. Oudendorpius.

27 *Primus tot. exerc. fub eodem vallo*] Falfiffimum hoc effe, etiam diu ante apud Romanos Graecosque exercitum intra idem vallum fuiffe contentum, recte contra noftrum auctorem difputat Lipfius L. V. de Mil. Rom. c. I. Verum, quod dubitat, immo negat, Pyrrhum primum curiofius meliusque caftra digeffiffe, in eo me non adfentientem babet, quippe qui Plutarcbi teftimonium, quod adducit, minoris fidei ducam, quam fummi ducis Hannibalis, apud Liuium L. XXXV. c. 14. qui ab Scipione Africano rogatus, quem fecundum imperatorem poneret, *Pyrrbum*, dixit, *caftra metari primum docuiffe: ad boc neminem elegantius loca cepiffe, praefidia difpofuiffe.* etc. Oudendorpius.

28 *Arufinis*] Quidam docti viri *Taurafinos campos*; alii *Aurufinos* et *Arofinos* appellant. Sed optime *Arufinos campos* etiam dicit Florus L. I. c. 18. Vid. quae contra Cluuerium adfert Cellarius II. Geogr. antiqu. c. 9. et quae eruditi commentatores ad laudatum Flori locum adferunt. Quod ad *Beneuentum* attinet, Oudendorpio maxime placet Scaligeri coniectura, qui volebat *Maluentum*. Nos cum certiora iis dicere haud queamus, quae viri docti hac de fcriptura differuerunt, τὸ ἐπέχειν lubentes amplectimur.

XVI. M. Cato memoriae tradidit, in furto comprehensis inter commilitones [29] dextras esse praecisas; aut, si leuius animaduertere voluissent, [30] in principiis sanguinem missum.

XVII. Clearchus, dux Lacedaemoniorum, exercitui dicebat, Imperatorem potius, quam hostem metui debere: significans, eos, qui in proelio dubiam mortem timuissent, certum, si deseruissent, manere supplicium.

XVIII. Appii Claudii sententia Senatus eos, qui a Pyrrho, rege Epirotarum, capti, et postea remissi erant, equites ad peditem redegit, [31] pedites ad [32] leuem armaturam, omnibus [33] extra vallum iussis

29 *Dextras*] Hanc poenam exercuit et Q. Fabius Maximus. Frontin. n. 42. huius c. Valerius Maximus II. 7. 11. *Omnium enim, qui ex praesidiis Romanis ad hostes transfugerant, captique erant, manus abscidit.* Marcellinus L. XXIX. *Sagittariorum vero primoribus manus incidit.* Liuius L. XXVI. c. 12. *Cum transfugis nouis mulcati virgis, manibusque praecisis Capuam rediguntur.* Oudend.

30 *In principiis sangu. miss.*] In *principiis* nimirum, qui fuit celeberrimus castrorum locus, ius a Tribunis dicebatur, auctore Liuio L. XXVIII. c. 24. *Milites Tribunos iura reddere in principiis sinebant.* Vnde facile colligi potest, pro vulgata *in principes*, rectius cum MSS. quorumdam auctoritate, tum Gronouii aliorumque doctorum virorum sententia, legi *in principiis*, quod suo loco restituit Oudendorpius. Caeterum *sanguinis missio* antiquitus inter militares fuit animaduersiones, ignominiae caussa facta, primum ob ignauiam animique timiditatem, deinde ad pleraque alia delicta translata, vt testis est Gellius L. X. c. 8. vbi eruditi commentatores varias huius animaduersionis caussas adferunt, quas videsis.

31 *Pedites*] A plerisque MSS. *pedites* male abest. Rectius Vatic. duo Cantabr. et Leidens. qui eam agnoscunt. Confirmant receptam scripturam illa Valerii Max. L. II. c. 7. §. 15. *Cum magnum captiuorum ciuium suorum numerum a Pyrrho rege vltro missum recepissent, decreuerunt, vt ex iis, qui equo meruerant, peditum numero militarent; qui pedites fuerant, in funditorum auxilia transcriberentur.*

32 *Leuem armaturam*] Graecis dicti ψιλοὶ et ψιλῇ ὁπλίσει ὡπλισμένοι, de quibus nos aliqua attulimus ad Onosandri c. XVII.

33 *Extra vallum*] Samuel Petitus, inductus auctoris nostri opinione, quod Romani a Pyrrho victo demum didicerint *castra sub eodem vallo continere*, hic vocem *vallum* minime quadrare putat, et pro eo reponit *paullum*; siue *paullum extra castra*, seu cohortium illa corpora velut mapalia. Adi illum L. I. Obseru. c. 10. Acutum sane commentum, sed falsum omnino, quod vel euincunt sequentia.

In-

sis [34] tendere, donec bina hostium spolia singuli referrent.

XIX. [35] Otacilius Crassus Cos. eos, qui ab Hannibale sub iugum missi redierant, tendere extra vallum iussit,

In eo autem huius poenae ratio fuit, *vt inmuniti adsuescerent periculis, et aduersus hostem audentiores essent*, vt bene sequ. exemplo subdit noster. Praeterea magnus eorum erat numerus: vnde patet, aeque tutos illos fuisse, siue intra, siue paullum extra illa mapalia ficta tenderent. At contra, ne tam tuti essent, bene prouiderat Senatus, decreueratque, non solum ne intra castra tenderent; sed etiam *ne locum extra adsignatum vallo aut fossa cingerent*: quod diserte addit Valerius Maximus. Vnde liquido adpatet, auctorem suae sententiae oblitum hic rursus agnouisse, *vallum* ante victum Pyrrhum apud Romanos in vsu fuisse. Quod facile accidere Frontino potuit, qui vndique modo descripsit exempla, vt ab auctoribus, quos tum legebat, memoriae prodita reperit. Oudendorpius.

34 *Tendere*] Elliptica dicendi ratio, saepius apud veteres scriptores obuia. Virgilius L. II. Aen. v. 29. *Hic Dolopum manus, hic saeuus tendebat Achilles*, vbi Seruius: *tentoria habebat*, et *latis tendebat in aruis*. Caesar L. VI. B. G. c. 38. *vt, qui sub vallo tenderent mercatores, recipiendi sui facultatem non haberent*. Plenam locutionem esse *tendere tabernacula*, ex eius opposito *detendere tabernacula* patet. Sic Caesar L. III. B. C. c. 85. *signo iam profectionis dato, tabernaculisque detensis*. Liuius L. XLI. c. 3. *Nautici tabernacula detendunt*.

35 *Otacilius Crassus Cos.*] *Statilius, Catilius, M. Attilius. A. Crassus*. MSS. nonnulli. Doctissimus Vir P. Wesselingius L. II. Obs. c. 8. hanc historiam refert ad tempus belli Punici secundi; milites que sub iugum missos ad cladem Cannensem: adeoque, cum eo tempore Otacilius non fuerit Consul, sed Praetor, et pro Praetore cum classis imperio, vti bene illic obseruat, et nos monuimus ad L. III. c. 16. putat, in honoris nomine hic errorem esse vel auctoris, vel librarii. Verum ego sum in alia sententia, suspicorque, hanc rem accidisse anno IV. B. Punici primi, quo Otacilius alter in Sicilia summum imperium in consulatu administrauit, resque omnino prosperas contra alium Hannibalem, Gisconis filium, et Hannonem gessit. De hoc Otacilio mentionem etiam facit noster loco supra citato. Nec opinioni meae refragatur, quod tunc temporis Romanorum res prospere fluerent, vt testes sunt Polybius L. I. c. 19. et sqq. (vbi vide Casaubonum) Zonaras aliique. Facile enim quodam casu, licet in summa belli inferior fuerit Hannibal iste, antea quidam Romani milites turpissime sese ei dedere potuerunt, et sub iugum missi in captiuitate apud Carthaginienses mansisse; donec hoc anno, rebus tam bene succedentibus, in libertatem restituti ad Otacilii exercitum redierint. Neque semper Hannibalem istum male rem gessisse, patet vel ex nostro L. III. c. 10. vbi Himeram cepit et Segestanos vicit. Praeterea de militibus Cannensi praelio captis sumi non potest: quippe tam notabilis actionis, qualis est illa *Romanos sub iugum mittendi*, nusquam meminit Liuius, qui etiam minimi momenti res de Cannensi exercitu, eiusque reli-

quiis

iussit, vt inmuniti adsuescerent periculis, et aduersus hostem [36] audentiores fierent.

XX. P. Cornelio Nasica, D. Iunio Coss, qui [37] exercitum deseruerant, [38] damnati, virgis caesi publice venierunt.

O 3 XXI.

quiis tam adcurate enarrat. Ad haec Otacilius, cui classis cura eo tempore mandata erat, imperium habere non potuit in exercitum terrestrem, qui vtplurimum tunc constabat ex militibus, qui ad Cannas fugerant, vel deinceps rempublicam deserere voluerant, adeoque in Siciliam relegati erant. Hic videtur agi de paucioribus hominibus extra vallum tendere iussis. Fateor, neminem alium ex scriptoribus aliquid de hoc Otacilii Cos. facto tradere: verum cum Liuius hic deperditus sit, et saepe a nostro narrentur res, quas frustra apud alios quaeras, id meam opinionem nihil infirmat. Immo si de praetore hoc caperemus, aeque diceret auctor rem, de qua ceteri, et ipse Liuius tacent. Oudend.

36 *Audentiores*] Ita recte pro *audaciores*, quod librariorum temeritate in quibusdam Codd. legitur. *Audacia* enim et *audentia*, notante Marcello p. 469. hoc differunt, quod *audentia* fortitudinis est; *audacia* temeritatis. Quae cum ita sint, *audacia* tamen interdum etiam pro *fortitudine*, sed *irrita* et *sine fortuna* ponitur, vt docet Seruius ad Virgilii L. VIII. v. 110.

37 *Exercitum deseruerant*] Saepius apud scriptores *deserere* absolute ponitur pro *deserere exercitum, militiam*. Sic apud Vegetium L. II. c. 3. *Praeterea morbo aliquantos debilitari, atque dimitti, aliquantos deserere.* Idem c. XX. *De deserendo nihil cogitat.* L. III. c. 9. *Tunc fracti labore et taedio plurimi deserunt.* Sic etiam *desertos* apud nostrum L. IV. c. 1. §. 29. *Iussit fugientes pro desertoribus caedi.* Recte vero hoc quidem loco, contra Stewechium, addicentibus omnibus Codd. MSS. τὸ *exercitum* retinendum censuit Oudendorpius, cui fauet Epit. Liuii LV. *P. Cornelio Nasica, cui cognomen Serapioni fuit, et D. Iunio Bruto dilectum habentibus, in conspectu tironum res saluberrimi exempli facta est. Nam C. Matienus accusatus est apud tribunos plebis, quod exercitum in Hispania deseruisset: damnatusque sub furca diu virgis caesus est, et sestertio nummo veniit.*

38 *Damnati*] Quidam Codd. MSS. et Edit. Par. non inepte praeferunt *damnato*, participio, more veterum, pro substantiuo, *damnatione*, posito; de qua dicendi ratione Tennulius et Oudendorpius ad Praefat. L. I. pluribus agunt. Non est tamen, quod lectionem vulgatam, plurimorum librorum auctoritate comprobatam, loco suo moueamus; quae etiam propius ad illa Epit. Liuii paullo ante laudati accedit, oratione per ἀσύνδετον procedente. Alias *fustuarii* poenam subibant *desertores*; vt diserte docet Liuius L. V. c. 6. *Fustuarium meretur, qui signa relinquit, aut praesidio decedit.* Idem inter alia *Vibillii* exemplum probat apud Vell. Paterc. L. II. c. 78. quem Caluinus Domitius primipili centurionem, ob turpem ex acie fugam, comparando antiquis exemplo, *fuste percussit.* Nec minus Appius Claudius ex iis, qui loco cesserant, *decimum quemque militem, sorte ductum, fusti percussit.*

XXI. Domitius Corbulo in Armenia, duas alas et tres cohortes, quae ad caſtellum [39] initio hoſtibus ceſſerant, extra vallum iuſſit tendere, donec adſiduo labore et proſperis excurſionibus redimerent ignominiam.

XXII. Aurelius Cotta Cos, quum ad opus equites, neceſſitate cogente, iuſſiſſet accedere, eorumque pars [40] detractaſſet imperium, queſtus apud Cenſores, effecit, [41] vt notarentur. A patribus deinde obtinuit, ne eis praeterita [42] aera procederent. Tribuni quoque plebis de eadem re ad populum pertulerunt, omniumque conſenſu ſtabilita diſciplina eſt.

XXIII. Q. Metellus Macedonicus, in Hiſpania, quinque cohortes, quae hoſtibus ceſſerant, [43] teſtamentum facere iuſſas, ad locum recuperandum remi-

ſt. v. apud noſtrum §. XXXIV. *Virgis caedi ſub furca* antiqui moris ſupplicium vocat Suetonius in Claud. c. XXXIV. vnde hac poena affecti, in ſequenti tempore, *more maiorum* puniri dicebantur. v. Idem in Neron. c. XLIX. et in Domitian. c. XI. Caeſar de B. G. L. VI. c. 44.

39 *Initio*] Aſteriſco hanc ſcripturam, tamquam corruptam, notauit Scriuerius: vnde auctoritate Taciti L. XXIII. Annal. c. 33. ſi quidem lectio ibi vera eſt, pro *initio* legendum *cum Pactio*, vel P. *Iccio* cenſuit Oudendorpius; atque *Icciam gentem* apud Romanos, ex Grutero p. 420. n. 4. et ex nummis antiquis aliam gentem *Itiam* probari poſſe monuit.

40 *Detractaſſet*] Ita, ſuffragantibus pluribus MSS. pro *detrectaſſet* cum hic, tum §. XXV. §. XLIII. et L. I. c. I. §. 9. reuocauit Oudendorpius.

41 *Vt notarentur*] In quibusdam Codd. MSS. male poſt *patribus* demum diſtinguitur: *vt notarentur a patribus.* Non enim patres; ſed cenſores morum regimen habuiſſe aliosque notaſſe conſtat; qui tandem ſub Caeſaribus Auguſtum ſecutis plane deſierunt creari. v. Suetonium in Auguſt. c. XXVII. et ad eum Torrentium.

42 *Aera procederent*] Liuius L. XXV. c. 5. *Iis perinde ſtipendia procederent.* L. XXVII. c. II. *Ne praeterita ſtipendia procederent iis.* Quae explicat ſummus Gronouius ad L. V. c. 48. *Quum ſtationes procederent.* Porro male vulgo ſeqq. *Tribuni* etc. hinc diuellunt, et nouum faciunt exemplum, quum per ſe pateat ad idem factum pertinere: quare auctoribus MSS. et Edd. VV. vt et Saresberienſi, haec eidem exemplo annexui et continuaui. Oudend.

43 *Teſtamentum facere*] *Teſtamenta in caſtris* cum facerent milites, ſummi timoris vltimaeque deſperationis id ſignum habebatur. Qua re Florus L. III. c. X. §. 12. *Itaque tantus nouae gentis terror in caſtris, vt teſtamenta paſſim etiam in principiis ſcriberentur.* Et Caeſar L. I. B. G. c. 39. *Hi neque vul-*

misit: minatus, non nisi post victoriam receptum iri.

XXIV. P. Valerio Cos. Senatus praecepit exercitum ad Sirim victum ducere [44] Firmum, ibique castra munire, et hiemem sub tentoriis exigere. [45] Senatus, quum turpiter fugati eius milites essent, decreuit, ne auxilia [46] ei submitterentur, nisi captis et victis hostibus.

XXV. Eis legionibus, quae Punico bello militiam detractauerant, in Siciliam velut relegatis per septem annos [47] hordeum ex Senatusconsulto datum est.

vultum fingere, neque interdum lacrimas tenere poterant: abditi in tabernaculis aut suum fatum querebantur, aut cum familiaribus suis commune periculum miserabantur. Vulgo totis castris testamenta obsignabantur.

44 *Firmum*] Varia in antiquis libris est huius loci scriptura: aliis *Seruuium*; aliis *Sutrinum*; aliis denique *Sitrinum* et *Serinum* praeferentibus; vt fere coniectari possit, *Sutrium*, quae vrbs prius Tuscorum, postea Romanorum, ac veluti claustra Etruriae erant, antiquam fuisse scripturam, vbi exercitus sub pellibus hiemare iubebatur. Quamquam enim *Heraclea* et *Siris* a *Sutrio* longo interuallo distabant: Mars tamen ἀλλοπρόσαλλος est, nec caussas, cur id fecerint Romani, Oudendorpii iudicio iam exploratas possumus habere. Cod. Palatin. diserte habet *Firmum*, cui adeo nos quoque in textu locum dedimus. Caeterum Romani primum in decennii illa *Veiorum* obsidione, niuibus pruinisque obruti, sub pellibus hiemare coeperunt, teste Liuio L. V. c. 2. Floro L. I. c. 12.

45 *Senatus*] Voss. 1 Reg. et optimus Hill. haec iungunt praecedentibus, sine paragrapho nouo. Tennul. MSS. quoque mei nonnulli, vt fieri debet: sine dubio enim agitur de eodem exercitu. Bis enim fugatos Valerii milites esse, nusquam traditur. De eius autem exercitu hic agi patet ex I. Saresber. L. VI. c. 12. *Senatus, cum milites P. Valerii fugati essent, decreuit, ne ei auxilia submitterentur.* Immo MS. Petrensis totum hunc locum ita concipit, *duci ad Sirinum, ibique biemem sub tentoriis agere, et ne auxilia eis submitterentur legionibus.* Ceteris omissis. Vnde patet, auctorem nostrum hic vehementer luxatum, et misere per librarios tractatum esse, quod clarius videbimus statim. Forsan fuerit *exigere, et quia t.* Quidquid sit, *Senatus* abundat. Saltem cum praecedentibus nos iunximus, vt contra statim, *captis eius legionibus*, disiungenda esse docebimus. Oudendorpius.

46 *Ei submitterentur*] Pro *ei* Stewechius reponendum censuit *eis*. Cum vero plures Codd. tueantur vulgaram *ei*, scil. *Valerio eiusque exercitui*, non est, quod eam sollicitemus.

47 *Hordeum*] Inter alia *ignominiarum* genera, quibus milites, in antiqua iam militia, *si vel loco cessissent*; vel *signa amisissent*; vel denique *tirones in armaturae pro-*

XXVI. L. Piſo C. Titium, [48] Praefectum cohortis, quod loco fugitiuis ceſſerat, [49] cinctu togae praeciſo, ſoluta tunica, nudis pedibus in principiis quotidie ſtare, dum vigiles venirent, iuſſit, conuiuiisque et balneo abſtinere.

XXVII. Sulla cohortem et centuriones, quorum ſtationem hoſtis perruperat, [50] galeatos et diſcinctos perſtare in principiis iuſſit.

XXVIII.

proluſione parum profeciſſent, notabantur, illud inprimis fuit, quod pro tritico *bordeum* acceperunt. Sic Vegetius L. I. c. 13. *Ita autem ſeuere apud maiores exercitii diſciplina ſeruata eſt, vt et doctores armorum duplis remunerarentur annonis, et milites, qui parum in illa proluſione profecerant, pro frumento bordeum cogerentur accipere*, etc. Teſtem Vegetio adiungimus Polybium L. VI. c. 36. *τοῖς δὲ λοιποῖς τὸ μέτρημα, κριθὰς δοὺς ἀντὶ πυρῶν, ἔξω κελεύει τοῦ χάρακος καὶ τῆς ἀσφαλείας ποιεῖσθαι τὴν παρεμβολήν.* Vt exempla in antiquis annalium monumentis obuia non cumulemus; Frontinus certe grauiſſimam paullo ante laudati Polybii diſciplinae Romanae deſcriptionem, Antonii exemplo illuſtrare valet §. XXXVII.

48 *Praefectum cohortis*] *Equitum praefectum* vocat eum Valerius Maximus: ſi vero *cohortis praefectus* fuerit, tum *pedicum* debuiſſet dicere Valerius. Verum praeterquam quod non ita loqui ſoleant, ſed tum *cohortis praefectos* vocent eos idonei auctores, expreſſe addit idem, equos ſociis illis equitibus ademtos eſſe, et in funditorum alas eos transſcriptos. Errauerit ergo noſter, vel alium ſcriptorem ſecutus ſit oportet. Nam vix perſuadere mihi poſſum, vt putem, cohortem *καταχρηστικῶς* dictam ab ipſo de equitibus: etſi ipſius tempore iam fuerint *cohortes equeſtres* ſeu *equitatae*. De quibus agit eruditiſſime Nobil. Schelius ad Hygin. p. 85. etc. quasque intelligit Valeſius in Ammiano Marcell. L. XXIV. c. 5. *Reliquos ea cohorte ad pedeſtrem compegit militiam*. Hae cohortes ſub imperatoribus inductae conſtabant peditibus equitibusque commixtis. Oudendorpius.

49 *Cinctu*] Quamquam plerique Codd. MSS. pertinaci conſenſu exhibent *cincto* a *cinctum*: in Arceriano tamen et Petrenſi rectius omnino eſt *cinctu*, quod probatae Latinitatis eſt, cum illud *cinctum* ſequiori aetati et gloſſis tantum debeatur. Inter varias vero ignominias, quibus pro delictorum genere milites adficiebantur, haec quoque fuit, vt *ſine cinctu*, *tunicati* et *diſcalceati* in principiis ſtare cogerentur. Sic Auguſtus, qui ad antiquum morem nonnulla reuocauit et diſciplinam ſeueriſſime rexit, delicti reos *per totum diem ſtare iuſſit ante Praetorium; interdum tunicatos, diſcinctosque; nonnunquam cum decempedis, vel ceſpitem portantes*. Suetonius in Auguſt. c. XXIV. vbi, quae attulit eruditiſſimus Caſaubonus, conſuli poſſunt.

50 *Galeatos*] *Galleatos* MSS. quidam. Stewechius vlcus latere in hoc verbo, legendumque *diſcalceatos* et *diſcinctos* cenſuit. Tennulius maluit *exgaleatos*, i. e. galea priuatos: quemadmodum apud Pe-

XXVIII. Domitius Corbulo in Armenia, Aemilio Rufo, Praefecto equitum, quia hostibus cesserat, et parum instructam armis alam habebat, vestimenta per lictorem scidit, eidemque, vt erat foedato habitu, perstare in principiis, donec mitterentur, imperauit.

XXIX. Atilius Regulus, quum ex Samnio in [51] Luceriam transgrederetur, exercitusque eius obuiis hostibus auersus esset, obposita cohorte, iussit fugientes pro [52] desertoribus caedi.

 XXX.

Petronium c. XXXIX. *frons expudorata*; apud Suetonium in Vitell. c. II. *excalceare*; aliaque ex coniunctione facta eiusmodi vocabula, *exanimare*, *expectorare* apud Ciceronem de Orator. L. III. c. 38. *Tum pauor sapientiam omnem mihi exanimato expectorat.* Quae cum non satisfacerent Oudendorpio, *gladio stricto* reponi posse arbitrabatur. Id vero inter ignominiosas poenas fuisse docet Liuius L. XXVII. c. 13. *Cohortibus, quae signa amiserant, hordeum dari iussis: centurionesque manipulorum, quorum signa amissa fuerant, districtis gladiis discinctos destituit.* Hic ipse vero locus mihi paene persuadet, a vulgata, quam omnes Codd. MSS. tuentur, non esse recedendum. Sicuti nimirum *districtus gladius* in manu; ita *galea* quoque in imbellis et discincti militis capite, ignominiam et contemtum mirum quantum auxisse videtur. Quid enim ridiculum magis, quam in Principiis, maxima semper fortissimorum militum frequentia celebratis, *galeatam* eiusmodi *mulierem*, ceu alterum Achillem, *galea* et *ense districto* armatum; simul vero *nudis pedibus discinctumque* intueri? Diuerso autem hoc et contrario prorsus habitu et specie, qua nec pes, nec caput vni reddita formae conspiciebantur, prisci illi militaris disciplinae statores innuere voluisse videntur, *armatis et dimicantibus haud dubiam victoriam esse: qui nudus atque inermis hostem maneat, ei aut mortem, aut seruitutem patiendam*, vt Liuius habet L. X. c. 35.

51 *Luceriam*] Recte miratur Oudendorpius, interpretes in historia tam clara non vidisse, praeeuntibus MSS, scribendum esse *Luceriam.* Aperte sane hanc scripturam probat Liuius L. X. c. 35. *Alteri consuli M. Atilio nequaquam tam facile bellum fuit. Quum ad Luceriam duceret legiones, quam oppugnari ab Samnitibus audierat, ad finem Lucerinum ei hostis obuius fuit.*

52 *Desertoribus*] Omnino hic pro *defectoribus*, vti in impressis vulgo legitur, reuocandum est *desertoribus*, addicentibus Codd. MSS. Non enim *defectores* illi, qui hosti terga vertunt, fugaque salutem petunt; sed *desertores*, λειποτάκται, *qui ordines et signa deserunt*, a scriptoribus dici solebant. Voces autem *deserere* et *desertor*, ἐλλιπῶς saepius occurrere, monuimus ad L. IV. c. 1. §. 20.

XXX. Cotta Cos. in Sicilia, in Valerium, [53] nobilem Tribunum militum ex gente Valeria, virgis animaduertit.

XXXI. Idem P. Aurelium, ſanguine ſibi iunctum, quem obſidioni [54] Lipararum ipſe, ad auſpicia repetenda Meſſanam tranſiturus, praefecerat, quum [55] agger incenſus, et capta caſtra eſſent, virgis caeſum in nu-

53 *Nobilem*] Perperam vulgo edunt *in Valerium Nobilem:* quaſi ille Valerius cognomento dictus fuerit *Nobilis*. Non ſane. Valerius ille erat Tribunus nobilis, quia ex gente nobili Valeria erat. Diſtinxi itaque poſt *Valerium*, et nobilem minuſcula littera exarari iuſſi. Paullo aote in Leid. ſec. *P. Cotta* etiam male ſcribitur. Fuit enim *Caius*, et idem quem habuimus §. 21. Adi, ſi plura vis, Pighium Aonal. T. II. p. 44. Oudendorpius.

54 *Lipararum*] *Lipara* vna erat Aeoliarum inſularum, eaque maxima, vnde reliquae omnes *Lipareae* appellatae fuerunt. Diſputarunt viri eruditi, an *Liparae* quoque multitudinis nomero pro *Lipara*, vna nimirum inſula, dicatur. Id vero diſerte probat Stephanus in v. Λιπάρα. Λιπάρα μεγίϛη τῶν ἑπτὰ τῶν Αἰόλȣ. — λέγεται καὶ πληθυντικῶς. Sic apud Florum L. II. c. 2. §. 9. *Victor ergo apud Liparas*. vbi vid. doctiſſimum Duckerum. Quod vero recte monet Oudendorp. ſaepe incertum eſt, vtrum ſcriptores per *Liparas* intelligant omnes illas inſulas, an vero vnam illam, cui proprie nomen *Lipara* competit.

55 *Agger incenſus*] Mirum omnino, eruditiſſimos viros in hoc loco explicando, nodum, vt aiunt, in ſcirpo quaeſiuiſſe, veramque ſcripturam *incenſus* in *inceſſus* vel *inſcenſus* mutare voluiſſe: quorum illud Scriuerio; hoc vero Lipſio praeter rationem placuit. At enim vero recte ſe habere vulgatam, praeter Codd. MSS. conſenſum, (niſi quod librariorum incuria in quibusdam corrupte legitur *ager*) ipſa aggeris ſtructura et conditio nobis penitus poteſt perſuadere; vtpote qui ex terra lignisque fuit exſtructus, teſte Vegetio L. IV. c. 15. *Agger autem ex terra lignisque extollitur contra murum, de quo tela iactantur*. Lucanus L. III. v. 395.

Procumbunt nemora, et ſpoliantur robore ſiluae.
Vt, quum terra leuis mediam virgultaque molem
Suſpendant, ſtructa laterum compage ligatam
Artet humum, preſſus ne cedat turribus agger.

Quae cum ita ſint, *agger* non ſolum ſua materia incendio fuit obnoxius; ſed saepius eum fuiſſe incenſum, veterum ſcriptorum monomenta dubitare oon ſinunt. Caeſar de Bell. Ciu. L. II. c. 14. *Secundo magnoque vento ignem operibus inferunt. Hunc ſic diſtulit ventus, vti vno tempore agger, plutei, teſtudo, turris, tormentaque flammam conciperent, et prius haec omnia conſumerentur, quam quemadmodum accidiſſet, animaduerti poſſet.* Id. L. VII. de Bell. Gall. c. 24. *Paullo ante III vigiliam eſt animaduerſum, fumare aggerem, quem cuniculo hoſtes ſuccenderant.* Frontinus huius cap. §. XXXVII. *Quum agger ab hoſtibus incenſus eſſet.* Liuius L. XXXVI. c. 23. *Ar-*

numerum gregalium peditum referri, et muneribus fungi iussit.

XXXII. Fuluius Flaccus Censor Fuluium fratrem suum, quia legionem, in qua Tribunus militum erat, iniussu Consulis [56] dimiserat, [57] Senatu mouit.

XXXIII. M. Cato ab hostili litore, in quo per aliquot dies manserat, quum [58] ter dato profectionis signo, classem soluisset, et relictus e militibus quidam [59] a terra voce

Armati frequentes quidem ignes etiam, quos aggeribus iniicerent, ferebant.

56 *Dimiserat*] Sic lege e MSS. et §. 37. Inepte in sec. Scriuerii, Keuchenii, Tennulii aliisque editionibus legas *dimiserunt*. Senatu est motus Fuluius a fratre, quia missionem dederat legioni, eamque dissoluerat, quod Latinis semper *dimittere* dici notissimum est. Valerius Maximus L. II. c. 7. §. 5. *Q. Fuluius Flaccus Censor, Fuluium fratrem consortem, legionem, in qua tribunus militum erat, iniussu consulis domum dimittere ausum, Senatu mouit.* vti pro *cohortem legionis* bene emendauit Perizonius. Oudend.

57 *Senatu mouit*] Minus recte in Scriueriana, aliisque editionibus, addita praepositione, *a Senatu mouit*, quam rectius cum Tennulio expunxit Oudendorpius. Sic Suetonius in Domit. c. VI. *Quaestorium virum — mouit Senatu*, vbi Ciceronem aliosque ita locutos probe monet Burmannus, allatisque exemplis probat. Velleius Pat. L. I. c. 10. *Cn. Fuluius Senatu motus est.*

58 *Ter dato*] *Tardato* exaratur in MSS. meis vndecim, et Ed. Paris. Ex quorum consensu suspicatus dudum sum, reliquisse Frontinum *ter dato*. Haec enim dati signi triplex repetitio vehementius adgrauat militis peccatum, quod vel semel dato signo, non autem tardato, puniendum erat. Morem autem fuisse in re nauali, ter signum dari, cum soluerent naues, docet nos huc alludens Valerius Flaccus L. I. v. 351.

Et iam finis erat: Zephyrumque ratemque morantes
Soluerat amplexus tristi tuba tertia signo.

Immo de veritate coniecturae meae nunc amplius non dubito. Nam perspicue *ter dato* scriptum deinceps reperi in Leidensi sec. Codice. Oudendorpius.

59 *A terra*] In vulgatis, contra Codd. MSS. quos quidem adhuc consulere licuit, auctoritatem, *alta voce* legitur, de qua locutione disceptant Grammatici, et adhuc sub iudice lis est. Qua re rectius, suffragantibus Gudiano, Gruteriano, Vossiano, Leidensi pr. et Cantabrigiensibus tribus, *a terra* reposuit Oudendorpius: quem adeo vt sequeremur, temperare nobis non potuimus. Sic Virgilius L. VI. Aen. v. 357.

Prospexi Italiam summa sublimis ab vnda.

Lucanus L. IX. v. 121.

Adspexit patrios comites a littore Magnus.

Sicuti vero, quod ad sensum attinet, parum refert, a legatur, an e; ita easdem particulas in Codd. antiquis saepe inuicem commutatas reperiri, Burmannus ad Lucani L. V. v. 640. obseruauit. *Gestum* huius militis forsan exprimere potuit illa

voce et geſtu expoſtularet, vti tolleretur, circumacta ad litus vniuerſa claſſe, comprehenſum ſupplicio adfici iuſſit, et quem occiſuri per ignominiam hoſtes fuerant, exemplo potius inpendit.

XXXIV. Appius Claudius ex his, qui loco ceſſerant, decimum quemque militem, ſorte ductum, fuſti percuſſit.

XXXV. Fabius Rullus Cos. ex duabus legionibus, quae loco ceſſerant, [60] vicenos ſorte ductos in conſpectu militum ſecuri percuſſit.

XXXVI. [61] Aquillius ternos ex centuriis, quorum ſtatio ab hoſte perrupta erat, ſecuri percuſſit.

XXXVII. M. Antonius, quum [62] agger ab hoſtibus incenſus eſſet, ex his, qui in opere fuerant, duarum cohortium militem decimauit, et in ſingulos ex his centuriones animaduertit, legatum cum ignominia dimiſit, reliquis ex legione hordeum dari iuſſit.

XXXVIII. In legionem, quae Rhegium oppidum [63] iuſſu ducis diruerat, animaduerſum eſt, ita vt quatuor

ille Achaemenides apud Virgilium L. III. Aen. 592.

Procedit, ſupplexque manus ad littora tendit:

et v. 601.

Tollite me Teucri, quascumque abducite terras.

60 *Vicenos*] Hunc numerum (qui in vulgatis deſideratur) ſeruarunt nobis I. Saresber. L. VI. c. 12. et Petrus Bleſenſis Epiſtol. LXIX. e Frontino citantes *vicenos ſorte ductos*. Quare ſine haeſitatione eam vocem addidi. Monuit et hoc Weſſelingius L. II. Obſ. c. 8. Oudend.

61 *Aquillius*] Ita pro vulgata *Aquirius* primus reponendum ſuaſit Scriuerius. Is autem ſecundum Epit. Liuii L. LXIX. *proconſul in Sicilia bellum ſeruile excitatum confecit.* de quo plura habent Vrſinus in Num. Conſ. et Pighius T. III. Annal. p. 177. Cicero L. V. in Verr. c. 1. 2. quos Oudendorpius ad hunc locum laudat.

62 *Agger incenſus*] Alii Codd. *inceſſus*, alii *inſcenſus* corrupte denuo exhibent. vid. not. ad §. XXXI. de *hordeo* militibus ignauis pro tritico dato nos ad §. XXV.

63 *Iuſſu ducis*] Hic dux fuit *Decius Iubellius*, de quo ita habet Liuius L. XXVIII. c. 28. *Rhegium quondam in praeſidium miſſa legio, interfectis per ſcelus principibus ciuitatis, vrbem opulentam per decem annos tenuit: propter quod facinus tota legio, millia hominum quatuor, in foro Romano ſecuri percuſſi ſunt. Sedilli — Decium Iubellium ſecuti ſunt.* Ex quibus poſtremis verbis patet, non *iniuſſu*, vt in vulgatis legitur; ſed *iuſſu*, conſentientibus pluribus Codd.

tuor millia, tradita custodiae, necarentur. Praeterea Senatusconsulto cautum est, ne quem ex eis [64] sepelire vel lugere fas esset.

XXXIX. L. Papirius Cursor, Dictator, Fabium [65] Rullum, Magistrum equitum, quod aduersus [66] dictum eius, quamuis prospere, pugnauerat, virgis poposcit caesum, securi percussurus: nec contentioni aut precibus militum concessit animaduersionem, eumque profugientem Romam persecutus est: nec ibi quidem [67] remissionem supplicii prius meruit, quam ad

Codd. MSS. ipsaque rei historia, veram esse scripturam. Polybius vero L. I. c. 7. plures in ipsa vrbis obsidione; *trecentos* vero tantum *viuos* captos necatosque fuisse memorat: *ζωγρείᾳ δ᾽ ἐκυρίευσαν πλειόνων ἢ τριακοσίων.*

64 *Sepelire*] Non Graeci solum, sed Romani quoque summam sepulturae curam habuerunt; vti ex antiquis monumentis abunde constat. Quare etiam Fecialis in sollemni illa iurisiurandi formula, per *Iouem lapidem* facta, *τῶν ταφῶν* fecit mentionem apud Polybium T. I. p. 251. Et Homerus Iliad. A. v. 4. inter alia mala, quae Achillis ira Graecorum exercitui attulit, etiam hoc addit: *ἑλώρια τεῦχε κύνεσσιν.* Hinc Strategicorum praeceptum, *περὶ τοῦ θάπτειν τοὺς ἐν πολέμῳ ἀναιρουμένους*, de quo Onosander c. XXXVI. In hoc Senatusconsulto Romani Graecos imitati fuerunt, qui patriae proditores sepultura indignos iudicarunt: vt Themistoclis exemplum probat, *cuius ossa clam in Attica fuisse sepulta, quoniam legibus non concederetur, quod proditionis esset damnatus*, Nepos testatur in eiusdem vita c. X. §. 5. Quod ad ipsam vocis scripturam attinet, differunt Codices MSS. aliis *sepelire*; aliis *sepeliri* praeferentibus. vtram harum lectionum eligas, perinde est; nec disceptatione opus viderur.

65 *Rullum*] v. not. ad L. II. c. IV. §. 2. A Dione quidem Cocceiano in excerpt. Peiresc. p. 585. diserte Ῥοῦλλος appellatur.

66 *Dictum*] In diuersa discedunt Codd. MSS. quorum alii *dictum*; alii *edictum* habent. Quamquam vtraque lectio optimorum scriptorum auctoritate se tueri potest: facile tamen mihi persuadeo, *edictum* librariorum diligentiae deberi. Sic Liuius L. II. c. 18. *Creato dictatore primum Romae, postquam praeferri secures viderunt, magnus plebem metus incessit, vt intentiores essent ad dicto parendum.* Hinc frequens illa apud optimos quosque scriptores, *dicto audientem esse imperatori.* Sic Nepos in Lysandr. c. I. §. 2. *Qui quod dicto audientes imperatoribus suis non erant:* quam locutionem illustrarunt P. Manutius ad Cicer. ad Famil. L. VIII. ep. 4. et Gronouius ad Liuii L. XXIX. c. 20. quos, praeter alios, ibi laudat Staueren.

67 *Remissionem supplicii meruit*] In vulgatis quibusdam legitur, *nec ibi quidem remisso prius supplicii metu.* Quae scriptura quamquam ferri possit: Oudendorpius tamen plurium Codd. fidem secutus, qui ha-

ad genua eius et Fabius cum patre prouolueretur, et pariter Senatus ac populus rogarent.

XL. Manlius, cui Imperioso [68] postea cognomen fuit, filium, quod is contra edictum patris cum hoste pugnauerat, quamuis victorem, in conspectu exercitus virgis caesum securi percussit.

XLI. Manlius filius, exercitu pro se aduersus patrem seditionem parante, negauit tanti esse quemquam, vt propter illum disciplina corrumperetur: et obtinuit, vt ipsum puniri paterentur.

XLII. [69] Q. Fabius Maximus transfugarum dexteras praecidit.

XLIII. [70] C. Curio Cos. bello Dardanico, circa Dyrrhachium, quum ex quinque legionibus vna, seditione facta, militiam detractasset, secuturamque se temeritatem ducis in expeditionem asperam et [71] insidiosam

habent *remissionem meruit*, totum hunc locum ita refinxit: *nec ibi quidem remissionem supplicii prius meruit*, sc. Fabius. quae Nominatiui omissio ansam loci corrumpendi dedisse ei videbatur, vt factum est saepissime. v. quae congessit ad Lucani L. II. 218. et L. VI. 728. De eadem re Liuius L. VIII. c. 35. *Liberauit onere consensus populi Romani ad preces et obtestationem versus, vt sibi poenam magistri equitum dictator remitteret.*

68 *Postea*] Sic et alii scriptores; quasi T. Manlius *Imperiosi* nomen ex hoc facto acceperit, vti inde etiam dicta *Manliana imperia.* Verum recte docuit cel. Perizonius, huius Titi patrem *Lucium Manlium Imperiosi* cognomen iam habuisse; adeoque eius filio, quasi hereditarium adhaesisse, vt contigit fere omnibus cognominibus. Adi eum Animadu. histor. c. VIII. p. 350. et seqq. Oudend.

69 *Q. Fabius Maximus*] Seruilianus scilicet, in Lusitania Procos. Adi Pigh. Ann. T. II. p. 482. et notas ad Valer. Max. L. II. 7. 11. Orosium L. VI. c. 4. Praenomen hic deest in Palat. et Leidensi sec. *dextras* MSS. et Edd. nonnullae cum Saresb. Totum exemplum abest a Mediceo pr. Oudend.

70 *C. Curio*] Non *Consul*, sed *Proconsul* Curio bellum Dardanicum gessit, vt probat Epitom. Liuii XCV. *C. Curio Proconsul Dardanos in Thracia domuit.* Et Sallustius Histor. Fragm. p. m. 31. *Eodem anno in Macedonia C. Curio principio veris cum exercitu profectus in Dardaniam, quibus potuit modis, dictas pecunias exegit.*

71 *Insidiosam*] *Seditiosam* in MS. inuenit Scriuerius, quod etiam habet Vaticanus. *Insidiosam* autem recte se tueri, non est, quod dubitemus. *Insidiosam expeditionem* dicit auctor, ob siluarum, quibus

diosam negasset, quatuor legiones eduxit armatas, et [72] consistere ordinibus, detectis armis velut in acie, iussit. Post haec seditiosam legionem inermem procedere, discinctamque, in conspectu armati exercitus, stramenta coegit secare; postero autem die similiter fossam discinctos milites facere. Nullisque precibus legionis impetrari ab eo potuit, ne signa eius submitteret, nomenque aboleret, milites autem in supplementum ceterarum legionum distribueret.

XLIV. [73] Q. Fuluio, Appio Claudio Coss, milites ex pugna Cannensi in Siciliam ab Senatu relegati postulaue-

bus illae regiones abundabant, frequentiam, quae ad insidias hosti struendas inprimis aptae fuerunt. Sic exercitus Romanus in *saltu Caudio per insidias ita clausus fuit, vt non posset euadere.* Florus L. I. c. 16. §. 10. Et *Ciminius saltus tanto terrori erat, vt Senatus Consuli denunclaret, ne tantum periculi ingredi auderet.* L. I. c. 17. §. 3. Immo hunc Cutionem, *cum Dacia tenus venisset, tenebras saltuum expauisse* scribit idem L. III. c. IV. §. 6. Quid imperatori δι' ὀρεινῆς καὶ δυσβάτου χώρας ἄγοντι τὸν στρατὸν obseruandum sit, docent Onosander c. VII. Leo c. IX. §. 9. 26. 46. Constantinus p. 30.

72 *Consistere 'ordinibus*] Quatuor Regii Codd. Voss. et tres Hill. habent *ordinibus*, cum in vulgatis esset, *iussit omnibus consistere.* Haec vero constructio soloeca est, et non, nisi deprauata iam Latinitate, a scriptoribus adhibita; quidquid etiam alii defendere eam conentur. Consule Gronouium ad Liuii L. XXVII. c. 24. et Burmannum ad Ouid. Metam. L. VIII. 752. ac quos illic laudat. Hic autem MSS. mei omnes, numero tredecim, et Edd. Modium et Stewechium praecedentes, habent *ordinibus*, optime. Quemque suo in ordine consistere iussit, velut in acie. *Omnibus* apparet primum in margine Ed. Hittorpianae, forsan pro varia lectione Editionis, mihi non visae. Oudend.

73 *Q. Fuluio*] In multis MSS. male est *A.* vel *Cn.* *Q. Fuluium* cum Appio Claudio tunc consulatum gessisse, Liuius testis esse potest L. XXV. c. 3. *Q. Fuluius Flaccus tertium, Appius Claudius consulatum ineunt — Consulibus bellum cum Annibale et binae legiones decretae.* Oudendorpius post *milites ex pugna Cannensi* aliquid excidisse putat, vt *reliqui* vel *cedentes*, quomodo est apud Saresber. L. VI. c. 13. Neque tamen, tacentibus omnibus, quos consulere datum est, Codd. MSS. necessarias hasce voces ad supplendum sensum existimamus. Nam *ex Cannensi pugna* hic idem est, quod *post Cannensem pugnam*: quae frequens huius Praepositionis vis est apud optimos scriptores. Sic Velleius L. II. c. 33. 1. *Ex consulatu sortitus est Asiam.* et L. II. c. 78. §. 3 *Ex consulatu obtinebat Hispaniam.* Tacitus L. III. Ann. c. 6. *Ex moerore solatia,* i. e. *post moerorem solatia.* Per *milites* adeo ex ipsa historia et Senatus Decreto

ii

lauerunt a Cos. M. Marcello, vt in proelium ducerentur. Ille Senatum consuluit: Senatus negauit, sibi placere committi his Rempublicam, quam deseruissent; Marcello tamen permisit facere, quod videretur; dum ne quis eorum munere vacaret, neue donaretur, neue quod praemium ferret, aut in Italiam reportaretur, dum Poeni in ea fuissent.

XLV. [74] M. Salinator Consularis damnatus est a populo, quod praedam non aequaliter diuiserat militibus.

XLVI. Quum ab Liguribus in proelio Q. Petillius Cos. interfectus esset, decreuit Senatus, vti ea legio, in cuius acie Cos. erat occisus, tota [75] infrequens referretur, stipendium ei annuum non daretur, [76] aeraque rescinderentur.

CAP.

ii sunt intelligendi, qui ad Cannas commilitones suos pugnantes ipsamque Rempublicam deseruerant, vt habet Liuius L. XXV. c. 7. Committi autem respublica non ducibus solum, sed militibus quoque recte dicitur, quod in praelii concursu abit res a consilio ad vires vimque pugnantium, vt Nepos ait in Thrasyb. c. I. §. 4.

74 *M. Salinator*] Hic nimirum fuit *M. Liuius Salinator*, de quo Liuius L. XXVII. c. 36. *M. Liuius erat multis ante annis ex consulatu populi iudicio damnatus.* Adi Pigh. Ann. A. V. C. 534. Oudendorpius.

75 *Infrequens referretur*] Supra n. 43. *Legionis signa submitterentur:* Legioni adimerentur signa, eius milites in supplementum aliarum legionum distribuerentur. Nam secundum Festum *infrequens appellabatur miles, qui abest, abfuitque a signis.* Cornificius ad Herennium L. IV. *Praetereo, quod militiae te infrequentem tradidisti.* Ausonius ad Paulum: *Et quia sub imperatore meo merui: procedere mibi inter frequentes stipendium iubebis. Seu aliter, aere dirutum facies.* Aere dirutus est, cuius aera rescinduntur. Festus: *Dirutum aere militem dicebant antiqui, cui stipendium, ignominiae caussa, non erat datum: quod aes diruebatur in fiscum, non in militis saeculum.* Quo Ausonius alludit dicto loco: *Vt cumulo carminis in fiscum suum redacto, redeant versus, vnde venerunt.* Varro L. II. Vita P. R. *Stipendium appellatur, quod aes militi semestre, aut annuum dabatur. Cui datum non sit propter ignominiam, aere dirutus est.* Tennul.

76 *Aeraque rescinderentur*] *A numeroque rescinderentur* Medicei et Edd. Italicae: *que* deest etiam in decem aliis meis. vnde adducor, vt credam, rectum esse: *stipendium ei non daretur, annuaque aera rescinderentur.* Porro *reciderentur* iidem MSS. omnes cum Ed. Paris. praeter Vaticanum: de quo dubito. Nihilo minus *rescinderentur* praefero. *Rescindere* est irritum facere, abolere. *Recidere* est diminuere,

CAP. II.

De effectu disciplinae.

Exemplum I.

Bruti et Caffii exercitus, memoriae proditum eft, bello ciuili, quum vna per Macedoniam iter facerent, priorque Brutus ad fluuium, in quo pontem iungi oportebat, perueniffet, Caffii tamen exercitum et in efficiendo ponte, et in tranfitu maturando praeceffiffe. Qui vigor difciplinae effecit, [1] ne folum in operibus, verum et [2] in fumma belli praeftarent Caffiani Brutianos.

II. C. Marius, quum facultatem elegendi exercitus haberet, ex duobus, qui fub Rutilio, et qui fub Metello, ac poftea fub fe ipfo meruerant, [3] Rutilianum,

minuere, abradere: adeoque per *aera reciderentur*, innueretur, aliquid tamen ftipendii praeteriti iis fuiffe conceffum. Adi. Gronouium ad Liu. L. XLIV. c. 5. et Obferu. L. II. c. 22. L. IV. c. 16. Graeu. ad Sueton. Calig. c. 44. Eft, qui legit *refignarentur*. Oudend.

1 *Ne folum*] Sic omnes ante Modium editiones habent, cum in fequentibus male particula *non* inferta confpiciatur, *ne non folum*, refragantibus omnibus Codd. MSS. *Ne* autem pro *vt non* pofitum eft, vt frequenter apud veteres fcriptores occurrit. Tacitus Annal. L. II. c. 29. *Mox libellos et auctores recitat Caefar, ita moderans, ne lenire, neue afperare crimina videretur.* Quod vero in fumma belli Caffiani a noftro Brutianis praeftitiffe dicuntur, hiftoricos a fuis partibus non habet, quod pluribus oftendit Perizonius Animadu. Hiftor. c. 2.

2 *In fumma belli*] *Summa belli* non fimpliciter notat praelia, fed omne id, in quo plurimum confiftit momentum, et vnde cardo rerum quafi vertitur. Quo fenfu faepe haec vox apud Liuium occurrit. L. XXIX. c. 4. *Summae belli molem adhuc in Sicilia effe.* L. XXXII. c. 17. *Nec eam ignominiam ad vnius modo expugnandae moram vrbis, fed ad fummam vniuerfi belli pertinere ratus, quod ex momentis paruarum plerumque rerum penderet.* L. XLIX. c. 3. *Poftquam fummam belli, ac regias omnes copias, terramque hoftilem tam e propinquo confpexerunt.* Atque fic etiam alii. Vide ad Lucan. L. V. 696. vbi quidam legunt:

Sufficit ad fummam belli.

Summam belli committere, tradere duci, frequentiffimum eft. Ceterum *et* pro *etiam* refcripfi, fide plurimorum Codicum et Ed. Parif. Oudend.

3 *Rutilianum*] Rutilianus ille exercitus certioris difciplinae a Mario habebatur, quia *Rutilius armorum tractandorum meditationem militibus tradidit, iisque vitandi et*

num, minorem quidem, quia certioris disciplinae arbitrabatur, [4] praeoptauit.

III. Domitius Corbulo, [5] duabus legionibus et paucissimis auxiliis, disciplina correcta, Parthos sustinuit.

IV. Alexander Macedo [6] quadraginta millibus hominum, iam inde a Philippo patre disciplinae adsuefactis, orbem terrarum adgressus, innumeras hostium copias vicit.

V. [7] Cyrus, bello aduersus Persas, quatuordecim millibus armatorum inmensas difficultates superauit.

VI. Epa-

et inferendi ictus subtiliorem rationem per lanistas legibus ingenerauit, auctore Valerio Max. L. II. c. 3. §. 2. Recte quidem. Nam *in omni conflictu non tam prodest multitudo, quam virtus*, iudice Vegetio L. I. c. 8.

4 *Praeoptauit*] In primis editionibus legitur *punctauit*; sed contra omnium Codd. MSS. auctoritatem, et aeui Frontiniani Latinitatem: quippe vocem istam apud nullum probatum scriptorem facile reperias. Quamquam enim *Puncturis in cute punctis milites scripti et matriculis inserti fuerunt*, teste Vegetio L. II. c. 5. hic tamen, cum de toto Rutilii exercitu agatur, conuenientius longe est illud *praeoptauit*, quod ipsi Codd. MSS. praeferunt; quoque noster vtitur c. V. §. 22. *Praeoptauerunt spectare supplicia pignorum suorum.*

5 *Duabus legionibus*] Hillensb. *cum duabus*: immo vero *tribus*, qui error videtur esse ipsius auctoris. Nam initio duae legiones Corbuloni adsignatae erant, vt docet Tacitus L. XIII. Annal. c. 8. sed deinceps adiecta est ex Germania legio cum equitibus alariis, et peditatu cohortium, teste eodem c. 35. vbi omnino vide, quam rigide disciplinam militarem, quae erat corruptissima, correxerit Cneus iste Domitius Corbulo, tunc Proconsul Neronis in Armenia. Adde Dionem Cassium L. LXII. p. 710. Ὁ γὰρ τοι Κορβύλων συςήσας τε τὰ ςρατιωτικὰ ἐσκεδασμένα καὶ ἀσκήσας ἠμελημένα, et nostrum superiore cap. §. 20. 28. Verum et iam ante in Germania legiones operum et laboris ignauas veterem ad morem reduxit. Tacitus Annal. L. XI. c. 18. Oudend.

6 *Quadraginta millibus*] Quod ad numerum militum attinet, quibus Alexander hostem petiit, tetrarumque orbem aggressus est, dissentiunt inter se veteres scriptores. Plutarchus in Alexandri vita c. XXIII. scribit, quosdam Alexandro tribuisse τρισμυρίυς πεζυς, alios τετρακισχιλίυς καὶ τρισμυρίυς.

7 *Cyrus*] Hoc exemplum, et quod §. VII. occurrit, vnum idemque a Frontini manu fuisse, cum idem imperatoris nomen, tum idem numerus militum veri simile reddunt; in sequenti forte tempore ab imperitis librariis diuisum et immutatum videatur. De numero illorum Graecorum ita scribit Xenophon, dux eorum in Exped. Cyri L. I. p. 10. Ἐγένοντο οἱ σύμ-

πάντες,

VI. Epaminondas, dux Thebanorum, quatuor millibus hominum, ex quibus quadringenti tantum equites erant, Lacedaemoniorum exercitum viginti quatuor millium peditum, equitum mille ſexcentorum vicit.

VII. A quatuordecim millibus Graecorum, qui numerus in auxiliis Cyri aduerſus Artaxerxen fuit, centum millia barbarorum proelio [8] ſuperati ſunt.

VIII. Eadem Graecorum quatuordecim millia, proelio amiſſis ducibus, reditus ſui cura vni [9] ex corpore ſuo Xenophonti Athenienſi demandata, per iniqua et ignota loca, incolumia reuerſa ſunt.

IX. Xerxes ab [10] trecentis Lacedaemoniorum ad Thermopylas vexatus, quum vix eos confeciſſet, hoc

 ſe

παντες, *ὁπλῖται μὲν μύριοι καὶ χίλιοι*, *πελτασαὶ δὲ ἀμφὶ τὺς διςχιλίυς*, cui nos merito potiſſimum credimus. Qui eos *μυρίυς* fuiſſe tradunt ſcriptores, quos inter Polyaenus L. I. c. 49. §. 1. *τῶν ὁπλιτῶν* rationem potiſſimum habuiſſe videntur.

8 *Superati ſunt*] *Praelio* deeſt in vnico Mediceo pr. ſed *ſuperati* exhibent Mediceus vterque, Petrenſis, et Edd. Rom. ac Bonon. Eleganter et vere. Liuius L. XXVII. c. 16. *Millia triginta ſeruilium capitum dicuntur capti.* L. XXX. c. 18. *Duo millia et pars maxima ea legione XII amiſſi.* L. XXVIII. c. 18. *Millia hominum quatuor in foro Romano ſecuri percuſſi ſunt.* Edd. quaedam aliae *percuſſa.* L. XLIV. c. 42. *Vagi e fuga V millia hominum capta.* Supra L. II. 3, 21. in nonnullis *quinque millia deſiderati ſunt.* Infra L. IV. c. 7. §. 23. *Quatuor millia, qui ſegnius pugnauerant.* Plura ſiquis deſiderat, adeat Gronouium ad Liuii L. XXXVII. 39. *duo millia relicti ſunt.* et notas ad Curtii L. IV. 4. 16. *duo millia crucibus adfixi.* itemque Sanctii Mineru. p. 716. aliosque Grammaticos. Oudendorpius. Eſt nimirum in eiusmodi dicendi ratione, illa frequens optimis ſcriptoribus Syntheſis, quae rem potius, quam Grammaticam verborum ſtructuram reſpicit: qualis etiam in illis apud Matth. c. XXVIII. 19. v. Vigerum p. 47. et ad eum cl. Hoogeveen.

9 *Ex corpore ſuo*] i. e. *numero. Corpus* apud ſcriptores ſaepius pro *numero* poni, ſatis notum eſt. Varia exempla vel ſolus Iuſtinus ſuppeditare poteſt. L. XIV. c. 11. *Vnum ex corpore ſuo eſſe velint.* L. VI. c. 6. *Vnumque corpus equitum pedeſtriumque copiarum inuicti exercitus fecit.*

10 *Trecentis*] Illi nimirum *trecenti* ſoli Spartani fuerunt, qui ex quatuor millibus Graecorum, qui anguſtias Thermopylarum cum rege Leonida occuparunt, remanſerunt. Iuſtinus L. II. c. 11. *Trecentos* fuiſſe ſcribunt Cicero de Finib. L. II. c. 30. Aelianus V. H. L. III. c. 25. aliique. *Quingentos* ponit Diodorus Sicul. L. XI. c.

ſe deceptum aiebat, quod multos quidem homines haberet, [11] viros autem, diſciplinae tenaces, nullos.

CAP. III.

De continentia.

Exemplum I.

M. [1] Catonem vino eodem, quo remiges, contentum fuiſſe, traditur.

II. Fa-

c. 2. *Sexcentos* habet Iuſtinus l. c. Ex quo diſſenſu patet, quam incerta ſint, quae de certo numero in eiusmodi rebus tradunt ſcriptores.

11 *Viros*] Cl. Weſſelingius *τὰ diſciplinae tenaces* delere, ſi vel vnus addiceret codex, mallet. Certe acutior meliorque eſſet oratio; eoque ſenſu *viros*, pro *fortes homines*, ἄνδρείους, ſaepiſſime ſumi, notiſſimum eſt. At nunc, cum omnes id ſeruent MSS. iuui locum diſtinctionibus, quae vulgo aberant, *viros autem*, *diſciplinae tenaces*, *nullos*. vt duo dixerit Xerxes, nempe nec ſe fortes, nec exercitatos, et ad nutum imperatoris obedientes habere viros. Alioquin et ego inducere velim. Oudendorpius. Hinc ſecundum Ciceronem de Off. L. I. c. 18. in probris maxime in promtu fuit:

Vos etenim iuuenes animum geritis muliebrem;
Illa virago viri.

Hinc *vir* apud Romanos, aeque vt ἀνὴρ apud Graecos, *heroa* ſignificat, rebus praeclare geſtis ſuaque virtute inſignem. Sic Virgilius L. I. Aen. v. I.

Arma virumque cano.

Et Homerus Odyſſ. L. I. I.

Ἄνδρα μοι ἔννεπε Μοῦσα πολύτροπον.

De imperatoribus Graecis et Romanis Nepos in Hannib. c. XIII. §. 4. *Quo facilius, collatis vtrorumque factis, qui viri praeferendi ſint, poſſit indicari.*

1 *Catonem*] Cod. Leid. ſec. habet *Cato contentus*, quae lectio melior omnino vulgata eſt, et ad adcuratiorem Latinitatem propius accedit. Nec vero ideo a recepta ſcriptura diſcedendum eſſe exiſtimamus, quae Graecorum dicendi rationem exprimit. Sic noſter L. IV. c. III. §. 9. *Aemilianum Scipionem traditur — accepto pane veſci ſolitum.* Et apud Nepotem in Pauſan. c. V. *Dicitur eo tempore matrem Pauſaniae vixiſſe.* Tacitus L. IV. Hiſtor. c. 52. *Titum, antequam digrederetur, multo apud patrem ſermone oraſſe dicebatur.* L. I. c. 50. *vt tantum ſuperioris Germaniae exercitum deſciuiſſe crederetur.* Eadem de Catone habet Valerius Max. L. IV. c. 3. §. 11. *Si quis hoc ſaeculo vir illuſtris pellibus hoedinis pro ſtragulis vtatur, tribusque ſeruis contentus Hiſpaniam regat, et quingentorum aſſium ſumtu transmarinam prouinciam petat, eodem cibo eodemque vino, quo nautae, contentus ſit, nonne mirabilis exiſtimetur? Atqui iſta patientiſſime ſuperior Cato tolerauit.* *Vappa* autem vtplurimum ſe proluerunt nautae et remiges, vt Horatius canit. L. I. Serm. 5. v. 16.

Multa prolutus vappa nauta.

II. Fabricius, quum [2] Cineas legatus Epirotarum grande pondus auri [3] dono ei daret, non accepto eo, dixit, Malle se habentibus id imperare, quam habere.

III. Atilius Regulus, quum summis rebus praefuisset, adeo pauper fuit, vt se, coniugem liberosque toleraret agello, qui colebatur per vnum villicum. Cuius audita morte, scripsit Senatui de successore: destitutis rebus obitu serui necessariam esse praesentiam suam.

IV. [4] Cn. Scipio post res prospere in Hispania gestas, in summa paupertate decessit, ne ea quidem relicta pecunia, quae sufficeret in dotem filiarum: quas ob inopiam [5] publice dotauit Senatus.

V. Idem praestiterunt Athenienses filiis Aristidis, post amplissimarum rerum administrationem, in maxima paupertate defuncti.

 VI. Epa-

2 *Cineas*] Ita rectius ex melioribus libris scribendum pro *Cyneas*, olim censuit Graeuius, cuius sententiae etiam Graecorum scriptura Κινέας fauet. v. Polyaenus L. II. c. 32. Verum enim a κυνέη suam habeat originem, pro certo dici non potest.

3 *Dono*] Deest in Palat. Mox pro *non accepto eo* Medicei *si accepto ei esset*. dein *aurum imp. id.* Leid. sec. τὸ χρυσίον ἔχειν in hoc responso Plutarchus, qui, vt ceteri, Curio tribuit in Apophthegm. p. 194. et Aurelius Victor c. 33. Contra *id* deest in Palatino et Medic. sec. Forsan rectius. *Habere* sine casu notat *diuitem esse*. Saepe *amor habendi*. Tritum illud, *vnde habeas, quaerit nemo*. Sed adi cl. Burmannum ad Phaedr. Prol. L. III. 21.

Curamque habendi penitus corde eraserim.

Oudendorpius.

4 *Cn. Scipio*] Inepte apud Saresber. et hic in Edd. quibusdam C. scribitur. Sed et errat cum Seneca, vel non distincte satis rem narrat auctor. Non *filias*, sed *filiam* dotauit Senatus: non *post res in Hispania gestas*, eiusque mortem; sed dum illas gerebat Cn. Scipio, vt docent Zonaras et Valerius Max. L. IV. c. 4. §. 10. Consule Dempsterum in Paralip. ad Rosini L. VII. Antiqu. c. 31. Cel. Perizonium de lege Voconia p. 137. et in Obseruat. Histor. p. 80. Apuleium in Apolog. p. 319. edit. Colu. Ceterum vulgo contra MSS. edebatur *gestas in Hispania*. Oudendorpius.

5 *Publice dotauit*] i. e. *publicis et de communi aerario datis dotibus collocauit*, vt habet Nepos in Aristid. c. III. §. 3. Quod nimirum hoc loco Frontinus de Scipionis filiabus (l. potius *filia*) refert: idem de filiabus Aristidis Nepos l. c. et sequenti proxime exemplo noster memorant.

VI. Epaminondas, dux Thebanorum, tantae abſtinentiae fuit, vt in ſupellectili eius [6] praeter ahenum et vnicum veru nihil inueniretur.

VII. Hannibal [7] ſurgere [8] de nocte ſolitus, ante noctem non requieſcebat, crepuſculo demum [9] ad coenam vacabat: neque amplius quam duobus lectis diſcumbebatur apud eum.

VIII. Idem,

6 *Praeter ahenum et vnicum veru*] Voſſ. 3 Reg. et 1 Hill. Leid. pr. Cantabrig. aliique veteres codices corruptum valde hunc exhibent locum: *praeterito reatu et vnicum veru*. Vnde Graeuius, Gronouius et Voſſius legendum cenſuerunt: *ſtoream et vnicum veru*. Oudendorpius tamen verius putat, *praeter ferreum et minutum veru*, adductus verbis Plutarchi in vita Fabii p. 189. Ἐπαμινώνδαν μὲν Θηβαῖοι δημοσίᾳ διὰ πενίαν, ἣν ἀπέλιπεν ὁ ἀνὴρ, ἔθαψαν. οὐδὲν γὰρ οἴκοι τελευτήσαντος εὑρεθῆναι, πλὴν ὀβελίσκον σιδηροῦν. quae poſtrema verba reddiderunt interpretes: *praeter veru minutum ferreum*. Ceterum in militari ſupellectili *veru* neceſſarium cuique militum fuiſſe, qui ipſi cibos ſibi parabant, declarat Scipio, qui cum omnia ad luxum pertinentia vaſa e caſtris remouiſſet, χύτραν, ὀβελίσκον, ποτήριον tamen habere permiſit. v. Polyaenus L. VIII. c. 16. §. 2.

7 *Surgere de nocte ſolitus*] Somni parciotis imperatores eſſe iubent ſtrategici ſcriptores, ſecundum Homericum illud, Iliad. L. II. v. 24. 25.

Οὐ χρὴ παννύχιον εὕδειν βουληφόρον ἄνδρα,
Ὧι λαοί τ' ἐπιτετράφαται, καὶ τόσσα μέμηλε.

eo quod circa noctis ſilentia, omnia conſilia melius adcuratiusque perpendi poſſint. Vere Onoſander c. I. Ἐν νυκτὶ γὰρ ὡς τὰ πολλὰ, ψυχῆς ἠρεμούσης, στρατηγοῦ γνώμη τελειοῦται. Adde Leon. c. II. §. 4. c. XX. §. 7. 130. Mauricium p. 175. Quare ſummos quosque viros, qui domi bellique adminiſtrandae reipublicae praefuerunt, modici ſomni fuiſſe priſca annalium monumenta teſtantur. De Hannibale Silius Ital. L. XII. 559.

Vigil ille, nec vllam
Ad requiem facilis, credensque abſcedere vitae,
Quod ſopor eripiat, tempus, radiantibus armis
Induitur.

De *Aenea* Virgilius L. V. Aen. 720.

Tum vero in curas animum diducitur omnis,
Et nox atra polum bigis ſubuecta tenebat.

vbi Seruius notat, Graecis noctem ideo dici εὐφρόνην, *quia ſubtilius homo ſapiat, quam interdiu*.

8 *De nocte*] *De nocte* i. e. *media nocte*, l. *ſtatim poſt mediam noctem*. Horatius L. I. Epiſt. 2. v. 32.

Vt iugulent homines, ſurgunt de nocte latrones;
Vt te ipſum ſerues, non expergiſceris?

Terentius Adelph. V. 3. 55. *immo de nocte cenſeo*.

9 *Ad coenam vacabat*] Pro eo in pluribus Codd. MSS. trita illa locutio eſt *ad coenam vocabat*; quam

VIII. Idem, quum sub Hasdrubale Imperatore militaret, plerumque super nudam humum, [10] sagulo tectus, somnos capiebat.

IX. Aemilianum Scipionem, traditur, in itinere cum amicis ambulantem, accepto pane, vesci solitum.

X. Idem et de Alexandro Macedone dicitur.

XI. Masinissam, nonagesimum aetatis annum agentem, meridie ante tabernaculum stantem, vel ambulantem capere solitum cibos, legimus.

XII. M'. Curius, quum, victis ab eo Sabinis, ex Senatusconsulto ampliaretur ei modus agri, quem [11] consummati milites accipiebant, gregalium portione contentus fuit: malum ciuem dicens, cui non esset idem, quod ceteris, satis.

XIII. Vniuersi quoque exercitus notabilis saepe fuit continentia, sicuti eius, qui sub M. Scauro meruit.

 Nam-

quam a librariis esse suppositam, nemo dubitabit. *Vacare ad aliquid* pro *vacare alicui rei*, probam esse locutionem atque veterum scriptorum auctoritate munitam, docet Ouidius L. III. ex Ponto El. I. v. 142. vbi de Liuia, Augusti vxore, canit:

Corporis ad curam vix vacat illa sui.

cum praepositione *in* idem L. III. ex Ponto El. 3. 36.

In nullum mea mens grande vacauit opus.

10 *Sagulo tectus*] In quibusdam impressis, legitur *saeculo*. Veram autem esse receptam scripturam, ipse Liuius declarat L. XXI. c. 4. *Ea* (quies) *neque molli strato, neque silentio arcessita: multi saepe militari sagulo opertum humi iacentem inter custodias stationesque militum conspexerunt.* Is vero Romanorum quoque, vigente militari disciplina, mos fuit, vt humi somnum caperent, teste Seneca ad Heluiam c. X. *Scilicet maiores nostri, quorum virtus etiam nunc vitia nostra sustentat, infelices erant, qui sibi manu sua parabant cibum; quibus terra cubile erat.*

11 *Consummati milites*] *Consummati milites* dicuntur, qui stipendia rite facta consummarunt; vel, vt alias loqui amant scriptores, *emeriti*, vel *emeritae militiae milites*. Sic etiam apud Suetonium in Caligula c. XLIV. *At in exercitu recensendo, plerisque centurionum maturis iam, et nonnullis ante paucissimos quam consummaturi essent dies, primos pilos ademit, caussatus senium cuiusque et imbecillitatem.* Merito adeo a magno Turnebo, qui aliter *consummatos milites* fuit interpretatus L. XXX. Aduers. c. 33. discessionem facit Gronouius. Huc referri meretur locus Plinii L. VIII. c. 7. quem item hic laudat Oudendorpius, *in consummatione gladiatorum*, qui nimirum expleto annorum vel pugnarum numero, missionem acceperunt; eademque, qua *milites*, ratione, *consummati gladiatores* dicti fuerunt.

Namque [12] memoriae tradidit Scaurus, pomiferam arborem, [13] quam [14] in pede castrorum fuerat complexa metatio, postero die abeunte exercitu, intactis fructibus relictam.

XIV. Auspiciis Imperatoris Caesaris Domitiani Augusti [15] Germanici, eo bello, quod Iulius Ciuilis in Gallia mouerat, Lingonum opulentissima ciuitas, quae ad Ciuilem desciuerat, quum adueniente exercitu Caesaris populationem timeret, quod contra exspectationem [16] inuiolata, nihil ex rebus suis amiserat, ad obe-

12 *Memoriae tradidit*] In libris, quos de sua vita edidit Scaurus, de quo videsis G. I. Vossium de Histor. Lat. L. I. c. 9.

13 *Quam*] Vaticanus, Mediceus et Edd. Italicae *quae in p. c. f. completa metatione*. Leid. sec. *complexus metator*. Non male scribi posset *complexa metatione* passiue; quomodo hoc participium apud optimos auctores vsurpatur. Vide Thesaurum Fabri, et N. Heins. ad Ouid. Ep. IV. 139. Sed non opus est. Saresbetiensis haec tamquam ex ipso Scauri opere citat. *Memoriae tradidit continentiam militarem. Pomiferam, inquit, arborem, quam in pede castrorum fuerat complexa metatio, postremo die concinentibus aeneatoribus et abeuntibus nobis, intactis fructibus exercitus reliquit indemnem. Postera* hic est in Petrensi, vt alibi saepius. Oudend.

14 *In pede castrorum*] Cum Graeci inprimis; saepius vero etiam Romani castra in montibus collibusque, ἐπὶ τῶν ὀρῶν καὶ λόφων, secundum Onosandrum c. X. §. 8. posita haberent: veri perquam similis videtur Tennulii sententia, qui *pedem castrorum*, vt *pedem montis*, imam et versus montis radices sitam castrorum partem hoc loco dici arbitratur.

15 *Germanici eo bello*] In vulgatis adhuc legebatur *Germanico bello*. At rectius omnino Cod. Medicei auctoritate Oudendorpius, ipso Frontino duce, reposuit *Germanici eo bello*. Similiter enim L. II. c. 11. §. 7. *Imperator Caesar Augustus Germanicus eo bello, quo victis hostibus cognomen Germanici meruit*. Id. L. II. c. 3. §. 23. *Imperator Caesar Augustus Germanicus*. *Germanici* autem cognomen post duos triumphos adsumsit, teste Suetonio in Domit. c. XIII. cf. Agricolae vitam c. XXXIX. Idem cognomen praeferunt etiam Nummi, quorum Patinus aliquot ad Suetonium exhibet.

16 *Inuiolata*] *Continentia ducum* maximum momentum semper victoriae fuit. Florus L. IV. c. 12. *Mores nostros magis, quam arma sub imperatore Druso suspiciebant*. L. II. c. 6. de Hispanis: *Certum est tamen, ad profligandam prouinciam maxime profecisse singularem Ducis sanctitatem*. Et apud Curtium L. IV. c. 10. Darii legati ad Alexandrum: *Darium, vt pacem a te iam hoc tertio peteret, nulla vis subegit; sed iustitia et continentia tua expressit*. quos laudat ad h. l. Tennulius. Hinc etiam est, quod Strategicorum praecepta copiarum duci ἀφιλαργυρίαν inprimis commendant. Sic Onosander

quium redacta, septuaginta millia armatorum [17] tradidit mihi.

XV. [18] L. Mummius, qui, Corintho capta, non

P 5 Ita-

der c. I. §. 7. Ἡ δ' ἀφυλαργυρία δοκιμασθήσεται καὶ πρώτη. Τῦ γὰρ ἀπροσδοκήτως καὶ μεγαλοφρόνως προΐεσθαι τῶν πραγμάτων αὐτὴ παραιτία. Quanti ἀφυλαργυρίαν fecerint Romani, docet Polybius T. I. p. 693.

17 *Tradidit mihi*] Sic legit etiam Guietus, explicans, mihi Frontino, auspiciis imperaroris Domitiani accipienti. Nam et Scriuerius, qui e tribus MSS. eandem lectionem dedit, inuenit in margine, *nota tempus auctoris*. Omnes fere pedestres auctores militiam sunt secuti. *Cicero* fuit Syllae miles, auctore Plutarcho; vt alii, tiro in exercitu Cn. Pompeii consulis. *Suetonius* tribunatum militum fuit adeptus. *Valerius Maximus* stipendia fecisse, et in Asiam cum Sexto Pompeio nauigasse dicitur, incerto auctori in ipsius vita. *Velleius* in Germania sub Tiberio Praefectus equitum fuit. *Plinius maior* equestribus militiis industrie functus. *Plinius iunior* Tribunus militum fuit. Ipse *Horatius* meruit Tribunus militum L. II. Od. 7.

Tecum Philippos et celerem fugam
Sensi, relicta non bene parmula.

Tennul.

Tradidit mihi ex meis praeter Palatin. exhibent Leidens. pr. Petrens. Cantabrig. tert. Gudianus et I. Saresberiensis. In Mediceo primo *tradidit inde*. Edit. Wechel. *tradidit ei*. In ceteris MSS. et Edd. deest τὸ *ei*. Quapropter *ei* secure eieci, et *mihi* reposui. Quod et certis rationibus fecisse mihi videor. Nam si ipsi praesenti Imperatori Lingonum ciuitas sese tradidisset, initio huius exempli auctor non dixisset *Auspiciis imperatoris*; sed consilio et ductu eius, eique hanc de exercitus sui continentia gloriam apertius tribuisset: vt fecit in praecedentibus libris quater, vbi non auspiciis imperatoris, sed ab ipso imperatore gestam fuisse rem narrat. Quod aduertit etiam bene Guietus. Verisimile praeterea est, Frontinum hoc in bello cum imperio contra Ciuilem missum esse, vt virum militiae bene peritum: quippe a quo iam ante Silurum gens in Britannia esset subacta. Qua de re consule doctissimi Poleni prolegomena. Ex eo etiam, quod quinquies in hoc paruo libro mentionem faciat rerum, in Germania sub Domitiano gestarum, non leue argumentum videtur peti posse, auctorem ipsum hisce rebus agendis interfuisse, et non multo post, hosce libros conscripsisse, certe viuo etiamnum Domitiano: nam neque Neruae, neque Traiano, quorum in libro de aquaeductibus honorificam saepe facit mentionem, hic vllum datum est exemplum: immo ne quidem Dacici belli postea a Domitiano gesti meminit; adeo vt inter Germanici et Dacici belli tempus hoc opus editum fuisse clare adpareat. Vide ibidem Polenum. Oudendorpius.

18 *L. Mummius*] I. Saresberiensis L. V. c. 7. perquam corrupte exhibet *Lucilius Meromius*. At enim vero ipsa historiarum monumenta *L. Mummium* legendum esse clamitant. Sic Florus L. II. c. 16. §. 6. *Quid signorum, quid vestium, quidue tabularum raptum, incensum atque proiectum est!* Cui addi potest Liuii Epit. LII. *Mummius, omni Achaia in deditionem accepta, Corinthum ex Senatusconsulto diruit. — Ipse L. Mummius* ab-

Italiam solum, sed etiam [19] prouinciam tabulis statuisque exornauit, adeo nihil ex tantis manubiis [20] in suum conuertit, vt filiam eius inopem Senatus ex publico dotauerit.

CAP. IV.

De iustitia.

Exemplum I.

Camillo, Faliscos obsidenti, ludi magister liberos Faliscorum, tamquam ambulandi caussa extra murum eductos, tradidit, dicens [1] repetendis eis obsidibus necessario

abstinentissimum virum egit: nec quidquam ex illis opibus ornamentisque, quae praediues Corinthus habuit, in domum eius peruenit.

19 *In prouinciam*] Pro *prouinciam* Lipsius ad marginem libri sui correxit *prouincias*, cui lubens equidem accedam. Sic *Italia* et *prouinciae* sibi opponuntur apud Velleium Paterc. L. II. c. 15. *vt ciues Romanos ad censendum ex prouinciis in Italiam reuocauerint.* Eadem fere hic de Corinthi captae tabulis statuisque Frontinus, quae de demersa Romanorum classe, praeda hostium opulenta, habet Florus L. II. c. 2. §. 31. *Quantus o! tunc triumphus tempestate intercidit, cum opulenta praeda classis, aduersis acta ventis, naufragio suo Africam et Syrtes, omnium imperia gentium, insularum littora impleuit!* Et paucis interiectis: *quum Punicae praedae omnibus promontoriis insulisque frustarentur et fluitarent.* Oudendorpius audaciore paullo coniectura proposuit, *sed et totam prope Europam:* quae cum omni MSS. auctoritate destituatur, nimisque longe a recepta vbique scriptura recedat, vix equidem existimem esse futuros, qui ei subscribant.

20 *In suum conuertit*] Saresber. *in suum conuertit vsum.* Petrens. *in suum vsum conuertit.* Verum non raro *meum, tuum, suum* elliptice vsurpari notum est. Alii *in suam domum intulit.* Sic Aurelius Victor c. 60. *Mummius Corinthum signis tabulisque spoliauit, quibus cum totam repleſſet Italiam, in domum suam nihil intulit.* Ita MS. Leid. Vulgo non bene, *contulit.* Epitom. Liuii III. *L. Mummius abstinentissimum virum egit. Nec quidquam ex iis opibus ornamentisque in domum eius peruenit.* Abstinentiae eius, quam simili fere modo describit Cicero L. I. in Verr. c. 20. non paruum momentum addidit ignorantia artificii. Vide auctores citatos ad Flor. L. II. c. 16. et Plinium l. adducto. Oudendorpius.

1 *Repetendis ei*] Scriuerius, scriptura I. Saresber. L. V. c. 7. adductus, *retentis eis*, legendum coniectauit. Cum vero haec lectio, melior licet, nullius Cod. MS. fide nitatur, nos quidem vulgatam suo loco mouendam non existimamus, facile id facturi, si vel vnius Codicis

ſario ciuitatem imperata factūram. Camillus non ſolum ſpreuit perfidiam, ſed et reſtrictis poſt terga manibus magiſtrum virgis agendum ad parentes tradidit pueris: adeptus beneficio victoriam, quam fraude non concupierat. Nam Faliſci ob hanc iuſtitiam ſponte ei ſe dediderunt.

II. Ad Fabricium, ducem Romanorum, [2] medicus Pyrrhi, Epirotarum regis, peruenit; pollicitusque eſt, daturum ſe Pyrrho venenum, ſi merces ſibi, in qua operae pretium foret, conſtitueretur. Quo facinore Fabricius egere victoriam ſuam non arbitratus, regi medicum detexit: atque ea fide meruit, vt ad adpetendam amicitiam Romanorum compelleret Pyrrhum.

CAP. V.

De conſtantia.

Exemplum I.

Cn. Pompeius, minantibus direpturos pecuniam militibus, quae in triumpho ferretur, [1] Seruilio et Glaucia cohortantibus, vt diuideret eam, ne ſeditio fieret, adfirmauit, non triumphaturum ſe, ſed potius moriturum, quam licentiae militum ſuccumberet: caſtiga-

Codicis auctoritas accederet. Quam liberalis enim fuerit Saresberienſis in commutandis Frontini vocibus, Codd. MSS. conſenſu confirmatis, notum eſt.

2 *Medicus Pyrrbi*] Hic Pyrrhi medicus fuir Ambracienſis *Timochares*, vel *Nicias* ſecundum Claudium Quadrigarium, qui etiam litteras, quas Romani Conſules ad regem Pyrrhum miſerunt, memoriae prodidit; quarum exemplum legere licet apud Gellium L. III. c. 8.

1 *Seruilio et Glaucia*] Hac in re vnius Seruilii meminit Plutarchus, qui vocat eum ἄνδρα ἐπιφανῆ in Pompeio p. 626. Vnde liquet ſatis, fuiſſe Seruilium Vatiam, poſt dictum Iſauricum. Adde et Apophthegm. p. 203. Quis vero ille Glaucias fuerit, non facile dixerim. Glauciae nomen etiam Seruiliorum eſt: quare mira videtur locutio, Seruilio et Glaucia, cum vterque fuerint Seruilii. Quod defendi tamen poteſt eo, quod ſcriptores ſaepe ſoleant quosdam nomine gentili, quosdam cognomine,

gatisque oratione graui [2] laureatos fasces obiecit, vt ab illorum inciperent direptione. Eaque inuidia redegit eos ad modestiam.

II. C. Caesar, [3] seditione in tumultu ciuilium armorum facta, quum maxime tumentibus animis legionem totam exauctorauit, ducibus seditionis securi percussis: mox eosdem, quos exauctorauerat, ignominiam deprecantes restituit, et optimos milites habuit.

III. Postumius Consularis cohortatus suos, quum interrogatus esset a militibus, quid imperaret, dixit, vt se imitarentur: [4] et arrepto signo hostes primus inuasit. Quem secuti, victoriam adepti sunt.

IV.

ne, prout vulgo magis cogniti erant, adpellare, vt luculenter docuit Spanhemius T. II. de numm. praest. Palatinus *Glaucio*. In re obscura coniecturas perdere nolim. Oudendorpius

2 *Laureatos fasces*] Sicuti *laurus* erat pacis reique bene ac feliciter gestae signum; vnde patem petituri *ramos oliuae* manibus praeferre solebant, secundum Virgilium L. VIII. Aen. v. 128.

Et vitta comtos voluit praetendere ramos:

ita *triumphantes* non ipsi solum lauro erant ornati, sed *fasces* quoque *laureatos* gesserunt. Plinius L. XV. c. vltim. *Fasces imperatorum decorat* (laurus). *Exhinc in gremio Iouis Opt. Max. deponitur, quoties laetitiam noua victoria attulit.* Duces quoque, qui auspiciis imperatorum bella ex voto patrarunt, *laureatas litteras* ad imperatores Romam miserunt. v. Tacit. in Agricolae vita c. XVIII.

3 *Seditione*] *Seditione* retinent omnes mei MSS. Voss. *seditionem*. Pro *armorum* in Medic. sec. et Hittorp. marg. *armatorum*: pro *actum* (vt est in vulgatis) Medic. Palat. et Edd. Rom. ac Bonon. *acta*. Leid. pr. et Cantabr. tert. *actum*. Sed Petrensis *facta*. *Animis tumentibus*, l. *timentibus*, vel *trementibus*, MSS. septem Quare lego: *seditione in tumultu ciuilium armorum facta, cum maxime tumentib. animis*: vel etiam *tum cum maxime animis tumentib. Seditione facta* Latinissimum est. Vid. cl. Wasse ad Sallust. B. Catil. c. 62. Immo ex nostri stilo. supra L. IV. c. 1. §. 43. *Cum ex V legionibus vna, seditione facta, militiam detractasset.* de τοῖς *cum maxime* et *tum cum maxime* egimus ad L. III. c. 11. §. 4. Reposui, vt certius, *facta, quum max. tumentib.* et ita in litteris ad me cl. Wasse. Oudend.

4 *Et arrepto signo*] Quamquam plura fortissimorum ducum exempla in antiquis monumentis reperiuntur, qui in praeliis, etiam nulla vrgente necessitate, non modo ducis, sed etiam militis functi sunt munere: cum tamen secundum Onosandrum c. XXXIII. στρατηγοῦ γνώμη πλέον ἰσχύει ῥώμης, adeoque, vt Ammianus Marcellinus habet L. XXV. c. 13. *corporis munus a milite, ab imperatore vero animus poscatur*: temere omnino imprudenterque duces, quibus summa imperii tradita est, agere censendi sunt, qui sine necessitate ipsi manum cum hoste conserere, quam prudenti consilio

IV. [5] Cl. Marcellus, quum in manus Gallorum inprudens incidisset, circumspiciendae regionis, qua euaderet, caussa, equum in orbem flexit; deinde, quum omnia esse infesta vidisset, precatus Deos, in medios hostes inrupit: quibus inopinata audacia perculsis, ducem quoque eorum trucidauit, atque, vbi spes salutis vix superfuerat, inde [6] opima retulit spolia.

V. L. Paullus, amisso ad Cannas exercitu, obferente equum Lentulo, quo fugeret, superesse cladi, quamquam non per ipsum contractae, noluit; sed in eo saxo, cui se vulneratus adclinauerat, persedit, donec ab hostibus obpressus confoderetur.

VI. Var-

consilio exercitus saluti consulere malunt: qua de re eleganter disserit modo laudatus Onosander l. c. Hinc Scipio Africanus prudenter dixisse fertur, cum eum quidam parum pugnacem dicerent, *Imperatorem me mater, non bellatorem peperit*, vt noster habet L. IV. c. 7. §. 4. Quae vero sit ars imperatoris, recte explicat Cicero de Orat. L. I. c. 48. *rerum de castris, de agminibus, de signorum collationibus, de oppidorum oppugnationibus, de commeatu, de insidiis faciendis atque vitandis, de reliquis rebus, quae essent propriae belli administrandi, animo et scientia esse compotem.*

5 *Cl. Marcellus*] In impressis legitur *L. Marcellus*; pro quo plurium MSS. auctoritate Oudendorpius reposuit *Claudius Marcellus*. v. Pighius T. II. Annal. p. 126. et sqq. et Festus de verb. signif. in v. *opima spolia.*

6 *Opima retulit spolia*] In impressis quibusdam legitur dissentientibus omnibus MSS. *optima spolia*, teste Scriuerio. In eo vero errat vir doctissimus, quod ante Stewechium hanc lectionem obtinuisse scripsit; siquidem iam in Hittorpiana recte *opima spolia* exhibetur. Sicuti vero *opima*, quaelibet in suo genere *pinguia*, *ampla* et *magnifica* dicuntur: ita *opima spolia* modo latiore sensu *spolia* quaelibet *opulenta* et *ampla*; modo strictiore, *spolia, quae dux populi Romani duci hostium detraxis*, apud veteres scriptores significant. Festus de verb. signif. *Ergo et opulenti dicuntur, terrestribus rebus copiosi; et hostiae opimae praecipue pingues; et opima, magnifica et ampla: vnde spolia quoque, quae dux populi Romani duci hostium detraxit, OPIMA dicuntur.* Quae vero de notabili eorum raritate dicit Festus, *vt intra annos* (vt supplet Brissonius paullo minus ɪɔxxx) *trina contigerint nomini Romano: vna, quae Romulus de Acrone; altera, quae Consul Cossus Cornelius de Tolumnio; tertia, quae M. Marcellus Ioui Feretrio de Viridomaro fixerunt*, de opimis spoliis κατ' ἐξοχὴν ita dictis intelligenda esse, facile apparet. De quibus elegantissime disserit Perizonius Animadu. Histor. c. VII. p. 243. sqq.

VI. Varro, collega eius, [7] vel maiore constantia post eamdem cladem vixit, gratiaeque ei ab Senatu et populo actae sunt, quod non [8] desperasset Rempublicam. Non autem vitae cupiditate, sed Reipublicae amore se superfuisse, reliquo aetatis suae tempore approbauit. Nam et barbam capillumque submisit, et postea numquam recubans cibum cepit; honoribus quoque, quum ei deferrentur a populo, renuntiauit, dicens, felicioribus Magistratibus Reipublicae opus esse.

VII. Sempronius Tuditanus, et C. Octauius, [9] Tribuni militum, omnibus fusis ad Cannas, quum in

7 *Vel*] Haec particula apud scriptores interdum pro *saltem* posita occurrit. Sic Vegetius L. I. c. 13. *Qui vsus vel ex parte seruatur.* Iustinus L. XII. c. 8. *Ac si non militibus, vel ipse sibi parcat.* Curtius L. VI. c. 10. §. 12. *Vel iudicium tuum serua.* Terentius Heaut. IV. 6. 1. *Nulla est tam facilis res, quin difficilis siet, quam inuitus facias: vel me haec deambulatio (quam non laboriosa!) ad languorem dedit.* Plura de hac particula vide in Sanctii Minerua L. IV. c. 6. et ad eum Perizonium §. 15. Forsan *volens* legi possit, quod in MSS. saepius in *vel* mutatum notat Burmannus ad Quinctiliani T. II. p. 819. Sicuti nimirum Paullus *noluit* superesse cladi: ita contra Varro, vt Romanae constantiae praeberet exemplum, *voluit* superesse, volensque adeo vixit.

8 *Desperasset rempublicam*] Quamquam locutio *desperasset de republica*, quam editiones quaedam exhibent, satis Latina est, atque cum ab aliis, tum in hac ipsa re a Liuio L. XXII. c. 61. f. fin. adhibetur: *quod de republica non desperasset*: rectius tamen Oudendorpius fidem Codd. MSS. qui omnes, nec non Edd. Rom. Bon. Paris. Wech. *desperasset rempublicam* constanter retinent, secutus, hanc scripturam in textum recepit. Sic praeter alios, etiam Cicero L. XII. ad diu. ep. 14. *Rhodii nos et remp. quam valde desperauerint, ex litteris, quas publice misi, cognosces.* Quinctilian. T. II. p. 534. *propter quod vitam desperaret.* Florus L. IV. c. 2. §. 86. *Victoriam desperantibus Pompeii liberis.* Dicitur etiam *desperare aliqua re.* Sic *desperare armis* apud Florum L. I. c. 18. §. 14. *fortunis* ap. Caesar. de B. G. L. III. c. 12. §. 3.

9 *Tribuni milit.*] *Tribuni* agnoscunt Medicei, Leidenses, Palatin. aliique cum editionibus veteribus. Quare ita legit quoque Rubenius L. II. Elect. c. 32. vel potius, quia ignotus est ille Octauius, *Tuditanus e legione octaua Tribunus.* Et certe *Sempronii* solius mentionem facit Liuius L. XXII. c. 50. Appianus de B. Annib. p. m. 568. qui haec acta in maioribus castris, et decem millia euasisse refert. Et paullo post in nonnullis MSS. est *adfirmans.* Attamen *suaserunt*, retinent constanter omnes, nemo *suasit.* Mihi non videtur ablegandus *Octauius*, sed scribendum eius praenomen *Cn.* vt

in minoribus castris circumsederentur, suaserunt commilitonibus, [10] stringerent gladios, et per hostium praesidia erumperent secum: id sibi animi esse, etiamsi nemini ad erumpendum audacia fuisset, adfirmantes. De cunctantibus [11] XII omnino equitibus, L peditibus, qui comitari sustinuerant, repertis, incolumes Canusium peruenerunt.

VIII. [12] T. Fonteius Crassus, in Hispania, cum tribus millibus hominum praedatum profectus, locoque iniquo circumuentus ab Hasdrubale, ad primos tantum ordines relato consilio, incipiente nocte, quo tem-

vt fuerit idem, qui A. DXLI. fuit Quaestor, et dein Praetor, pater Cn. Octauii, qui naualem de rege Perse triumphum egit. Cannensis clades accidit A. DXXXVII. de eo consule Pighium Annal. T. II. p. 179. et Glandorp. in Onomast. Oudend.

10 *Stringerent*] Particulam *vt*, quae in impressis legitur, *vt stringerent*, recte Tennulius et Oudendorpius eiiciendam optimorum Codd. auctoritate censuerunt. Sic apud Caesar. de B. G. L. IV. c. 16. §. 3. *qui postularent, eos, qui sibi Galliaeque bellum intulissent, sibi dederent.* Nepos in Miltiad. c. I. §. 4. *idque Lemnii sua sponte facerent, postulasset.* Frontinus L. I. c. 4. §. 7. *praecipit, ipsam oram maris legerent.* *Vt* autem post verba *censeo*, *suadeo*, *moneo*, *iubeo* aliaque, saepius per Ellipsin ab optimis scriptoribus supprimi, viri eruditi dudum monuerunt. v. Duckerus ad Flor. L. I. c. 1. §. 15. Cuperus L. I. Obseru. c. 19. In quo quidem Romani Graecos secuti videntur, qui ὅπως et ἵνα saepius subaudire solent; cuius Ellipseos nos aliquot exempla dedimus ad Bos. Ell. p. 551. et 561.

11 *XII. equitibus* cet.] In recensendo hoc numero differunt *Frontinus* et *Liuius*, quorum hic *sexcentos* fuisse ponit, qui ex minoribus in maiora castra euaserunt, atque inde protinus, alio magno agmine adiuncto, Canusium incolumes peruenerunt; L. XXII. c. 50. qua re vel in alterutro numerus, non sine ratione, corruptus; vel varie de eo veterum fuisse sententiae videntur. Guietus voces, *equitibus vel peditibus*, vt in vulgatis legitur, et quod statim sequitur *repertis*, glossema censet, cui τὸ *duodecim* a librariis fuerit subiectum. Receptae tamen, fide plurium Codd. MSS. scripturae Graeuius quoque album calculum adiecit. Ceterum ratior, nec imitanda eiusdem suppositi constructio est: magisque adridet Petrens. *de cunctantibus reliquis*, omisso τῷ *repertis*. Quare totum locum, si Codd. addicerent, ita restingerem: *cunctantibus reliquis, XII omnino equites, L equites, qui comitari sustinuerant, incolumes Canusium peruenerunt.* Vide tamen de rariore illa dicendi ratione Sanctii Mineru. L. II. c. 7.

12 *T. Fonteius Crassus*] Hoc et duo sequentia exempla iisdem fere verbis noster recensuit L. I. c. 5. vbi videsis.

tempore minime exſpectabatur, per ſtationes hoſtium erupit.

IX. P. Decius, Tribunus militum, bello Samnitico, Cornelio Coſſo Conſuli, iniquis locis deprehenſo ab hoſtibus, ſuaſit, vt ad occupandum collem, qui in propinquo erat, modicam manum mitteret: ſeque ducem iis, qui mittebantur, obtulit. Auocatus in diuerſum hoſtis, emiſit Conſulem; Decium autem cinxit obſeditque. Illas quoque anguſtias, nocte eruptione facta, quum eluctatus eſſet Decius, incolumis cum militibus Conſuli acceſſit.

X. Idem fecit ſub Atilio Calatino Cos. is, cuius varie [13] traduntur nomina. Alii Laberium, nonnulli Q. Caeditium, plurimi Calpurnium Flammam vocitatum ſcripſerunt. Hic quum demiſſum in eam vallem videret exercitum, cuius latera omniaque ſuperiora hoſtis inſederat, depopoſcit, et accepit ab Conſule trecentos milites: quos hortatus, vt virtute ſua exercitum ſeruarent, in mediam vallem decucurrit. Ad obprimendos eos vndique deſcendit hoſtis, longoque et aſpero proelio retentus, occaſionem Conſuli ad extrahendum exercitum dedit.

XI.

13 *Traduntur nomina*] Supra L. I. c. 5. §. 15. vbi idem exemplum iisdem paene verbis legitur, praeferunt veteres libri *is, cuius varie traditur nomen*. In praeſenti vero loco, teſte Oudendorpio, omnes, quos conſuluit, Codd. MSS. ſeruant, *is, cuius varie traduntur nomina*. Vtra igitur ſcriptura a manu Frontini ſit profecta, pro certo adfirmari haud poteſt: quare MSS. Codd. vtroque in loco ſequi tutiſſimum exiſtimauimus, niſi quod altera ſcriptura, *Praenominis* ſimul rationem habere videatur. Quod ad rem attinet, demiſſum in vallem exercitum, rem in ſummum diſcrimen ſaepius deduxiſſe, plurima in veterum monumentis exempla declarant. Sic Titurii et Cottae agmen cum in conuallem ſe demiſiſſet, ex vtraque parte eius vallis ſubito ſe hoſtes oſtenderunt, nouiſſimos preſſerunt, primos adſcenſu prohibuerunt, Romanosque adeo iniquiſſimo loco praelium committere coegerunt, vt Caeſar refert de B. G. L. V. c. 32. Quare Strategici prudenter monent, *προεκπέμπειν μέρος τι τῆς δυνάμεως, προκαταλαμβάνεσθαι τὰς ὑπερβολὰς, καὶ τὰς τῶν στενῶν παρόδους, μὴ φθάσαντες οἱ πολέμιοι, καὶ καταστάντες ἐπὶ τῶν ἄκρων, κωλύσωσι τὴν διεκβολὴν ποιεῖσθαι*. Onoſand. c. VII.

XI. [14] C. Caesar aduersus Germanos et regem Ariouistum pugnaturus, confusis suorum animis, pro concione dixit, nullius se eo die opera, nisi decimae legionis, vsurum: quo adsecutus est, vt et decimani, tamquam praecipuae fortitudinis testimonio, concitarentur, et caeteri pudore, ne penes alios gloria virtutis esset.

XII. Lacedaemonius quidam nobilis, Philippo denuntiante, multa se [15] prohibiturum, nisi ciuitas sibi traderetur, Num, inquit, et pro patria mori nos prohibebit?

XIII. Leonidas Lacedaemonius, quum dicerentur Per-

14 *C. Caesar*] Idem exemplum iisdem verbis recenset noster L. I. c. 11. §. 3.

15 *Prohibiturum*] Adscripsit libri sui margini Scriuerius: Quid est *multis prohibere?* an *ius ciuitatis?* Vitiosa haec sunt sine dubio, sed medicina facilis: nam in Petrenii Cod. legitur *multa*, i. e. multum. non multis verbis, vt ex responso patet, sed rebus, notante ad libri sui oram cl. Wasseo. Quo sensu *multis* retineri possit. *prohibere* enim sexcenties iungitur ablatiuo rei, vt notum. Hic tamen durius foret obscuriusque: quare *multa* praetuli, quod clarius est. Referunt huc viri docti exemplum Valerii Maximi L. VI. c. 4. §. 4. *illa vero, qua legati Lacedaemoniorum apud patrem eius* (Alexandri) *miseram fortitudinis suae conditionem testati sunt, gloriosior, quam optabilior. Intolerabilibus enim oneribus ciuitatem eorum implicanti, si quid morte grauius imperare perseueraret, mortem se praelaturos responderunt.* Hoc ego refero ad tempus, quo Lacedaemona sibi tradi voluit Philippus, negantibusque Lacedaemoniis minatus sit, se ita eos inclusurum, et tam multa iis prohibiturum, et vetiturum, vt necesse haberent se illi tradere. *Probibiturum* enim omnino hic retinendum esse, clarissime patet ex responso *probibebit*. Idem ergo intelligitur, quod refert Plutarchus in Apophth. Lacon. p. 235. Ed. Paris. *Φίλιππος, ὅτε ἐνέβαλεν εἰς τὴν Λακωνικὴν, καὶ ἐδόκουν ἅπαντες ἀπολεῖσθαι, εἶπε πρὸς τινα τῶν Σπαρτιατῶν, τί νῦν ποιήσετε, ὦ Λάκωνες; τί γὰρ (ἔφη) ἄλλο, ἢ ἀνδρείως ἀποθανούμεθα; μόνοι γὰρ ἡμεῖς Ἑλλήνων ἐλεύθεροι εἶναι, καὶ μὴ ὑπακούειν ἄλλοις ἐμάθομεν.* Forsan voluit Philippus minari iis, se prohibiturum eos *commeatu* vel *victu*, ceterisque rebus ad sustinendam vitam necessariis. Oudend. Τὸ *probibiturum* recte suum locum tueri, verba Ciceronis Tuscul. L. V. c. 14. probare possunt: *An Lacedaemonii, Philippo minitante per litteras, se omnia, quae conarentur, probibiturum, quaesiuerint, num se esset etiam mori probibiturus.* Aliter haec historia recensetur apud Stobaeum Serm. VII. p. 90.

Persae sagittarum multitudine [16] nubes esse facturi, fertur dixisse: Melius in vmbra [17] propugnabimus.

XIV. [18] L. Aelius, Praetor Vrbanus, quum ei [19] ius dicenti picus in capite insedisset, et haruspices respondissent, dimissa aue, hostium victoriam fore, necata, populum Romanum superiorem, at L. Aelium cum familia periturum, [20] auem occidit, nec dare poenam dubi-

16 *Nubes*] Innumera fere cum apud Graecos, tum Romanos exstant exempla, in quibus *nubes*, Gr. νέφος, pro *multitudine* et *densitate* vsurpatur. Sic in epist. ad Ebr. c. XII. 1. νέφος μαρτύρων. Macrob. L. I. Saturn. c. 17. *nubes sagittarum.* Virgil. L. IX. Aen. v. 33. *nubes pulueris*, aliaque.

17 *Propugnabimus*] Ita rectius, addicentibus Codd. MSS. pro *pugnabimus*, quod Tennulius habet, Oudendorpius reposuit. v. I. F. Gronou. Obseruat. L. IV. c. 19. Verba haec Leonidae ita Suidas habet: θαῤῥῶμεν, ἔφη, ὅτι ὑπὸ σκιὰν μαχεσόμεθα. quem laudat h. l. Oudendorpius.

18 *L. Aelius*] Ita scribendum esse pro vulg. *Caelius* l. *Coelius*, Pighius T. II. Ann. p. 140. et Perizonius Animadu. Histor. p. 445. luculenter probarunt. Error autem hic ortus est ex librariorum scriptura, qui coniunctim *Laelius* l. *Lelius* pro *L. Aelius*, vt *Agellius* pro *A. Gellius*, et sic in aliis, scripserunt. Notandum tamen Frontini quoque aetate fuisse, qui non Aelium, sed Laelium fuisse; et Laelios, non Aelios periisse crederent, vt ex fine huius exempli apparet.

19 *Ius dicenti*] In quibusdam MSS. Codd. male abest τὸ *ius*. Atqui diserte Valerius Max. *Aelio Praetori ius dicenti*. Plinius L. X. c. 18. *in capite praetoris vrbani Aelii Tuberonis, in foro iura pro tribunali reddentis.* Varro apud Nonium C. XII. N. 3. *Aelius Paetus* (sic bene Perizon. et ex eo non nominato Harduinus) *cum esset praetor vrbanus, et sedens in sella curuli ius diceret populo, picus Martius* etc. Male ergo abest τὸ *ius* etiam a Gudian. et Edit. Paris. *eius dicentis* Leid. pr. Oudendorpius.

20 *Auem occidit* cet.] MS. *non dubitauit dare pecuniam.* Quid si, *non dubitauit dare picum neci.* Scriuer. Vel, *non dubitauit occidere picum.* Vel, *non dubitauit auem perimere.* Post, consultis Annalibus Pighii, intellexi in MSS. Susii esse: *non dubitauit auem necare: nostro ergo ex.* Idem *Cur. post.* 3 Reg. Voss. 3 Hill. Scriu. Rom. *Non dubitauit dare pecuniam* (Voss. *ad pugnam*) *qua nostro.* Hinc Scriuerius coniecit: *non dubitauit dare picum neci.* Beatus Gronouius, *non dubitauit auem perimere.* Tennul. Praeter Palatinum, quo Scriuerius vsus est, etiam Gudian. duo Leid. Cantabr. Bibl publ. et Ed. Paris. *non dubitauit dare pecuniam, qua n.* Vnde ipse olim conieceram, *dare pico necem.* Vide ad Lucani L. VI. v. 169. Petrensis habet plane, vt Susii codex, *non dubitauit auem necare. exercitu ergo nos.* vt etiam coniecerat Gronouius, vel *dare neci auem.* *Occisa* deest in Gudian. *quam occisam* Medic. pr. qui codices cum Cantabrig. tert. seruant *auem occidit.* omnis

dubitauit. Noſtro ergo [21] exercitu vincente, ipſe cum quatuordecim Aeliis ex eadem familia in proelio eſt occiſus Hunc quidam non Aelium, ſed Laelium fuiſſe, et Laelios, non Aelios periiſſe credunt.

XV. P. Decius primo pater, poſtea filius in Magiſtratu ſe pro Republica deuouerunt, admiſſisque in hoſtem equis, [22] adepti mortem, victoriam patriae contulerunt.

XVI. P. Craſſus, quum bellum aduerſus Ariſtonicum in Aſia gerens inter [23] Elaeam et Myrinam in hoſtium

Omnia *auem occidit, qua occiſa* deſunt in Vaticano. Singularis autem plane eſt Mediceus ſec. in quo *auem occidit: nec dare poenam dubitauit. qua occiſa ex.* Quare iam bene perpenſis variis hiſce lectionibus, et ex tribus diuerſis optima electa, non dubitaui reſcribere, ſi non vere, eleganter ſaltem et vero proxime, atque ipſa MSStorum verba, *auem occidit, nec dare poenam dubitauit. noſtro ergo ex. Dare poenam* ſc. Marti, cuius auem picum occiderat, adeoque Deum ipſum laeſerat, cuius poenae exempla ſimilia in fabulis ſunt non pauca. In Martis tutela picum eſſe, praeter Varronis locum docent et alii. Conſule viros doctos ad Ouid. Faſt. L. III. 37. et Socerum meum ad Valerium, qui egregie pro *morſu ſuo* ibi coniicit *Marti ſuo.* Forſan poſſet reſcribi quoque *dare pico poenam. qua* ſc. poena, vel *quare.* Tu elige, lector. Oudendorpius.

21 *Exercitu vincente*] Haec a veritate plane ſunt aliena, niſi de exitu belli intelligantur, quo Hannibalem Romani Italia penitus expulerunt; quod diſerte probat Valerius Max. L. V. c. 6. §. 4. *Decem et ſeptem milites ſuae familiae, eximiae fortitudinis viros, Cannenſi proelio amiſit: respublica procedente tempore ad ſummum imperii faſtigium exceſſit.* Forſan autem hic numerus XVII corruptus eſt, cum ipſe L. IV. c. 4. §. 8. *ſexdecim Aelios eodem tempore fuiſſe* memoret: quae verba de eodem illo tempore, quo iſti Aelii in Cannenſi pugna ceciderunt, non incommode intelligi poſſunt. Quis vero neſcit, quam frequenter numeri in antiquis Codd. turbentur? Vide omnino Perizonium Animadu. Hiſtor. p. 454.

22 *Adepti mortem*] Hiulca in impreſſis circumferebatur ſcriptura: *adepti victoriam patriae contulerunt.* Quod cum animaduertiſſet Lipſius, pro *adepti* repoſuit *interemti.* Melius Oudendorpius, qui ope Leidenſis ſec. et Petrenſis dedit, *adepti mortem, victoriam patriae contulerunt.* Sicuti enim pro ſalute patriae mortem petierunt: ita eam etiam *adepti* recte dicuntur: cum pater *corruit obrutus telis, et conſternatae cohortes Latinorum fugam ac vaſtitatem late fecerunt*, ſecundum Liuium L. VIII. c. 9. filius vero *in confertiſſimam Gallorum aciem equum concitauit, inferensque ſe ipſe infeſtis telis, interfectus eſt*, teſte eodem L. X. c. 38.

23 *Elaeam*] Male *Aeliam* l. *Eleam* impreſſa exemplaria exhibent; ſcribendumque *Elaeam*, teſtibus Stephano, Strabone aliisque. Stephanus: Ἐλαία, πόλις τῆς Ἀσίας Aio-

ſtium copias incidiſſet, viuusque abduceretur, exſecratus in Conſule Romano captiuitatem, virga, qua ad equum erat vſus, Thraci, a quo tenebatur, oculum eruit: atque ab eo, per dolorem [24] concito, transuerberatus, dedecus ſeruitutis, vt voluerat, effugit.

XVII. M. Cato Cenſorii filius in acie, decidente equo, prolapſus, quum ſe [25] recollegiſſet, animaduertiſſetque, gladium excidiſſe vagina, veritus ignominiam, rediit in hoſtem: [26] exceptisque aliquot vulneribus recuperato demum gladio, reuerſus eſt ad ſuos.

XVIII. [27] Petilini, a Poenis obſeſſi, parentes et liberos propter inopiam eiecerunt: ipſi coriis madefactis,

Αἰολική — ἔςι καὶ ἑτέρα Ἰταλίας, διὰ τῦ ε ψιλῦ, Ἐλέα. Adde Strabonem L. XIII. p. 615. Melam L. I. c. 18.

24 *Concito*] Medic. ſec. *concitatus*. Ed. Rom. *citato*. Petrenſ. Cod. *concito*. Optime, probante etiam cl. Waſſeo. *Concitus* tam ſecundae, quam quartae Coniugationis, eleganter pro *irritato*, *commoto* ponitur. Hinc ſaepe *concitus ira*, *concitus ad rixam*, et alia. Adi rurſus Lucan. L. IV. 688. De confuſione vocum *concitare* et *concire* vid. ad L. I. c. 10. §. 3. Oudendorpius.

25 *Recollegiſſet*] *Se recollegiſſet* in Scriuerii MSS. aberat; vnde Keuchenius male gloſſema eſſe putauit. Praeterquam enim, quod haec verba in decem MSS. inuenit Oudendorpius, *colligere* et *recolligere ſe* ſunt locutiones, quibus optimi ſcriptores vſi fuerunt, idemque ſignificant ac *prolapſum ſe erigere*; vel etiam, vt ipſe Cicero interpretatur Tuſcul. L. IV. c. 36. *diſſipatas animi partes in ſuum locum cogere*. Prioris notionis exemplum eſt apud Plinium L. II. c. 1. §. 5. *Hunc* (librum) *dum conſequitur colligitque*; Iuſtinum L. XXIII. c. 4. *paruulum recolligit*. et L. XXXIII. c. 2. *at ille citius corpore collecto, magnas ſtrages edidit*. vbi an recte dicatur *corpus colligere*, minus recte dubitat Schefferus: nam, paucis interiectis, *recolligere gladium* ibidem legitur. Poſterioris notionis exempla praebet Cicero L. I. ad diu. ep. 9. *collegi ipſe me*, et L. III. 10. *tamen vt me collegi*.

26 *Exceptisque*] Numquam potui concoquere ineptum illud (quod in vulgatis eſt) *ex eoque*, et haeſi hic, donec inueni in Leid. ſec. ſcriptum *exceptisque aliquot vulneribus*. Vere omnino et eleganter. Iuſtin. in eadem re, *recollectoque gladio, multis vulneribus exceptis, ad ſuos reuertitur*. Idem L. XXIV. c. 3. *Vulneraque excipere, quae liberis intendebantur*, (MSS. duo *intentabantur*) *voluit*. Sueton. Aug. c. XX. *Dalmatico bello etiam vulnera excepit*. Curt. L. IV. c. 16. *Vulnera, quae quisque exceperit*. Apul. L. VII. Met. p. 111. ed. Colu. *Vulnera corpore excipientem*. Oudend.

27 *Petilini*] *Petilia* etiam Melae L. II. c. 4. §. 79. vnde *Petilini* hic dicuntur. *Petelia*, eſt apud

factis, et igne ſiccatis, foliisque arborum et omni animalium genere vitam trahentes, vndecim menſes obſidionem tolerauerunt.

XIX. Hiſpani [28] Arabricenſes omnia eadem paſſi ſunt, nec oppidum Hirtuleio tradiderunt.

XX. [29] Caſilini, obſidente Hannibale, tantam inopiam perpeſſi ſunt, vt [30] centum denariis murem veniſſe, proditum memoriae ſit, eiusque venditorem fame periiſſe, emtorem autem vixiſſe: fidem tamen ſeruare Romanis perſeuerauerunt.

XXI. Cyzicum quum obpugnaret Mithridates, captiuos eius vrbis produxit, oſtenditque obſeſſis, arbitratus futurum, vt miſeratione ſuorum compelleret ad deditionem oppidanos. At illi cohortati [31] ad patiendum fortiter mortem captiuos, ſeruare Romanis fidem perſeuerauerunt.

apud Strabonem, Stephanum, Πετηλία. Liuius L. XXIII. c. 30. *Petellia in Bruttiis aliquot poſt menſibus, quam coepta oppugnari erat, ab Himilcone, praefecto Annibalis, expugnata eſt. Petilia* conſenſu Codd. MSS. praeferenda reliquis videtur.

28 *Arabricenſes*] Magna eſt in hoc loco ſcripturae varietas, ex qua nihil quidquam certi elici poſſe videatur. Oudendorpio placet maxime *Conſaburenſes*, vtpote proxime ad plerorumque Codicum ſcripturam accedens. de illis v. ad Plin. L. III. c. 3. Idem etiam pro *Herculeio*, vt vulgo legitur, reſcripſit *Hirtuleio*.

29 *Caſilini*] De *Caſilino* eiusque incolis noſter etiam L. III. c. 14. §. 2. et c. XV. §. 3. Quia hi, Praeneſtini illi fuerunt, qui interfectis oppidanis, Caſilinum occuparant, de quibus Liuius L. XXIII. c. 17. et Strabo L. V. p. 249. *Caſilini* hic non gentile, ſed Genitiuum vrbis *Caſilini* cenſet Oudendorpius, non male meo quidem iudicio.

30 *Centum denariis*] *Centum* omnes retinent MSS. et Io. Saresb. *Ducentos denarios* ponunt Valerius Max. L. VII. c. 6. §. 3. Strabo L. V. p. 249. *διακοσίων δραχμῶν πραθέντος μεδίμνου:* pro *μεδίμνου* autem docti viri *μυὸς* legendum verius cenſent. De dira illa fame ita Liuius L. XXIII. c. 19. *Poſtremo ad id ventum inopiae eſt, vt lora detractasque ſcutis pelles, vbi feruida molliſſent aqua, mandere conarentur; nec muribus alioue animali abſtinerent.*

31 *Ad patiendum*] I. Saresber. et P. Bleſenſis *excipiendam*. Sic ſupra *adipiſci mortem* §. 16. et *excipere vulnera* §. 17. vnde *excipere mortem* non incommode dici poſſit. Fors ſcripſerit Frontinus *ad capiendam fortiter mortem:* quo refer ea, quae congeſſi ad Lucan. L. I. v. 461. *animaeque capaces mortis*. Oudend.

XXII. [32] Segouienſes, quum a Viriatho liberi et coniuges caederentur, praeoptauerunt ſpectare ſupplicia pignorum ſuorum, quam ab Romanis deficere.

XXIII. Numantini, ne ſe dederent, fame mori, [33] praefixis foribus domuum ſuarum, maluerunt.

CAP. VI.

De adfectu et moderatione.

Exemplum I.

Q. Fabius, hortante filio, vt locum idoneum paucorum iactura caperet, Visne, inquit, tu ex illis paucis eſſe?

II. Xenophon, quum equo veheretur, et pedites iu-

32 *Segouienſes*] In vulgatis eſt *Aeginenſes cum a Viatotis.* Dici non poteſt, quantum turbent Codd. MSS. in loci huius ſcriptura. Stewechius Palmerii coniecturam ſecutus, verum cenſet *Aeginenſes cum a Boeotiis:* ecquis vero in tanta alias Graecorum leuitate, tam memorabile ſidei erga Romanos exemplum ſperare ſuſtineat? 2 Reg. 2 Hill. *Egouiuenſes cum a Viriatho.* Quartus Reg. *Egouiuenſes cum a Viriatis.* Vaticanus, Mediceus, Leid. ſec. *Segonienſes*, ac optimus Palatinus *Segouienſes.* Cum igitur in vocibus *Egouiuenſes* et *Segonienſes* maxima ſimilitudo cum ſcriptura Cod. Palatin. *Segouienſes* deprehendatur; inſuperque quidam Codd. *Viriathi* nomen diſerte praeferant: dubium mihi quidem non eſt, *Segouienſes* fuiſſe, de quibus hic Frontinus tantam erga Romanos fidem praedicat, quibusque tam atrox calamitas a Viriatho fuit illata: idque eo magis, quod ille Luſitanus imperator *omnia citra vltraque Iberum et Tagum igni ferroque fuit populatus.* Florus L. II. c. 17. §. 15. et Appianus de Bell. Hiſp. p. m. 491. Οὐρίαθος τὴν Καρπητανίαν, εὐδαίμονα χώραν, ἐπιὼν ἀδεῶς, ἐλεηλάτει. Iam vero *Segouia* in finibus Carpetanorum fuit ſita, cuius, praeter Plinium L. III. c. 3. Ptolemaeum L. II. c. 6. etiam Florus in belli Sertoriani deſcriptione L. III. c. 22. facit mentionem.

33 *Praefixis foribus*] Lipſius *praefixi foribus* legendum coniecit: quemadmodum priſci illi Quirites, qui praetextati in curulibus ſuis, vrbe a Gallis expuguata, ſedebant. Nulla autem opus eſt mutatione: nam *praefixis foribus* idem eſt, quod *praecluſis foribus.* Sic Caius L. VI. de Seruit. vrb. praed. *ſi ego per ſtatutum tempus feneſtras meas praefixas habuero, vel obſtruxero.*

iugum quoddam occupare iussisset, [1] vnusque ex eis obmurmurando diceret, facile tam laboriosa sedentem imperare, desiluit, et gregalem equo inposuit, [2] cursu ipse pedestri ad destinatum iugum contendens. Cuius facti ruborem quum perpeti miles non posset, inridentibus conmilitonibus, sponte descendit. Xenophontem vix vniuersi perpulerunt, vt conscenderet equum, et laborem suum in necessaria duci munera reseruaret.

III. [3] Alexander, quum hieme duceret exercitum, residens ad ignem, recognoscere praetereuntes copias coepit: quumque conspexisset quemdam prope exanimatum frigore, considere loco suo iussit, dixitque ei: Si in Persis natus esses, in regia sella rese-

 disse

1 *Vnusque ex eis obmurmurando diceret*] *Vnus ex eis obmurmurando diceret* Edd. Roman. et Bonon. nisi quod in Bonon. *obmurmuraudoque*, quod est et in Edit. Paris. *Diceret* exsulat ab Hillensb. qui mox *impcrarct*. Vnde coniicio *vnusque ex eis obmurmurandò diceret. que* amisit locum suum, et ab aliis post *obmurmurando*, ab aliis post *cursu*, vt vulgo, inepte additum, quod statim videbimus. alioquin et abiectis *τοῖς quc diceret*, legi posset, *vno cx eis obmurmurante*. Sed vt nos dedimus, propius ad MSS. accedit, et cum primis Edd. conuenit. In vulgato laborat Syntaxis. Oudend.

2 *Cursu ipse pedestri*] Tennulius *τὸ pedestri*, quod in MSS. non inuenit, tamquam superfluum carpit, cum nemo nisi pedibus currat. At enim vero commode monet Oudendorpius, *cursum pedestrem* hic opponi *cursui equestri*. Vtrumque certe, et *pedestrem*, et *equestrem cursum*, etiam inter militares meditationes locum habuisse, Tacticorum scripta abunde docent. Vegetius L. I. c. 27. *Decem millia passuum armati instructique omnibus telis pedites militari gradu ire ac redire iubebantur in castra, ita vt aliquam itineris partem cursu alacriore conficerent. Equites quoque diuisi per turmas, armatique similiter tantum itineris peragebant, ita vt ad equestrem meditationem interdum sequerentur, interdum ccderent, et recursu quodam impetus repedarent.* Quid, quod in cliuosis quoque et arduis locis, cum ascendere, tum descendere vtraque acies cogebatur. Onosander c. X. §. 1. *Γυμναζέτω καὶ τὸ ἱππικὸν — ἐν τοῖς ἐπιπέδοις, περὶ αὐτὰς τὰς ῥίζας τῶν λόφων, ἐφ᾽ ὅσον δυνατὸν ἐστι καὶ τῶν τραχέων ἐπιψαύειν.*

3 *Alexander quum* cet.] Hoc singularis et regiae humanitatis exemplum habet Valerius Max. L. V. c. 1. §. 1. ext. et Curtius L. VIII. c. 4. §. 15. *Ecquid intelligis miles, inquit, quanto meliore sorte, quam Persae sub regc viuatis? Illis enim in sella regis consedisse capitale foret, tibi saluti fuit.*

diſſe tibi [4] capital foret; in Macedonia nato, conceditur.

IV. Diuus Auguſtus Veſpaſianus, quum quemdam adoleſcentem, honeſte natum, militiae inhabilem, anguſtiarum rei familiaris cauſſa [5] eductum ad longiorem

4 *Capital*] In vulgatis eſt *capitale* pro *capital*, quod veriſſime, Codd. MSS. adſentientibus, repoſuit eruditiſſimus Frontini editor, Dudum vero, praeter *Modium*, ad Curtii L. VIII. c. 4. §. 15. *Bongarſium* ad Iuſtini L. II. c. 7. *Salmaſium* ad Vopiſci Tacit. c. 9. ſummus *Gronouius* ad Senecam L. III. Controu. c. 8. monuit, in hanc vocem paſſim ſaeuiiſſe librorum vitiatores, qui plerisque in locis veterum ſcriptorum τὸ *capital*, quod antiquiſſimae membranae praeferunt, in vulgatum illud *capitale* peſſime mutarint; ſi quidem ita quoque in legibus priſci illi Quirites: *qui hoc fecerit, capital ſit*, ſubintell. *ei*. Quando abſolute, iudice cl. Waſſe, fere *capital*; cum adiuncto, *capitale* dixerunt: idque veriſſimum putauit.

5 *Eductum ad longiorem ordinem*] Varie hunc locum eruditi viri ſollicitarunt; fruſtra vero, ſi quid iudicare valemus. Modius *deductum*, quod in ora Hittorp. et Wechel. Edd. fuit, male ipſi textui intruſit. Alii *edoctum* temere ſubiecerunt, quod in animaduerſionibus ſuis habet Scriuerius. Lipſius, ſollertiſſimus antiquitatum militarium perſcrutator, cui forte illud *deductum* impoſuit, hunc adoleſcentem, etſi ſtirpe honeſtum, *ad infimos ordines detruſum* interpretatur, de Milit. Rom. L. II. c. 8. p. 116. At enim vero, cum tantum non omnes Codd. MSS. et antiquiores editiones τὸ *eductum* pertinaciter tueantur: non ſine notabili temeritate hanc ſcripturam deſeri arbitramur. *Educi* nimirum *in longiorem ordinem* hoc loco idem eſt, quod apud Tacitum Hiſtoriar. L. IV. c. 59. *altis ordinibus attolli*. En ipſa verba! *Interfectorem Voculae altis ordinibus; ceteros, vt quisque flagitium nauauerat, praemiis attollit*. *Educi* pro *attolli*, *euehi*, *in altum ferri*, apud probatiſſimos ſcriptores ſaepius inueniri, exempla facile probare poſſunt. Sic Virgilius L. II. Aen. 185. vbi diſerte *attollere* et *educere* συνωνύμως poſita leguntur.

Hanc tamen immenſam Calchas attollere molem
Roboribus textis, caeloque educere iuſſit.

Seneca Hercul. Oet. v. 494.

Vtraque nubes Othrys eductus riget.

Lucanus L. II. 428.

Longior educto, qua ſurgit in aera dorſo.

vbi cl. Burmannus v. *educto* elegans dicit verbum de omni re, ſiue natura, ſiue manu in altum ſurgente, laudatque Statium L. VI. Theb. v. 92.

Saltusque educta Lyceos
Extulerat ſupra aſtra caput.

Cum vero LX centuriones quaelibet legio haberet, *longior* omnino ille erat *ordo*, ad quem ex infimis ad primos ordines, vel ad primum pilum, centuriones euehebantur. Et hoc ſenſu capienda ſunt illa Lucani de Scaeua L. VI. 145.

ibi ſanguine multo
Promotus Latiam longo gerit ordine vitem.

Cum nimirum hic Scaeua ante bellum Gallicum, caſtrorum in plebe, tamquam gregarius miles meruiſſet, ibi

giorem ordinem rescisset, censu constituto, honesta missione exauctorauit.

CAP. VII.

De variis consiliis.

Exemplum I.

[1] Caesar dicebat, idem sibi esse consilium aduersus hostem, quod plerisque medicis contra vitia corporum, fame potius, quam ferro superandi.

II. Domitius Corbulo dolabra, [2] id est operibus, hostem vincendum esse dicebat.

III. L. Paullus Imperatorem, senem moribus dicebat esse oportere: significans moderatiora sequenda consilia.

IV. Scipio Africanus fertur dixisse, quum eum quidam parum pugnacem dicerent, Imperatorem me mater, non bellatorem, peperit.

Q 5 V. C.

ibi sua virtute meruit, vt non lenta promotione, ab infimis ad primos ordines ascenderet, sed solito citius primum pilum obtineret, quem hic Lucanus περιφραστικῶς *Latiam longo ordine vitem* appellat. Nec minus de aliis quoque honoribus *longior ordo* reperitur. Statius IV. Silu. 35.

manet insuper ordo
Longior, et totidem felix tibi Roma curules
Terque quaterque dabit.

Sic adolescens hic, honeste natus, ob generis splendorem, ambitioso quodam fauore, vt ipsius paupertati prospiceretur, ad longiorem ordinem quidem fuit euectus: at Vespasianus, cum inhabilem militiae rescisset, eum exauctorauit, honesta tamen missione; et, ne miseram atque ignominiosam vitam ob suam paupertatem agere cogeretur, *censu constituto.* Quo quidem facto Vespasianus et adolescentis dignitati, et disciplinae militari consuluit. Ceterum *eductum* et *deductum* in antiquis libris interdum turbari, docet Torrenius ad Suetonii Caes. c. XLIX.

1 *Caesar*] Sic Caesar L. I. de B. C. c. 72. *Caesar in eam spem venerat, se sine pugna et sine vulnere suorum rem conficere posse; quod re frumentaria aduersarios interclusisset.*

2 *I. e. operibus*] Haec verba Leid. pr. non habet: quare Oudendorpius suspicatur esse glossam, et quosdam *dolabra* in margine explicuisse *id est operibus.* Tales glossas apud nostrum memorat idem, *id est legionarios* L. II. 34. *Id est Epiroticam* L. II. 5. 10.

V. C. Marius Teutono prouocanti eum, et postulanti, vt prodiret, respondit, Si cupidus mortis esset, laqueo eum vitam posse finire. [3] Quum deinde instaret, gladiatorem contemtae staturae, et prope exactae aetatis obiecit ei, dixitque, Si eum superasset, cum victore congressurum.

VI. [4] Q. Sertorius, quod experimento didicerat, inparem se vniuerso Romanorum exercitui, vt barbaros quoque, inconsulte pugnam deposcentes, doceret, adductis in conspectum duobus equis, eorum praeualido alteri, alteri admodum exili, duos admouit iuuenes similiter adfectos, robustum et gracilem: ac robustiori imperauit equi exilis vniuersam caudam abrumpere; gracili autem, [5] valentioris per singulos pilos vellere. Quumque gracili successisset, quod imperatum erat, validissimus cum infirmi equi cauda sine effectu luctaretur: Naturam, inquit Sertorius, [6] Romanarum virium per hoc vobis exemplum ostendi, milites. Insuperabiles sunt vniuersos adgredienti, eosdem lacerabit et carpet, qui per partes adtentauerit.

VII.

3 *Quum deinde instaret*] Pro vulgata *cumque demonstraret ei*, bene cl. Wasse coniecit, *cum deinde instaret, ei glad.* ad Sallust. B. Iug. c. VI. *exacta sua aetate.* Bene dico, quod coniecerit *instaret*, vt et margini Stewech. Edit. adleuerat Scriuerius, et Scriuerianae editioni Gronouius: nam ita diserte Leid. sec. *cum demum instaret*; et melius Vatican. *cum deinde instaret.* Male autem retinet *ei*, quod in nullo reperitur codice, et statim quoque sequitur *obiecit ei*, quae verba desunt in Edit. Keuchenii. *Staret*, quod Tennulius recipiebat, frigidum est. *Instare* sine casu frequenter reperitur pro *vrguere, non remittere a proposito.* Liuius L. II. c. 4. *Euincunt instando, vt litterae sibi a Tarquinio darentur.* Martialis L. XI. ep. 24. *Cum tamen instaret.* Curtius L. VI. 7. 25. *Institit quaerere.* Adde Heins. ad Sabin. Epist. Demoph. 82. *Instantes distulit arte procos.* et alibi saepissime. Oudend.

4 *Q. Sertorius*] Idem hoc exemplum supra iam recensuit noster L. I. c. 10. §. 1. vbi vide.

5 *Valentioris*] Supra l. c. *valentiorem per singulos pilos vellere*: vel potius, vt ibi Codd. MSS. *per singula vellere.*

6 *Romanarum virium*] Supra MSS. omnes retinent *cohortium.* Hic vero *virium* exhibent ex meis quoque Palatin. Medic. pr. Gudian. Cantabr. tert. et Leid. pr. Vere et eleganter. Adi Vorst. et Socerum meum ad Valerii locum. Lucan. L. III. 171.

Proxima vicino vires dat Graecia bello. Oudend.

VII. Valerius [7] Laeuinus Cos quum intra castra sua exploratorem hostium deprehendisset, magnamque copiarum suarum fiduciam haberet, circumduci eum iussit, terrendique hostis caussa, exercitus suos visendos speculatoribus eorum, quoties voluissent, patere.

VIII. [8] Caelius Primipilaris, qui in Germania post Varianam cladem obsessis nostris pro duce fuit, veritus, ne barbari ligna, quae congesta erant, vallo admouerent, et castra eius incenderent, simulata ligno-

7 *Laeuinus*] Cum exploratores in bellis magni sint momenti, eorumque opera saepius multum in vtramque partem valeat: tantum non omnes strategici scriptores peculiaria de iis praecepta componere non dubitarunt, quos modo *occidendos*, modó *seruandos*, si caperentur, praeceperunt. Incolumes, hoc Laeuini exemplo, dimittendos suaserunt, si exercitus dux *ὁπλισμῷ καλῷ κεχρημένος ᾖ, καὶ παρασκευαῖς ἐντελέσι, καὶ δυνάμει πολλῇ, καὶ εὐεξίᾳ σωμάτων, καὶ πειθηνίῳ στρατεύματι, καὶ ἡγεμόσιν ἀρίστοις, καὶ ἐμπειρίᾳ μεμελετημένῃ*, vt habet Onosander c. X. §. 3. vbi simul huius praecepti addit rationem: *τὰ μὲν γὰρ πλεονεκτήματα τῶν ἀντιπάλων ἀγγελλόμενα φοβεῖσθαι συνηνάγκασε· τὰ δὲ ἐλαττώματα θαῤῥεῖν παρεστήσατο.* Quem presso pede sequitur Leo c. XVI. §. 114. cap. XX. §. 84. 87. Adde Mauricium L. II. p. 66. et L. VIII. p. 185. 231. Iulius Africanus c. LXXI. Xenophont. Cyrop. p. 355. 360. edit. Wellf. Luculentum huius consilii exemplum praebet Scipio, qui cum tres Carthaginiensium speculatores comprehendisset, quamquam lege Romanorum interficiendos, prandio excepit et ad Annibalem remisit: qui reuersi *τῷ τε Ἀννίβᾳ καὶ τοῖς ἄλλοις Καρχηδονίοις ταῦτα ἀπαγγείλαντες, ἐξέπληξαν αὐτοὺς, καὶ τῇ Ῥωμαίων παρασκευῇ, καὶ τῇ Σκηπίωνος μεγαλοψυχίᾳ.* v. Polyaenus L. VIII. c. 16. §. 8. coll. Polyb. T. II. p. 966. et Liuio L. XXX. c. 29.

8 *Caelius*] De hisce post Varianam cladem obsessis agit auctor etiam L. III. c. 15. §. 4. at non nominato duce. Pro *Caelius* hoc loco MSS. *Cedius* l. *Caedius*. *Cecilius* Ed. Rom. *Cecilius* Bonon. Fuit tunc temporis *Coelius Caldus*, qui captus in praelio, se ipse mox interfecit. At vero omnino intelligi nequit: quare mecum emenda *Caeditius*, et audi Vell. Paterc. L. II. c. 120. *Lucii etiam Caeditii, praefecti castrorum, eorumque, qui vna circumdati* (post Varianam cladem) *Alisone immensis Germanorum copiis obsidebantur, laudanda virtus est, qui omnibus difficultatibus superatis, quas inopia rerum intolerabiles, vis hostium faciebat inexsuperabiles, nec temerario consilio, nec segni prouidentia vsi, speculatique opportunitatem, ferro sibi ad suos peperere reditum.* *Caeditii* nomen alibi apud nostrum quoque in *Cedium* est corruptum. L. I. c. 5. §. 15. L. IV. c. 5. §. 10. Oudendorpius.

lignorum inopia, miſſis vndique, qui ea furarentur, effecit, vt Germani vniuerſos truncos amolirentur.

IX. Cn. Scipio, bello nauali, amphoras pice et taeda plenas in hoſtium claſſem iaculatus eſt, quarum iactus et pondere foret noxius, et diffundendo, quae continuerant, alimentum praeſtaret incendio.

X. Hannibal Regi Antiocho monſtrauit, vt in hoſtium claſſem [9] vaſcula iacularetur viperis plena, [10] quarum metu perterriti milites a dimicatione et nauticis miniſteriis inpedirentur.

XI. Idem fecit, iam cedente claſſe ſua, [11] Pruſias.

XII. M. Porcius inpetu [12] in claſſem hoſtium quum tranſiluiſſet, deturbatis ex ea Poenis, eorumque armis et inſignibus inter ſuos diſtributis, multas naues hoſtium, quos ſociali habitu fefellerat, merſit.

XIII. Athenienſes, quum ſubinde a Lacedaemoniis infeſtarentur, diebus feſtis, quos ſacros Mineruae extra vrbem celebrabant, omnem quidem colentium imi-

9 *Vaſcula*] Sic Hannibal in bello Pruſiae cum Eumene geſto, *quam plurimas venenatas ſerpentes viuas colligi, easque in vaſa fictilia coniici imperauit.* Nepos in Hannib. c. X. §. 4. et c. XI. §. 5. Quod commentum nouum prorſus vocat Iuſtinus L. XXXII. c. 4. *omne ſerpentium genus in fictiles lagenas coniici iuſſit, medioque praelio in naues hoſtium mitti.*

10 *Quarum metu*] *Quare perterriti* MSS. Scriuer. *Praeterriti* Leid. ſec. Pro *nauticis* Lipſius margini adleuit *nautici*, vt milites a dimicatione, et ſocios nauales a miniſteriis impeditos dixerit Frontinus. Certe non male. Paſſim enim nautas a militibus diſtinxerunt veteres. Vid. Scheffer de milit. nau. L. II. c. 3. 4. Liuius L. XXXVII. c. 28. *egreſſi milites nautaeque ſunt.* Supra L. III. c. 2. §. 2. *milites remigesque.* Mallem tamen repetere praepoſitionem, *nautici a miniſteriis.*

11 *Pruſias*] Sic Hannibalis conſilio, vaſis illis fictilibus, venenatis ſerpentibus plenis, Pruſias arma Pergamenorum ſuperauit. Nepos l. c. c. XI. §. 6.

12 *In claſſem*] Sic lege ex MSS. et Edd. vett. Male in Edd. Keuchenii et Tennulii exſulat Praepoſitio *in.* Statim etiam repoſui *tranſiluiſſet* ex MSS. octo, et Edd. ante Keuchen. v. ad L. II. 4. 11. Per *claſſem* autem intellige magnam nauem, et conſule notata ad Lucan. L. VIII. 575. *claſſemque relinquere iuſſus.* Oudend.

imitationem expresserunt, [13] armis tamen sub veste celatis. Peracto ritu suo, non statim Athenas reuersi, sed protenus inde raptim acto [14] Lacedaemonem versus agmine, eo tempore, quo minime timebantur, agrum hostium, quibus subinde praedae fuerant, vltro depopulati sunt.

XIV. Cassius onerarias naues, non magni ad alia vsus, accensas obportuno vento in classem hostium misit, et incendio eam consumsit.

XV. [15] M. Liuius, fuso Hasdrubale, hortantibus eum quibusdam, vt hostem ad internecionem persequeretur, respondit: Aliqui et supersint, qui de victoria nostra hostibus nuntient.

XVI. [16] Scipio Africanus dicere solitus est, hosti non

13 *Armis tamen*] *Tamen et vest.* exhibent meorum octo, et Edd. primae. Ceteri cum Paris. et Wech. Edd. *tantum et.* Sed Petrensis vere, quod reposui, *tamen sub veste.* Scilicet in Panathenaeis licitum erat viris arma gerere, quod docet Meursius libro de Panath. c. 21. ex Thucydid. L. VI. p. 451. *Παναθήναια τὰ μεγάλα, ἐν ᾗ μόνον ἡμέρᾳ οὐχ ὕποπτον ἐγένετο, ἐν ὅπλοις τῶν πολιτῶν τοὺς τὴν πομπὴν προπέμψαντας, ἀθρόους γενέσθαι.* Ea igitur vt fallerent hostes, sub veste celauerunt. Si *et* legas, videretur hoc contra morem fuisse, vt arma in hoc festo gererent. Oudendorpius.

14 *Lacedaemonem versus*] Ipsa rei gestae conditio, et situs huius vrbis, quam non nauibus, sed *agmine facto* Athenienses petierunt, clare docent, non ipsam vrbem Lacedaemona; sed agrum Laconum ditioni subiectum intelligi. Nam *Lacedaemon* tam de vrbe, quam de regione dicitur, vt testis est Strabo L. VIII. p. 367. *Λακεδαίμων ὁμωνύμως λέγεται, καὶ ἡ χώρα, καὶ ἡ πόλις.* Et Pausanias L. III. c. I. *πρῶτον μὲν τῇ χώρᾳ καὶ τοῖς ἀνθρώποις μετέθετο ἀφ' αὐτοῦ τὰ ὀνόματα.*

15 *M. Liuius*] Erat hic *M. Liuius Salinator*, de quo noster etiam L. I. c. 1. §. 9. et L. II. c. 3. §. 8. Pugna illa caede Poenorum tam memorabilis fuit, vt *hostium quinquaginta sex millia fuerint occisa, redditaque aequa Cannensi clades, vel ducis, vel exercitus interitu videretur*, teste Liuio L. XXVII. c. 51. vbi fere hoc Liuii responsum, paullum mutatis verbis: *supersint aliqui nuntii, et hostium cladis, et nostrae virtutis.*

16 *Scipio Africanus*] De hoc Scipionis dicto ita etiam Vegetius L. III. c. 21. *Ideoque Scipionis laudata est sententia, qui dixit, viam hostibus, qua fugiant, muniendam.* Prudenter adeo Lycurgus legem dedit Laconibus: *τοὺς πολεμίους φεύγοντας μὴ φονεύετε, ἵνα μὴ τοῦ φεύγειν ἡγοῖντο τὸ μένειν λυσιτελέστερον.* v. Polyaenus L. I. c. 16. §. 3.

non solum dandam esse viam fugiendi, sed etiam muniendam.

XVII. [17] Paches Atheniensis adfirmauit, incolumes futuros hostes, si deponerent ferrum: [18] eiusque obsecutos conditionibus, vniuersos, qui [19] in sagulis ferreas fibulas habuissent, interfici iussit.

XVIII. Hasdrubal subigendorum Numidarum caussa ingressus fines eorum, resistere parantibus adfirmauit, ad capiendos se venisse elephantos, [20] quibus ferax est Numidia. [21] Vt hoc permitterent, poscen-

17 *Paches*] Similis perfidiae exemplum de hoc Pachete refert Polyaenus L. III. c. 2. Quod si ἐξ ὀνύχων λέοντα, facile hic quoque *Pachetem* agnoscas, quem Codd. Palatin. et Leid. sec. habent; atque hanc scripturam vulgatae, quae *Pericles* seruat, recte praeferri.

18 *Eiusque obsecutos*] MSS. ad vnum omnes, et Edd. Rom. ac Paris. *eisque obsecutis*, i. e. cum illi obsecuti essent. Vulgatam lectionem concinnauit Beroaldus. Mallem ad vitandam duritiem, *conditioni*. Num *obsignatis conditionibus?* Vix puto. Oudend.

19 *In sagulis*] Corrupte in MSS. quinque et Edd. primis *singulis* vel *cingulis*. Quis enim nescit, et *chlamydes* Graecorum, et *sagula* Romanorum vtplurimum fibulis, modo ferreis, modo argenteis et aureis, immo gemmatis fuisse constricta? vnde *fibulatoria* et *fibulata* dicebantur. v. Salmas. in Spartian. p. m. 23. et in Trebell. Pollion. p. 303. Contra miserorum, vt illius Achaemenidis Graeci, *chlamydes* vel *saga* vilioribus quoque fibulis erant stricta. Sic Virgilius L. III. Aen. 594.

Consertum tegumen spinis: at cetera Graius.

Hinc etiam Scipio, cum perditum luxuria Romanorum exercitum ad veterem disciplinam vellet reuocare, iussit eum ἱματίῳ χρῆσθαι σισύρᾳ Γαλατικῇ. καὶ πρῶτος ἐνεπορπήσατο σισύραν μέλαιναν. Polyaen. L. VIII. c. 16. §. 2. Erat autem Σίσυρα l. σίσυρνα, χιτὼν σκύτινος, ἔντριχος, χειριδωτός. v. Pollux L. VII. c. 15.

20 *Quibus ferax*] Dubitat Oudendorpius, recte hic Ablatiuum sibi iunctum habeat *ferax*, necne; idque eo magis, quod Petrensis Cod. clare exaratum habeat, *quorum*. At enim vero hanc vocem Ablatiuo quoque iunctam reperiri, docet locus Plinii L. IV. ep. 15. §. 8. *Vellem tam ferax saeculum bonis artibus haberemus.* quamquam idem L. II. ep. 17. §. 15. *quarum arborum vel maxime ferax est terra.* L. VIII. ep. 20. §. 2. *miraculorum ferax commendatrixque terra.* Qua re vnius Voss. pr. auctoritate damnari nolim illud Quinctil. Declam. XIII. c. 2. *non frumentis ferax.* vid. tamen Heins. ad Ouid. L. II. Amor. XVI. 7.

21 *Vt hoc permitterent*] Vitiosam sine dubio hanc scripturam pronunciat Oudendorpius, et non persanandam; nisi ope meliorum Codicum. Quid, si *securitatem* ad verbum *promisit*, mente repetamus; vel *eam* subaudiamus: cuiusmodi exempla vel in Caesare, qui nimius fere alias in repetendis vocibus, me legisse memini.

poſcentibus ſecuritatem promiſit: et ea perſuaſione auocatos adortus, ſub leges redegit.

XIX. [22] Alcetas Lacedaemonius, vt Thebanorum commeatum facilius ex inopinato adgrederetur, in occulto paratis nauibus, tamquam vnam omnino haberet triremem, vicibus in ea remigem exercebat: quodam deinde tempore omnes naues in Thebanos transnauigantes immiſit, et commeatibus eorum potitus eſt.

XX. Ptolemaeus aduerſus Perdiccam, exercitu praeualentem, ipſe inualidus, omne pecudum genus, religatis [23] a tergo, quae traherent, [24] ſarmentis, agen-

22 *Alcetas Lacedaemonius*] Eamdem hiſtoriam refert Polyaenus L. II. c. 7. vbi recte Caſaubonus ex noſtro pro *μέρος* reponit *ἀνὰ μέρος*, *vicibus*. Simile ſtrategema vid. apud Caeſar. de B. C. L. III. c. 24. et Nepot. in Dion. c. 9.

23 *A tergo*] Sic praeter Tennulii codices, etiam Gudian. Leid. ſec. Petrenſ. et Cantabrig. ſec. vere. vt L. III. 9. 3. *Scutis gladiisque a tergo aptatis*. vbi vide. Non ad tergum, ſed caudas religata erant ſarmenta. *a tergo*, i. e. a poſteriore parte. Oudendorpius.

24 *Sarmentis*] Veriſſime, niſi me omnia fallunt, quamquam in pertinaci omnium Codd. MSS. conſenſu, pro vulgata *carpentis* legendum eſſe *ſarmentis*, coniecit Weſſelingius. cuius inſuper coniecturae fauet Polyaenus L. IV. cap. 18.. προσέταξεν ἑκάστῳ ζώῳ φευγάνων φορτία ἐκδῆσαι, ὅπως ἐπισυρόμενον κονιορτὸν ἐγείροι πλεῖστον. Puluerem autem ſignum eſſe aduenientis exercitus, cum res ipſa, tum plurima veterum ſcriptorum exempla probare poſſunt. Sic Onoſander c. VI. καὶ γὰρ κονιορτὸς ἀναφαινόμενος μεθ᾽ ἡμέραν, ἐμήνυσε τὴν τῶν πολεμίων ἔφοδον. Vegetius L. III. c. 5. *Item mutum et commune ſignum eſt, quotiens proficiſcente turba excitatus puluis ad ſimilitudinem nubium ſurgit, hoſtiumque prodit aduentum.* Homerus Iliad. Γ. v. 13.

Ὡς ἄρα τῶν ὑπὸ ποσσὶ κονίσσαλος ὄρνυτ᾽ ἀελλής
Ἐρχομένων, μάλα δ᾽ ὦκα διέπρησσον πεδίοιο.

Virgilius L. IX. Aen. 33.

Hic ſubitam nigro glomerari puluere nubem
Proſpiciunt Teucri.

et v. 37.

Quis globus, o ciues, caligine voluitur atra!
Ferte citi ferrum, date tela, et ſcandite muros.
Hoſtis adeſt, eia.

Adde Salluſtium Iug. c. LVII. et ad eum cl. Waſſe. Caeſar. de B. G. L. IV. c. 32. Sicuti autem *frondoſi rami* et *ſarmenta* ad ignem diffundendum; ita etiam per terram tracta, ad puluerem excitandum inprimis faciunt. Hinc Liuius L. X. c. 41. *Puluerem maiorem quam pro numero excitabant inſidentes mulis calones; frondoſos ramos*

agendum per paucos curauit equites: ipse praegressus cum copiis, quas habebat, effecit, vt puluis, quem pecora excitauerant, speciem magni sequentis exercitus moueret, cuius exspectatione territum vicit hostem.

XXI. [25] Myronides Atheniensis aduersus Thebanos, equitatu praeualentes, pugnaturus, in campis suos edocuit, [26] manentibus esse spem aliquam salutis, cedentibus autem perniciosissimum. Qua ratione confirmatis militibus, victoriam consecutus est.

XXII. [27] L. Pinarius in Sicilia praesidio Hennae praepositus, claues portarum, quas penes se habebat, reposcentibus Magistratibus Hennensium, quod suspectos eos, tamquam transitionem ad Poenum pararent, habebat, petit vnius noctis ad deliberationem spatium: indicataque militibus fraude Graecorum, quum praecepisset, vt parati postera die signum exspectarent, prima luce [28] adsistentibus redditurum se claues dixit, si

ramos per terram trahebant. Nepos in Hannib. c. V. *Namque obducta nocte, sarmenta in cornibus iuuencorum deligata incendit.*

25 *Myronides*] Eamdem historiam refert Polyaenus L. I. c. 35. §. 2. vnde patet, *Myrodines* in vulgatis esse corruptum. Gr. Μυρωνίδης.

26 *Manentibus esse spem aliquam salutis*] In vniuersum Strategici monent μηδὲν ἄμεινον εἶναι τοῦ μένειν ἐν τάξει, μηδὲ ἐπισφαλέστερον τοῦ λύειν. Onosand. c. XXVII. Huius praecepti vtilitatem in primis perspexit Cleandridas, Thuriorum dux. Polyaen. L. II. c. 10. §. 2. Quare praecipuum dixit ex institutis disciplinae militaris Romanorum Polybius, τὸ μὴ φεύγειν, μηδὲ λείπειν τὰς τάξεις, T. I. p. 326. Adde Aelian. Tact. c. III.

27 *L. Pinarius*] In quibusdam Codd. MSS. legitur *C. Pinarius.* Verum *L. Pinarius* veram esse scripturam probat Liuius L. XXIV. c. 37. qui hanc historiam pluribus narrat.

28 *Adsistentibus*] In impressis additum legitur *militibus.* Deest autem haec vox in Medic. pr. Leid. sec. Vaticano et Edd. Italicis, et certe delenda est. Non minatus iis est Pinarius, se redditurum claues, dum adsistebant sibi milites; sed tantum, se redditurum eas illis adsistentibus prima luce, si omnes idem censuissent. Liuius, *Tum Pinarius: at illi, si ad consulem grauarentur mittere, sibi saltem darent populi concilium; vt sciretur, vtrum paucorum denuntiata, an vniuersae ciuitatis essent. Consensu in posterum diem concio edicitur.* Pinarius tum, *conuocatis militibus*, inquit etc. Adde Polyae-

ſi idem omnes Hennenſes cenſuiſſent. Ob eam cauſſam vniuerſa multitudine conuocata in theatrum, et idem flagitante, manifeſta deficiendi voluntate, ſigno militibus dato, vniuerſos Hennenſes cecidit.

XXIII. Iphicrates, dux Athenienſium, claſſem ſuam hoſtili habitu inſtruxit, et ad eos, quos ſuſpectos habebat, inuectus, quum effuſo ſtudio exciperetur, deprehenſa eorum perfidia, oppidum diripuit.

XXIV. [29] Ti. Gracchus, quum edixiſſet futurum, vt ex volonum numero fortibus libertatem daret, ignauos crucibus adfigeret, et quatuor millia ex his, qui ſegnius pugnauerant, metu poenae in quemdam munitum collem coiſſent, miſit, qui eis dicerent, totum ſibi exercitum volonum viciſſe videri, quod hoſtes fugiſſent: et ſic eos, [30] et ſua fide, et ipſorum metu exſolutos, recepit.

XXV. Hannibal poſt proelium, quo ingentem cladem ad Thraſymenum Romani acceperunt, quum ſex millia hoſtium, interpoſita pactione, in poteſtatem ſuam redegiſſet, ſocios Latini nominis [31] benigne in ciui-

lyaenum L. VIII. c. 21. Quia autem pro *ſi* in Vaticano eſt *ſimul*; in Edd. Italicis *ſic:* forſan coniicias *ſimul* addendum eſſe τῷ *adſiſtentibus*. Quidquid hoc ſit, deleui τὸ *militibus*, auctoritate MSS. et hoſtoria ac ratione iubente. Abſurdum enim foret. Oudend.

29 *Tiber. Gracchus*] Monſtrum lectionis, *Tigracus*, quod in vulgatis olim circumferebatur, primus ſuſtulit feliciter Stewechius, veramque ſcripturam *Tiberius Gracchus* repoſuit. Quam doctiſſimi viri coniecturam, praeter plures Codd. MSS. inprimis tuetur Liuius, qui eamdem rem plenius narrat L. XXIV. c. 14. et ſeqq. Promiſſum Gracchi hoc erat: *qui caput hoſtis retuliſſet, eum ſe extemplo liberum iuſſurum eſſe; qui loco ceſſiſſet, in eum ſeruili ſupplicio animaduerſurum.* quae poſtrema verba diſerte probant, male pro *crucibus adfigeret*, a librariis ſuppoſitum eſſe *cruciatibus afficeret:* nam *crucem* ſeruorum tuiſſe poenam abunde conſtat.

30 *Et ſua fide*] *Ab ſua fide* Medic. ſec. *ſolutos* Leid. ſec. Lipſius volebat *exſoluto*. Liuius in hac re, vt paſſim ille aliique, *exſoluta fide publica*. Sed vide ad §. 35. Pro *ipſorum* Hillensb. *ſuorum*. Oudendorpius.

31 *Benigne in ciuit. ſ. dimiſit*] Prudenter callidiſſimus imperator victos Latinos benigne in ſuas domos dimiſit. Oportet enim imperatorem

ciuitates ſuas dimiſit, dictitans, ſe Italiae liberandae cauſſa bellum gerere: eorumque opera aliquot populos in deditionem accepit.

XXVI. Mago, quum Locri obſiderentur a [32] Criſpino, claſſis noſtrae praefecto, diffudit ad Romana caſtra rumorem, Hannibalem, caeſo Marcello, ad liberandos obſidione Locros venire: clam deinde equites emiſſos iuſſit a montibus, qui in conſpectu erant, ſe oſtendere. Quo facto, effecit, vt Criſpinus, Hannibalem adeſſe ratus, conſcenderet naues, ac fugeret.

XXVII. Scipio Aemilianus, ad Numantiam, omnibus non cohortibus tantum, ſed centuriis [33] ſagittarios et funditores interpoſuit.

XXVIII. Pelopidas Thebanus, quum a Theſſalis in

torem non ſolum cogitare in bello, τὰ ἄδηλα τῆς τύχης, καὶ τὸ παλίντροπον τοῦ δαιμονίου: ſed nihil quoque ad capiendos ſibique adiungendos aliorum animos eſſe efficacius erga victos humanitate atque clementia. Hinc Onoſander cap. XXXVIII. Ταῖς δὲ προσχωρούσαις πόλεσιν — φιλανθρώπως καὶ χρηστῶς προσφερέσθω. προσάγοιτο γὰρ ἂν οὕτως καὶ τὰς ἄλλας. Sic Scipionis humanitate vniuerſa Hiſpanorum gens victa, imperio populi Romani acceſſit, vt noſter habet L. II. c. 10. §. 5. Plura qui cupit, adeat Leonem c. XV. §. 11. 12. 37. 40. c. XVIII. §. 105. Mauric. L. X. c. 1. Polybium T. I. p. 502. 781. T. II. p. 1037. 1099. Xenophont. Cyrop. p. 236. 511. ed. Wellſ.

32 *Criſpino*] Perperam. nam Criſpinus erat conſul, et collega Marcelli, eiusdemque praelii conſors, vt recte noſter ipſe mox §. 38. Praefectus vero claſſis erat L. Cincius Alimentus. Errorem hunc iam animaduertit cl. Weſſelingius L. II. Obſ. c. 8. Lege omnino Liuium L. XXVII. c. 28. *a Criſpino* habet hic Petrenſis. Oudendorpius.

33 *Sagittarios et funditores*] Hi ad leuis armaturae milites, Gr. ψιλοὺς, pertinebant; variisque modis, pro regionum conditione, plerumque tamen ante primam aciem collocabantur, praeliumque inchoabant: quod, praeter alios, probant Thucydides L. VI. c. 69. Aelianus c. XV. Leo cap. XIV. §. 102. Sic Vegetius quoque L. II. c. 19. *Ferentarii autem et leuis armatura, ſcutatores, ſagittarii, funditores, aduerſarios prouocabant ante aciem procedentes.* Reliquarum ordinationum leuis armaturae incommoda refert Onoſander c. XVII.

in fugam verſus, [34] flumen, in quo [35] tumultuarium fecerat pontem, liberaſſet, ne ſequentibus hoſtibus idem tranſitus maneret, nouiſſimo agmini praecepit, incenderent pontem.

XXIX. Romani quum Campanis equitibus nullo modo pares eſſent, Q. Naeuius Centurio in exercitu Fuluii Flacci Procos. excogitauit, vt delectos ex toto exercitu, qui velociſſimi videbantur, et mediocris erant ſtaturae, parmulis non amplis, et [36] galericulis gladiisque, ac ſeptenis ſingulos haſtis quaternorum circiter pedum armaret, eosque, adiunctos equitibus, iuberet vſque ad moenia prouehi; deinde ibi poſitis noſtris equitibus, incipere inter hoſtium equitatum proeliari. Quo facto vehementer et ipſi Campani adflicti

ſunt,

34 *Flumen liberaſſet*] Stewechius pro hac locutione, Latina prorſus, omniumque Codd. MSS. fide comprobata, cum hic, tum alibi *flumen ſuperaſſet* repoſuit. Veram autem eſſe ſcripturam *flumen liberare*, nec loco mouendam, ſupra ad L. I. c. 5. §. 3. monuimus.

35 *Tumultuarium pontem*] *Tumultuaria* veteribus dicebantur, quaecumque, vrgente neceſſitate, raptim feſtinanterque fiebant. Sic *tumultuaria caſtra*, *pons*, *foſſa* aliaque occurrunt: et *milites tumultuarii*, qui ob tumultum, atque inopinum periculum conſcripti fuerunt. Liuius L. XXXV. c. 2. *Si tumultus in Hiſpania eſſet, placere tumultuarios milites extra Italiam ſcribi a Praetore.* Vegetius L. III. c. 8. *Tunc opere tumultuario foſſa percutitur.* L. I. c. 24. *Deinde tumultuaria foſſa ſit lata pedes nouem, et alta pedes ſeptem.*

36 *Galericulis*] Varie hunc locum corruperunt rudes librarii. *Galericulus* l. Galerus tegumentum fuit militare, quo velites vſi fuerunt. Polybius T. I. p. 652. *προσεπικοσμεῖται δὲ καὶ λιτῷ περικεφαλαίῳ, ποτὲ δὲ καὶ λυκείαν, ἤ τι τῶν τοιούτων ἐπιτίθεται, σκέπης ἅμα καὶ σημείου χάριν.* vbi eadem quae noſter arma, *μάχαιραν, γρόσφους, καὶ πάρμην*, *gladium, haſtas* et *parmam*, velitibus tribuit. Virgilius L. VII. 688.

fuluosque lupi de pelle galeros
Tegmen habent capiti.

vbi Seruius: *galerus*, genus eſt pilei. Saepius vero pedites velocitate conſpicui equitibus interpoſiti fuerunt. Apud Germanos hunc morem obtinuiſſe teſtis eſt Tacitus de mor. German. c. VI. *Plus penes peditem roboris; eoque mixti praeliantur, apta et congruente ad equeſtrem pugnam velocitate peditum, quos ex omni iuuentute delectos ante aciem locant.* Qua re Caeſar ex Germania equites arceſſiuit, et leuis armaturae pedites, qui inter eos praeliari conſueuerant, L. VII. B. G. c. 65.

ſunt, et maxime equi eorum: quibus turbatis, prona noſtris victoria fuit.

XXX. P. Scipio in Lydia, quum die ac nocte imbre continuo vexatum exercitum Antiochi videret, nec homines tantum aut equos deficere, verum arcus quoque madentibus neruis inhabiles factos, exhortatus eſt [37] fratrem, vt poſtero, quamuis religioſo, die committeretur proelium. Quam ſententiam ſecuta victoria eſt.

XXXI. Catonem vaſtantem Hiſpaniam, legati Ilergetum, qui ſociorum populus erat, adierunt, orauerunt que auxilia. Ille, ne aut abnegato [38] adiutorio ſocios alienaret, aut diducto exercitu vires minueret, tertiam partem militum cibaria parare, et naues adſcendere iuſſit, dato praecepto, vt [39] cauſſati ventos, retro redirent. Praecedens interim aduentantis auxilii rumor, vt [40] Ilergetum excitauit animos, ita hoſtium conſilia diſcuſſit.

XXXII. C. Caeſar, quum in partibus Pompeianis magna

37 *Fratrem*] Frater erat L. Scipio. Verum P. Scipio fratrem ad id exhortari non potuit: aeger enim Elaeae iacebat, teſte Liuio L. XXXVII. cap. 37. et ſeqq. et Appiano in Syriac. p. m. 170. etc. qui ambo deſcripſerunt Polybium hic deperditum. Oudend.

38 *Adiutorio*] Duo Cantabrig. praeferunt *auxilio*, minus recte. nam v. *adiutorium*, praeter alios ſcriptores, alibi quoque vtitur Frontinus. L. II. c. 5. n. 11. *et ipſi tamquam in adiutorium exierunt.* L. I. c. 2. n. 6. *Quo ipſi duces nullo extrinſecus adiutorio per ſe prouident.*

39 *Cauſſati ventos*] Latet mendum. non opus enim erat, vt hoc cauſſarentur, qui redirent ad Catonem ipſum. Liuius ait, eos nondum profectos fuiſſe, ſed legatis profectis, *Conſulem, vbi ſatis, quod in ſpeciem fuit, oſtentatum eſt, reuocari ex nauibus milites iuſſiſſe.* Oudendorpius.

40 *Ilergetum*] Communis hic fere eſt Codd. MSS. corruptio, qui tantum non omnes exhibent *Legetum*, qnod nauci plane eſt. Petrenſis habet *Lelegum*, quos Graeciae incolas mirum eſt rudi librario in menrem venire potuiſſe. *Ilergetum* genuinam eſſe lectionem, extra omnem dubitationem ponit Liuius L. XXXIV. c. 12. *In Hiſpania interim conſul haud procul Emporiis caſtra babebat: eo legati tres ab Ilergetum regulo Biliſtage, in quibus vnus filius erat, venerunt.* Ἰλεργετῶν, Hiſpaniae populi, prope Iberum, meminit etiam Strabo p. 162. Ptolemaeus, aliique.

magna equitum Romanorum esset manus, [41] eaque armorum scientia milites conficeret, ora oculosque eorum gladiis peti iussit: et sic [42] auersam aciem cedere coegit.

 XXXIII.

41 *Eaque armorum scientia milites conficeret.*] Id est ad verbum: et ea manus equitum conturbaret, et quasi metu quodam exanimaret pedites Caesarianos sua armorum scientia. At hunc sermonem inquinatum et sententiae expertem esse, aiunt Barthius L. VI. Aduers. c. 26. et Rubenius in Elect. L. II. c. 32. Barthiusque corrigit, vt putat, vere, *eaque formarum nitentia milites afficeret*; cui coniecturae fauet, quod eam ob caussam quidam dicant iussisse Caesarem eorum ora peti, vt formae suae metuentes iuuenes illi delicati, qui in Pompeii castris erant, statim hoc animaduerso cederent: vt clare Polyaen. L. VIII. c. 23. §. 25. et Plutarchus in Pomp. p. 656. et alii. Verum praeterquam quod vel sic *conficeret* non mutem, *nitentia* pro *nitore* vox non est Latina. Rectius coniecit Rubenius: *Suique armorum scientia militis confideret.* Sed et haec intricatior est constructio, et a MSS. lectione nimis recedit, quae tamen non placet. Qua re legendum ego opinor, *eaque armorum magnificentia*, i. e. is splendor equitum. Ipse Caesar eam metuit, teste Plutarcho ibid: Καὶ φοβηθεὶς τὴν λαμπρότητα τοῦ ὁπλισμοῦ etc. et in Caesare p. 728. καὶ δεδοικὼς τὴν λαμπρότητα καὶ τὸ πλῆθος ἱππέων. Adde Caesar. L. III. B. Ciu. c. 84. Splendor autem ille recte appellatur *Magnificentia*. Curtius L. V. c. 1. §. 23. *Equites suo atque equorum cultu ad luxuriam magis, quam ad magnificentiam exacto, vltimi ibant.* Sic *magnificentia epularum*, *magnificentissimum spectaculum*, *magnificentissimus triumphus*, et similia. *Scientia* tamen non omnino damno. Caesaris enim milites facile credere potuerunt, equites illos Pompeianos numero VII M. armorum adeo peritos esse, cum scirent, equestrem iuuentutem tanto cum ardore se exercere semper in armis. Lipsius ad oram libri sui reposuit *multum conficeret*. notauitque in Vet. libro esse *confunderet*. Oudend. Valde placet τὸ *confunderet*. Sic Lucanus L. VII. 575.

Aduersosque iubet ferro confundere vultus.

Idem L. VII. 127.

trepido confusa tumultu
Castra fremunt, animique truces
sua pectora pulsant.

42 *Auersam aciem cedere coegit*] In vulgatis est *aduersam faciem caedere coegit.* Verum, cum haec lectio, cum antecedentibus collata, meram prodat περισσολογίαν; insuperque longiores hastae et gladii, quibus Caesariani nobilium illorum equitum, qui in partibus Pompeianis erant, facies ferire iubebantur, terrorem ipsis adferrent auerterentque; ac denique *auersam* aliquot vett. libri, *aciem* antiquior Mediceus, et *cedere* omnes MSS. praeferant: ipsi rei conuenienter Oudendorpius reposuit *auersam aciem cedere coegit*, cui nos omnino suffragamur. Certe non omnes tam firmo sunt pectore, vt hastas gladiosque, in praelii concursu, irretortis oculis valeant intueri; vereque Tacitus de mor. Germ. c. XLIII. *primi in omnibus praeliis oculi vincuntur.* Quae cum ita sint, non solum Tacticae rei scriptores *armorum splendorem* in exercitu commendarunt; sed prudentissimi quique imperato-

res

XXXIII. Vaccaei, quum a Sempronio Graccho collatis signis vrguerentur, vniuersas copias cinxere plaustris, quae inpleuerant fortissimis viris, muliebri veste tectis. Sempronium quoque, tamquam aduersus feminas, audentius ad obsidendos hostes consurgentem, hi, qui in plaustris erant, adgressi fugauerunt.

XXXIV. Eumenes [43] Cardianus ex successoribus Alexandri, in castello quodam clausus, quo exercere equos non poterat, certis quotidie horis ita suspendebat, vt posterioribus pedibus innixi, prioribus adleuatis, dum naturalem adsistendi adpetunt consuetudinem, ad sudorem [44] vndique crura iactarent.

XXXV.

res eiusdem curam sibi habendam esse existimarunt. Cuius rei hanc reddit rationem Onolander c. XXVIII. Δεινότεροι γὰρ οἱ ἐπιόντες φαίνονται λόχοι τοῖς τῶν ὅπλων αἰθύγμασιν· καὶ πολλὰ τὰ δι᾽ ὄψεως δείματα προσεμπίπτοντα ταῖς ψυχαῖς ταράττει τὸ ἀντιπόλεμον. Cui iungi possunt Leo c. V. §. 12. c. VI. §. 3. c. XIV. §. 37. 112. Mauricius L. VII. c. 15. Constantinus p. 12. Xenophon. Cyr. p. 395. Hinc Philopoemen maximus Achaeorum dux dicere solebat: μεγάλα τὴν λαμπρότητα συμβάλλεσθαι πρὸς ἔκπληξιν τῶν ὑπεναντίων. Polyb T. I. p. 876. Plura nos ad Onosandri c. XXVIII.

43 *Cardianus*] In plerisque MSS. et Edd. male legitur *Sardianus*, pro quo omnino reponendum est *Cardianus*, a *Cardia*, Thraciae vrbe, quam patriam Eumenes habuit, testibus Plutarcho et Nepote in eiusdem vita. Huius vrbis facit mentionem Stephanus: Καρδία, πόλις τῆς ἐν Θράκῃ Χερρονήσου· et Scholiastes in Aristophanis Aues, v. 1474. Καρδία πόλις Θράκης, ἧς οἱ πολῖται Καρδιανοί.

44 *Vndique*] 4 Reg. Voss. 3. Hill. *ad sudorem vimque*. Valde suspectum est istud *vndique*. Cantabrig. tert. *numquam*. Leid. sec. *meque*. *cum* Med. pr. Palat. *cumque*. Duo alii Cantabr. Vatic. et Edd. Paris. Hill. ac Wechel. *Vimque*. Ad marginem sui exemplaris coniecit Gronouius *ad sudorem vsque*, et sic vel *vimque* legi vult Bolius. Scriuerius ad oram alleuit *vtique*. Ego putem scribendum omnino *ad sudorem hinnitumque*. Plutarchus p. 590. καὶ πολὺν ἠφίεσαν ἱδρῶτα καὶ στεναγμὸν, i. e. *gemitum*, s. *anhelitum*, quod super hoc loco consultus malebat Oruillius meus. Scriptum fuerat *innitumque*. Hoc locum corrumpendo ansam dedit. Oudendorpius. Callidum hoc Eumenis inuentum relatum legitur etiam apud Nepot. in Eum. c. V. §. 5. *Substringebat caput loro altius, quam vt prioribus pedibus plane terram posset attingere. Deinde post verberibus cogebat, exsultare, et calces remittere.*

XXXV. M. Cato, pollicentibus barbaris duces itinerum, et insuper praesidium, si magna summa eis promitteretur, non dubitauit polliceri: quia aut victoribus ex spoliis hostilibus poterat dare, aut interfectis, exsoluebatur [45] promisso.

XXXVI. Q. Maximus transfugere ad hostes volentem [46] Statilium, nobilem clarae operae equitem, vocari ad se iussit, eique excusauit, quod, inuidia commilitonum, virtutes illius ad id tempus ignorasset: tum donato ei equo, pecuniam insuper largitus, obtinuit, vt, quem ex conscientia trepidum arcessierat, laetum dimitteret, et ex dubio in reliquum non minus fidelem, quam fortem, haberet equitem.

XXXVII. Philippus quum audisset, Pythiam quemdam, bonum pugnatorem, alienatum sibi, quod tres filias inops vix aleret, nec a rege adiuuaretur, monentibus quibusdam, vti eum caueret: Quid si, inquit, partem corporis aegram haberem, abscinderem potius, quam curarem? [47] Deinde familiariter secre-

 to

45 *Promisso*] Scio, rem ipsam saepe *exsolui* dici, quam quis praestare erat coactus: *exsoluere fidem, debitum, culpam, praemia*, et similia, atque ita ipse reposui in Lucano L. VII. 262. *gladioque exsoluite culpam*; cum vulgo legeretur *gladiosque exsoluite culpa*. Verum hoc loco videtur id non conuenire. Promissio enim interfectis hominibus exsolui nequit, vt sensus deberet esse in oppositione, quam hic adhibet auctor. Quare mecum lege e duobus Leidensibus *promisso*. Cato aut poterat dare pecuniam victoribus, i. e. si essent victores; aut exsoluebatur suo promisso, *interfectis*, i. e. si essent interfecti. Sic §. 24. *eos sua fide et ipsorum metu exsolutos recepit. Exsoluere religione, poena, curis*, et talia saepe reperias. Petrens. *promissum*. quod ipsum praeferebat cl. Wasse, quia historici magis amant *promissum* dicere, quam *promissionem*. Oudendorpius.

46 *Statilium*] Plerique MSS. recte *Statilium* seruant, qui fuit *Marsus*, vt Plutarchus habet in Fabio p. 185. Compar exemplum noster recenset L. III. c. 16. §. 1. vbi *Cl. Marcellus Bantium Nolanum*, qui corrumpere ad defectionem populares studebat, et Hannibali gratificabatur, eadem arte in fide retinuisse et equo donasse memoratur.

47 *Deinde familiariter* cet.] Optimum consilium! quo prudentiores duces humanitate potius et beneficentia; quam poenarum crudelitate suos in officio retinuerunt. Bene enim Cicero L. II. de offic. c. 7. *Id amplectamur, vt metus absit, caritas retineatur: ita facillime, quae volemus, et priuatis* in

to elicitum Pythiam, accepta difficultate necessitatum domesticarum, pecunia instruxit: ac meliorem fideIioremque habuit, quam habuerat, antequam offenderet.

XXXVIII. T. Quinctius Crispinus, post infaustam aduersus Poenos dimicationem, qua collegam Marcellum amiserat, quum comperisset, potitum annulo interfecti Hannibalem, litteras circa municipia totius Italiae dimisit, ne crederent epistolis, si quae Marcelli annulo obsignatae perferrentur: [48] monitione [49] consecutus, vt Salapia, et aliae vrbes frustra Hannibalis dolis tentarentur.

XXXIX. Post Cannensem cladem perculsis ita Romanorum animis, vt pars magna reliquiarum nobilissimis auctoribus deserendae Italiae iniret consilium, P. Scipio adolescens admodum, inpetu facto, in eo ipso, in quo talia agitabantur, coetu pronuntiauit, manu se sua interfecturum, nisi qui iurasset, non esse sibi mentem destituendae Reipublicae. Quumque ipse primus se religione tali obligasset, stricto gladio mortem vni ex proximis minatus, nisi acciperet sacramentum, illum

in rebus, et in republica consequemur. Idem L. V. Tuscul. *Qui non laborat, vt carus militibus sit, animare milites nescit.* Nulla autem re militum caritas facilius obtinetur, quam si donis muneribusque eorum inopia a ducibus subleuetur. Qua de caussa Strategici scriptores, copiarum ducibus, *ἀφιλαργυρίαν* non sine ratione ii. primis commendatunt. Sic Onosander c. I. §. 7. *Ἡ δ' ἀφυλαργυρία δοκιμασθήσεται καὶ πρώτη. τοῦ γὰρ ἀδωροδοκήτως καὶ μεγαλοφρόνως προΐστασθαι τῶν πραγμάτων αὐτὴ παραιτία.* Cui adsentiuntur Leo c. II. §. 8. c. XX. §. 83. 120. Mauric. L. VIII. p. 191. Xenophon. Cyr. p. 272. 520. Polybius T. I. p. 228.

48 *Monitione*] Petrens. *qua ratione.* bene, sed vereor, vt a Frontini manu sit, vt statim patebit. Oudendorpius.

49 *Consecutus*] In Scriuer. edit. legitur *consecutus est.* Deest autem substantiuum verbum in Cantabrig. Leid. sec. Vatican. aliisque, et Edd. Rom. Bonon. et Wechel. Recte et nostri more: quare deleni. Si retineri *est* velles, *qua* vel *hac* ante *monitionem* saltem praecedere deberet. Oudendorpius.

lum metu, ceteros etiam exemplo [50] coegit ad iurandum.

XL. Volscorum castra quum [51] prope a virgultis siluaque posita essent, Camillus ea omnia, quae conceptum ignem vsque in vallum perferre poterant, incendit: et sic aduersarios exuit castris.

XLI. P. Crassus, bello sociali, eodem modo prope cum copiis omnibus interceptus est.

XLII. Q. Metellus in Hispania castra moturus, quum in agmine milites * continerent se intra castra, [52] Hermocrates detentos eos postero die habilioribus iam suis tradidit, bellumque confecit.

XLIII. Miltiades, quum ingentem Persarum multitudinem apud [53] Marathona fudisset, Athenienses circa gratulationem morantes compulit, vt festinarent ad opem vrbi ferendam, quam classis Persarum petebat. Quumque praecucurrisset, inplessetque moenia

R 5

50 *Coegit ad iurandum*] Recte se habere hanc locutionem, frustraque de ea dubitari, probat Nepos in Them. c. 4. *vt ingratiis ad depugnandum omnes cogerentur.*

51 *Prope a virgultis*] Hoc et sequens exemplum supra iam occurrit L. II. c. 4. §. 15. 16. Hic quoque, vt supra, Oudendorpius legendum censuit *prope virgultas siluas*, vel *virgultas siluamque*: qua de coniectura plura vide ad l. c.

52 *Hermocrates*] Quo modo milites *in agmine* se possunt continere *intra castra?* quidue Hermocrati Syracusano negotii cum Q. Metello in Hispania? de vtroque alia habuimus exempla supra. Sine dubio hic exciderunt quaedam. quare locum Asterisco notaui. Secure haec transiliunt reliqui interpretes. Factum hoc Hermocratis refert cl. Wasse ad Historiam, quam narrat Polyaenus L. I. c. 43. §. 2. vt *habilioribus* intelligatur de militibus, qui crapulam hesternam edormiuerunt; sed huius historiae meminit et noster L. II. c. 9. §. 7. *castra moturus est in agm.* Leid. pr. *in* deest in sec. Oudend. Immo clarissime patet, mutilum esse hunc locum, nec sine Codd. MSS. ope persanari posse: quare melius ἐπέχειν, quam incertis coniecturis lectorem fatigare.

53 *Marathona*] Pro vulgata *Marathonem* rectius *Marathona*, praeeuntibus Codd. MSS. Vbique enim noster Graecas vocum terminariones amat. e. g. *Persida*, *Babylona*, *Enipea*, *Lacedaemona*, *Cypron*, *Eurymedonta*, aliaque.

nia armatis, Persae rati ingentem esse numerum Atheniensium, et alio milite apud Marathona pugnatum, alium pro muris suis obponi, [54] circumactis extemplo nauibus Asiam repetierunt.

XLIV. [55] Pisistratus Atheniensis, quum excepisset Megarensium classem, [56] qua illi ad Eleusin noctu adplicuerant, vt [57] operatas Cereris sacro feminas Athe-

54 *Circumactis*] Sic aliquoties noster. L. II. c. 5. §. 20. *circumacto exercitu.* L. I. c. 4. §. 11. *circumactas naues adpulit Siciliae.* Florus L. III. c. 21. §. 6. *Sed impatiens iniuriae Sylla statim legiones circumegit.* et alibi.

55 *Pisistratus Atheniensis*] Tam suauiter haec cum Aeneae Tactici verbis in Poliorcet. c. IV. conspirant, vt fere a Frontino inde depromta haec historia videatur, qua signorum necessitatem περί τε τὰς ἀθροίσεις καὶ τὰς πέμψεις Aeneas docuit comprobauitque. quem alii insequentium temporum Tactici secuti, de iisdem praecepta tradiderunt. Onosander c. XXV. XXVI. Arrianus p. LXIV. Aelianus c. XXXIV. Leo c. XII. §. 69. 106. c. XVII. §. 25. c. XX. §. 186. Xenophon. Cyr. p. 195. 244. 398. 467. Polybius T. I. p. 666. Vegetius L. III. c. 5. *Signa* autem illa Gr. σύσσημα, vel συνθήματα, *vocalia*; vel παρασυνθήματα, *muta* dicebantur: de quibus nos plura ad Onosandr. c. XXV. Sacra autem illa, quibus tunc Atheniensium feminae operabantur, celebratissima illa Θεσμοφόρια solis a feminis noctu Eleusine agi solita, fuerunt: quibus summum silentium debebatur: vnde Horatius L. III. Od. 2. v. 26.

—— *vetabo, qui Cereris sacrum*
Vulgarit arcanae, sub isdem
Sit trabibus, fragilemque mecum
Soluat phaselum.

Ceterum tantam eo facto gloriam consecutus est Pisistratus, vt sibi aditum ad tyrannidem ea aperuisse videretur, εὐδοκιμήσας πρότερον ἐν τῇ πρὸς Μεγαρέας γενομένῃ στρατηγίῃ, vt habet Herodotus L. I. c. 59. quem ad l. c. Aeneae laudat Casaubonus.

56 *Qua*] Medic. sec. Palat. et Edd. Ital. *quam*. Recte vero Oudendorpius nulla opus esse mutatione censuit, cum τὸ *adplicare* saepius absolute pro *adpellere* apud veteres scriptores reperiatur. Plene noster L. III. c. 16. §. 5. *paucas hostium naues proximo littori adplicuisse.* Iustinus L. II. cap. 4. *Cum Hercules ad littus Amazonum adplicuit.* Id. L. II. c. 12. *Qua adplicituri erant, symbolos proponi, et saxis proscribi curat.*

57 *Operatas Cereris sacro*] *Operari* aeque ac *facere* est saepius idem quod *Deos* (Diis) *religiose et cum summa veneratione sacrificiis litare*, interprete Nonio Marcello

Atheniensium raperent, magnaque edita caede eorum, vltus esset suos, eadem, quae ceperat, nauigia Atheniensi [58] milite compleuit, quibusdam matronis habitu captiuarum in conspectu locatis. Qua facie decepti Megarenses, tamquam suis, et cum successu renauigantibus, [59] effuse obuii, inermesque, rursus obpressi sunt.

XLV. [60] Cimon, dux Atheniensium, victa classe Persarum apud insulam Cypron, milites suos captiuis armis induit, et eisdem barbarorum nauibus ad hostem nauigauit in Pamphyliam apud flumen Eurymedonta. Persae, quia et nauigia et habitum superstantium agnoscerent, nil caueruut. Subito itaque obpres-

cello p. 548. edit. Plantin. atque in eo Romani Graecos imitati videntur, quibus ῥέζειν, ἔρδειν, δρᾷν absolute posita idem significant, quod θύειν *sacrificare*, subintell. v. θυσίαν. Athenaeus L. XIV. c. 23. Ὅμηρός τε τὸ ῥέζειν ἐπὶ τοῦ θύειν τάσσει — καὶ οἱ παλαιοὶ τὸ θύειν δρᾷν ὠνόμαζον. Hinc vetus Scholiastes ad Horatii L. III. Od. 14. 5.

Vnico gaudens mulier marito
Prodeat, iustis operata diuis:

Operationes, inquit, *veteres sacrificia dixerunt*.


58 *Milite compleuit*] i. e. *militibus*, antiquo more, quo voces, quibus integra species innuitur, in vnitatis numero positae saepius reperiuntur, temere a quibusdam vel eruditissimis viris sollicitatae et in plurium nnmerum mutatae. Sic §. 43. *et alio milite apud Marathona pugnatum*; *alium pro muris suis opponi*.

59 *Effuse obuii*] *Obuii* deest in Mediceis, Vaticano, et Edd. Italicis. Nihilominus *effuse* exhibent Medic. antiqu. Vatican. item Petrensis, Leidenses, Palatini, Gudian. et Ed. Paris. verissime. L. II. c. 5. §. 2. *Effuseque subeuntes adgressus*; *effusus obuiam populus*, apud Velleium, Iustinum aliosque. Oudend.

60 *Cimon*] Male librariorum oscitantia in quosdam Codd. MSS. irrepsit *Conon*: qui error vulgatas quoque editiones aliquot occupauit. Non *Conon*; sed *Cimon* Persarum classem aqud insulam Cyprum; I. ad Eurymedonta prope Cyprum deuictam cepit, vt Thucydides L. I. c. 100. Polyaenus L. I. c. 34. Plutarchus in Cim. p. 486. memoriae prodiderunt.

obpressi, [61] eodem die et nauali et pedestri proelio victi sunt.

61 *Eodem die*] Idem quoque testatur Nepos in Cim. c. 2. *Eodemque die pari fortuna in terra vsus est. Namque hostium nauibus captis, statim ex classe copias suas eduxit, barbarorum vno concursu maximam vim prostrauit.* Cui etiam Thucydides et Plutarchus adsentiuntur. Plerique MSS. teste Oudendorpio, vt Vossianus, hisce verbis finiebant: IVLII FRONTINI STRATEGEMATON LIBER QVARTVS EXPLICIT FELICITER; nonnulli tamen, *Strategematicon.*



IO. FRIDER. HERELII

PROF. ERF.

ANIMADVERSIONES CRITICAE
IN FRONTINVM.

Praefat. p. 3. *Praeterea continget, ne de euentu trepidet inuentionis suae, qui probatis eam experimentis comparabit.*) Pro *qui*, cod. Leid. notante Oudendorpio, *quum*. Verior hinc fortasse lectio elicienda *qui cum*. Frequenter *ic* coalescere in *u*, norunt, qui libros veteres tractare consueuerunt.

Ibid. p. 4. *Huic labori non iniuste veniam paciscar, ne me pro incurioso reprehendat, qui praeteritum aliquod a nobis repererit exemplum. Quis enim ad percensenda omnia monumenta, quae vtraque lingua tradita sunt, sufficiat? vnde multa transire mihi ipse permisi; quod me non sine caussa fecisse scient, qui aliorum libros, eadem promittentium, legerint.*) Codices hic partim *vt multa*, partim *et multa*, exhibent; quidam *vt multa et*. Locum minus sincerum esse, patet. Quid, si membranarum ductu coniiciamus? *ita multa t*. Melius sane verba, sic constituta, cohaerere cum superioribus, quam ex emendatione Oudendorp. *vt et*, vel *et multa vt transirem*, videntur. Exempla τῦ *ita* a Nostro similiter vsurpati, praebet Oudend. ad L. I. c. 3. §. 5. Mox, si codices addicerent, mallem fere *prodentium*, quod hic, nescio quomodo, aptius exquisitiusque videtur, Plinius, cui verbum istud perquam familiare, contrario sensu, *in iisdem diuersa prodendo*. H. N. XVIII. 25. ed. Harduin.

L. I. c. 1. §. 4. *Ille intellexit, idem esse eminentibus faciendum.*) Offendit me τὸ *eminentibus* absolute positum, quod hic obscurum et ambiguum, denique vix Latinum puto. Fortasse pro *esse*, licentiori paullo coniectura, reponendum *viris*, vel *ciuibus*, i. e. *principibus Gabinorum*, quos modo nominauit auctor. Frequens apud Frontinum infinitiui huius omissio, e. g. supra §. 1. *existimabat, ciuitates in tempore rebellaturas*, et sic passim. Syllaba *vi* facile ab antecedenti proxime litera *m* in *idem* potuit absorberi, litera contra *e* ob syllabam statim subsequentem in *eminentibus* repeti temere a librariis, et adiungi, atque ita *rise* in *esse* degenerare.

Ibid.

Ibid. §. 7. *Latius — pabulatus, colloquia quoque — in poſterum conſtituit. Ignes etiam frequentiores per tota caſtra fieri iuſſit.*) Codd. tres, editionesque primae, teſte Oudend. *ignes autem.* Scribendum igitur haud dubie *ignes item.* Perpetua eſt vocularum iſtarum in membranis confuſio. Eluamus hac occaſione ſimile prorſus mendum Fl. Mallio Theodoro de metris c. 1. p. 8. ed. Heuſingeri Batava. *Poſitione autem longae ſyllabae fiunt, ſi* etc. *Fit autem poſitione longa ſyllaba, cum* etc. Cl. Heuſingerus emendandum credit *fit etiam*, ſed propius ad ſcripturam receptam accedit coniectura mea *fit item*, quam probaui quoque viro ſummo, Ruhnkenio. Corrigenda ſic et Plinii verba H. N. XXVIII. 7. *Mixto praeterea ouorum candido liquore, — fluxiones oculorum ſuſpendit.* (lac.) *Nam ſi rana ſaliua ſua oculum adſperſerit, praecipuum eſt remedium.* Repone: *Item, ſi* etc. Millies hoc aduerbio vtitur Plinius.

Ibid. §. 8. *Profectionem ſuam cenſu obtexuit Galliarum. Sub quibus inopinato bello adfuſus, contuſa inmanium ferocia nationum, prouinciis conſuluit.*) Locus impeditus, in quo neque explicando, neque corrigendo interpretes operae pretium feciſſe videntur. Verba *ſub quibus* corrupta eſſe conſtat, verum cl. Oudendorp. coniecturae, *ſic quictis*, vel *ſic Cattis*, nimis quidem longe quaeſitae ſunt. Quin nos leuiſſima mutatione ſcribimus *ſubitusque* (vel etiam *ſubitus*, ſaepius enim ita Noſter omiſſa copula) *i. h. a.* etc. Ecce! L. II. c. 3. §. 14. iisdem paene verbis eodemque πλεονασμῷ *ſubita peditum conſurrexit acies, inuectosque temere hoſtes, inopinato interfuſa proelio, cecidit.* L. II. c. 4. §. 4. *a tergo ſubitus adparuiſſet.* L. I. c. 4. §. 13. *ſubitus euaſit.* vbi cf. Oudend. L. II. c. 4. §. 3. *ſubitus ex diuerſo ſe oſtenderet.* et paſſim alibi.

C. 4. §. 13. *Scripſit Antipatro, Thraciam rebellare, praeſidiis, quae ibi reliquerat, interceptis, vt ſequeretur, omnibus omiſſis: quae epiſtolae vt interciperentur ab hoſte, curauit. Athenienſes, arcana Macedonum excepiſſe viſi* etc.) Poenitet me ingratae verbi *intercipere*, et affinis *excipere* eodem paene verſu repetitionis, etſi Frontinum non eum ſcriptorem eſſe ſcio, a quo ſumma elegantia, nitorque orationis exſpectari debeat. *Praeſidia* quoque *intercepta*, rei, quae hic fingenda erat, atrocitati haud ſatis reſpondent. Quid tentare nocebit *interfectis?* Tulit haec emendatio ſuffragium ill. Ruhnkenii, in literis ad me datis, qui verba illa perpetuo confundi addit.

Cap.

Cap. 5. §. 10. *Pericles — suos, qua non resistebatur, emisit.*) Codd. Gudian. et Leid. sec. *soceros suos*, inepte quidem, sed haud plane de nihilo. Fuerit forsan *socios suos*.

C. 6. §. 2. *Idem, hostibus tergum eius in itinere prementibus, dum, flumine interueniente, non ita magno, vt transitum prohiberet, moraretur tamen rapiditate, alteram legionem in occulto citra flumen collocauit.*) Scaligerum, corrigentem ad oram libri sui *morante*, Oudendorpius credit offendisse, quod praecedentia *vt transitum prohiberet*, ad flumen, *moraretur* vero passiue ad Fuluium, stante vulgata lectione, referri debeant. Ipse coniicit *vt transitu prohiberetur*, atque ita omnia melius procedere existimat. Sed vel sic *τὸ moraretur* passiue praeter morem accipiendum foret. Equidem vitium non nisi in *dum* inesse crediderim, quod aut expungendum, inuectum scilicet ex repetito, culpa descriptorum, proximo *idem*, vt etiam censuisse credibile est Scaligerum, aut mutandum est in nomen fluminis huius proprium, quod quis facile diuinando assequatur? *Moraretur* autem actiue sumi commode poterit, intellectis, quae praecessere, sc. *ita tamen magno*, *vt moraretur*.

C. 7. §. 7. *Per deserta Africae itinera, grauissima siti cum exercitu adfectus, oblatam sibi a milite in galea aquam, spectantibus vniuersis, effudit.*) Barthio, ceterisque displicet illud *itinera*, idque adeo lubenter eiicerent, nisi omnes MSS. constanter seruarent. Oudend. coniicit *in itinere*. Non damno suspicionem, sed nec deterior fuerit nostra *d. A. penetrans.* Supra c. 2. §. 2. *iussit — penetrare Ciminiam siluam.* L. III. c. 9. §. 5. *hostes penetratum illac oppidum rati.* vbi cf. Oudend.

C. 8. §. 11. *Custodibusque praecepit, vt ea aduenienti hosti dederent, dimissique Syracusas occulte redirent.*) Hoc cur praeceperit Dionysius, non capere se, nec quid *occulte* hic faciat, videre fatetur cl. Oudend. Quorsum enim alio, inquit, deditis per pactionem castellis, se reciperent milites? Coniicit igitur *ocissime.* Cod. Leid. pr. *vt occulte.* An latet sub hoc, quod verum puto, *cito cuncti?* Id enim Dionysius spectabat, vt copias, per fraudem dispersas, mox, tempore opportuno, cogeret in vnum denuo. Hinc statim hostes *paene iam par numero adgressus vicit, quum suos contraxisset, et aduersarios sparsisset.*

C. 9. §. 1. *Atque ita coniuratorum consilio turbato, Campaniam periculo liberauit.*) In MSS. ad vnum omnibus,

et

et edd. antiquis non conſpici *turbato*, teſtatur Oudendorp. Leid. ſec. tantum habet *coniuratorum conſilio Campaniam liberauit*, vnde facit *conſilio C. periculoque l.* vel *a coni. periculo Camp. conſilio l.* Fallor, an conſtans iſte codicum conſenſus vocem genuinam excidiſſe declarat, nullo negotio reponendam, *eluſo?* Fraudi fuit huic verbo antecedens *filio*, per ſimilitudinem nimiam a librariis ſupinis omiſſo, quod genus erroris innumeras mendas libris intuliſſe veterum, Critici norunt. L. II. c. 5. §. 47. *omni arte — eluderent hoſtem.* C. 3. §. 24. *naues mobilitate — eludi.* C. 2. §. 5. *vt ſagittas — eluderet.* L. I. c. 2. §. 8. *eluſit inſidiatores.* C. 1. §. 6. *ad eludendos ſagittarios.*

C. 10. §. 3. *Ageſilaus Lacedaemonius, quum aduerſus Thebanos caſtra ſuper ripam poſuiſſet.*) Transpoſitione locum hunc credo iuuandum, legendumque *Ageſilaus Lac. adu. Thebanos, quum* etc. Cauſſam pete ab Oudendorp. ad L. I. c. 5. §. 12. vbi vir doctiſſimus merum hunc Frontini ſtylum, perpetuumque morem obſeruat, vt τῷ *aduerſus* vtatur ſine addito *dux*, vel alio quodam vocabulo, cui reſpondeat, ſubintelligens *bellum gerens*, vel ſimile quid, vimque exemplorum ingentem affert. Cf. eundem ad L. II. c. 1. §. 18. Eadem forſan medela adhibenda L. II. c. 1. §. 6. *Idem, quum aduerſus Lacedaemonios pluribus diebus caſtra cominus haberet.* et c. 4. §. 11. *Myronides Atheníenſis, dubio praelio aduerſus Thebanos rem gerens.* Sed nihil definio.

C. 11. §. 9. *Circa ea duci equos noctu clam imperauit.*) Polyaenus, Oudend. citatus, eandem hiſtoriam referens, L. I. c. 41. ἵππους δύο περιάγων. vnde ſuſpicari poſſis, ſcribendum *duci duos* vel *duos duci e.* numero a vocula vicina, vt dixi modo, extruſo, praeſertim ſi placeat *duo*, quomodo L. I. c. 4. § 10. in MS. reperit Waſſius.

Ibid. §. 16. *Arma, quae ornamentis adfixa in templis erant, nocte ſubtraxit.*) Quibus tandem ornamentis arma erant adfixa? Atqui ornamenta ipſa armis poſſunt adfigi, non arma ornamentis. Nihil licet hic monuerint interpretes, locum tamen defectum putem, ita ſupplendum, *arma, quae cum ornamentis* etc. Arma in templis repoſita, et DIS conſecrata, taeniis, corollis, et id genus aliis, ornata fuiſſe, credibile eſt.

L. II. praefat. — *Quae ante commiſſum proelium agenda ſunt, deinceps reddemus pertinentia ad ea, quae in ipſo proelio agi ſolent, et deinde ea, quae poſt proelium.*) Codex

Me-

Mediceus, *quae proelium excitant.* Quisquamne dubitet, manum Frontini esse, *quae proelium excipiunt?* i. e. sequuntur. Verbum exquisitius, quam pro describtorum captu, glossae, margini primum adiectae, loco cedere coactum est.

C. 1. §. 13. *Iugurtham autem constat* etc.) Omitti a quibusdam codd. particulam *autem*, notat Tennullius, eamque locum hic non habere, recte obseruat. Oudend. conicit *regem*. Verum restituendum *item*, quod et supra Nostro redonauimus L. I. c. 1. §. 7. Idem enim plane strategema adhibuit Iugurtha, quod Pompeius §. antecedente adhibuisse dicitur.

C. 2. §. 8. *Vt per aliquantum spatii, quo aduersarii dirimebantur, exercitus hostium potius labore itineris profligaretur.*) Sensit difficultatem, quam creat orationi *potius*, optimus Oudend. Intelligi posse sub eo putat *quam suus exercitus*, nisi rescribere placeat *prius*. Malim ego *protinus*. Noster L. I. c. 11. §. 4. *protinus canes — adgressi sunt.* L. II. c. 1. §. 2. *oriente protinus die.* §. 14. *ita protinus dissipauit.* C. 5. §. 4. *protinusque se intra munimenta reciperent.*

Ibid. *Vt aduerso sole et vento et puluere barbarorum occuparetur exercitus.*) Dubito valde, an *occuparetur* hic notare possit *impediretur*, quomodo *occupari luctu, timore, sollicitudine*, dicimur: cui explicationi ipse diffidit Oudendorp. Gronouius, verbum corruptum rectissime iudicans, ad marginem libri sui adscripsit *collocaretur*, vel *locaretur*, vestigiis vulgatae lectionis minus seruatis, quibus insistit pressius suspicio nostra *occaecaretur*.

§. 14. *Qua ratione effecit, vt exercitus barbarorum primum inquietaretur, dum tota nocte in statione custodia est; deinde vt sui mane, integris viribus, cum dictis barbaris, vigilia marcentibus, confligerent.*) Vox *dictis* abest a pluribus membranis, eamque vt superuacuam plane mallet deleri Oudend. Mitior medicina nostra *defessis*, quod per scripturae compendia facillime deprauari potuit.

C. 3. §. 5. *Ne ea parte ante cum hoste confligeret, quam cornibus confligatis medios vndique circumuenisset.*) Tennullii explicationem vocis insolitae *confligatis* iure repudiauit Oudendorpius. Modius et Gronouius coniiciunt *profligatis*, et sic sane cod. Petrensis. Scaligero placuit *complicatis*, Oudendorpio *coniugatis*, vel *conflictati sui.* Miror, nemini venisse in mentem, quod clamare paene videntur scriptu-

rae corruptae apices, optimeque narrationi conuenit, *conſtipatis.*

Ibid. §. 23. *Quo genere conſecutus eſt, nequis non locus eius victoriam miraretur.*) Modius, Stewechius, Gronouius magno conſenſu, *nequis locus e. v. moraretur;* optime, quod ad verbum poſtremum: ſed audacius cenſet cl. Oudendorp. eiicere *τὸ non*, vbi aliud mendi quid latere putat. Vterque Mediceus, *ne quis vt loci.* Inde exſculpit *ne quidnis loci*, vel *ne quis id loci*, i. e. eo loco. Non placet. An fuit *ne quis iniquus locus* etc. formula ſcriptori noſtro familiari? An *ne quis velocem eius v. m.* An potius, quod maxime blanditur, *ne quisquam locus?* etc. Quod ſi ſcripturam potius Mediceorum librorum rimari lubeat, poſſis non inepte, *ne quis ingenio* vel *natura loci*, vel *arte loci*, vel denique *ne quis fretus locis.* Eligat iam, qui volet: ego, ne quid diſſimulem, *ne quisquam l.* praetulerim.

C. 5. §. 4. *In ipſam foſſam elephantos egerunt: quo vt primum illaqueati ſunt, partim magnitudine telorum confecti* etc.) Recte vitium ſuboluit Oudend. qui in ſubiecta animaduerſione: non tam magnis, inquit, telis opus eſt, vt elephantum grauiter vulneres, ſed haſtis et verutis velitum. Putem potius ab auctoris manu eſſe *magna vi.* Haec ille, ſenſui quidem verborum optime conſulens, minime tamen corruptae lectionis veſtigiis ſeruatis. Religioſior mea ſuſpicio *multitudine t.* Ex ſcripturae compendio facillime ſyllaba prior potuit deprauari. Apud Curt. VIII. 14. *elephantus, qui multa exceperat tela*, occurrit, qui mox *telis vndique obruitur.* Sil. Ital. IV. de iisdem belluis: *Stat multa in tergo et nigranti lancea dorſo.* Lucan. VI. 208. *denſis elephas oppreſſus ab armis.*

Ibid. §. 9. *Quaedam procul a caſtris aedificia ſuccendit, vt Faliſci, ſuos id feciſſe credentes, ſpe praedae diffunderentur.*) Addunt codd. Medicei *eorum caſtra cepit*, quod notandum dicit Oudend. Scilicet mera ſunt Frontini verba, ſic leuiter ſupplenda: *Atque ita e. c. c.* vt fere §. §. 3. 8. 25. et paſſim, eadem locutione.

Ibid. §. 41. *Aduerſus ſolum enim cum altero proceſſiſti.*) Medic. pr. et Leid. *aduerſum enim vnum.* Medic. ſec. *aduerſum enim ſolum vnum.* Fortaſſe verum eſt *aduerſus vnum enim*, et *ſolum*, gloſſa, *τῷ vnum*, quod ambigue, certe pro *vnicum*, poſitum inſolentius videbatur, adiecta.

C. 6. §. 1. *Gallos, eo proelio, quod Camilli ductu geſtum eſt, deſiderantes nauigia — Senatus cenſuit transue-*

ben-

bendos.) Sentis ne, qui haec verba legis attente, quidpiam ad fenfum plenum deeffe? Reponendum, quod excidit male, hiante orationis ferie, poft *Gallos, victos*, vel *fufos*: neque enim in ipfo proelio nauigia defiderabant, fed cum victi effent a Romanis, vt fuga fibi confulerent. Mox *Eiusdem generis hominibus* etc. malim *gentis*.

C. 7. §. 3. *Militum animos hac perfuafione confirmauit.*) Cod. Voffian. *vel confirmauit*. Vnde Voffius refingebat *vel vt c.* Immo fuerit *vtiliter c.* L. I. praefat. p. 5. *omnia, quae a duce prouide, vtiliter — fiunt.* c. 7. §. 7. *vtilior exemplo temperantiae.* c. 8. §. 7. *vtilis erat propter calliditatem.* L. II. c. 7. §. 2. *militum animos non tantum — fed quadam etiam fpe vtilitatis — confirmauit.*

C. 8. §. 11. *Ex acie refugientibus in caftra militibus aciem fuorum obpofuit.*) Oudend. ad haec: „Sufpectum „mihi *aciem fuorum;* fugientes milites etiam *fui* erant. an „*equitum ftationem?* vt — Liuius, *ftatione equitum ibi* „*obpofita.*" Ifthaec quidem manifefta vis eft, qua quis in corrigendis veterum libris cum laude vtatur? Nos blandius longe fanabimus locum, non ita defperatum, legendo *alam f. v. Alam* equitum effe proprie, tralatitium eft; *milites* contra faepius apud Frontinum, ceterosque fcriptores optimos opponi equitibus, et fignificare *pedites*, docet Oudend. ad L. II. c. 3. §. 14. et quos ibi laudat, atque Tennul. ad L. II. c. 5. §. 37. Vides, cuncta fic effe plana et expedita. *Suorum* autem hic exponendum videtur, fortium, qui cum Imperatore remanebant, nec terga hofti dabant, adeoque vere milites *fui* erant, ceteris iam quafi proditoribus. Statim ipfe *ciues bonos* vocat. Nifi forte negligentiae Frontini, vt alias paffim, hoc quidquid eft fermonis inconcinni, et parum accurati, imputare velimus.

C. 9. §. 1. *Victis proelio Teutonis, reliquias eorum, quia nox circumuenerat, circumfedens* etc.) Rurfus virum doctiffimum audiamus: „In mendo cubat prior vox (cir„cumuenerat.) Videtur fcribendum *interuenerat*, vt conie„cit I. F. Gronouius, vel *fuperueneras*, vel *certamen dire„merat.*" In codd. quibus V. Cl. abunde fuerat inftructus, nihil praefidii, et quas propofuit coniecturas, longius mihi a vulgata lectione recedere videntur. Propius forfan ad veritatem accederet *q. n. iram minuerat.* Nox ingruens impetum victorum cohibuit, repreffit ardorem, adeo vt reliquis hoftibus parcerent, poftera demum die prorfus

debellandis. *Interuenerat*, in editione Parisiensi edidisse Valaitum, monuit me elegantissimus Ruhnkenius.

Ibid. §. 5. *Caputque eius balista excussum, intra munimenta hostium misit.*) Cod. Medic. pr. *in balista*, Medic. sec. *in balistanis*. Latet aliquod vlcus. An fuit *vi balistâ*, vel *balistâ vi*?

C. 11. §. 4. *Antipater, conspecto priore Neciorum exercitu* etc.) Variis coniecturis verba haec contaminatissima tentarunt viri eruditi. Ipse conieceram aliquando, quod minime sane a vulgata lectione recedit *Paraetacenio-rum.* Nota est haec regio ex Arriano, Curtio, Plinio, aliis. Sed conuellere videntur suspicionem meam interpretes, non nisi Graeciae populum aliquem hic narrari, probabiliter docentes. An potius Frontinum, vt saepius, falsa tradidisse dicamus? Ἐπέχω.

C. 12. §. 2. *Quod cum solerte ex disciplina fecisset* etc.) Feliciter locum corruptum sic restituit cl. Oudend. cum antea, nullo sensu, fuisset *soluere*: quam emendationem mihi quoque, vt alias complures, venisse in mentem, antequam nitidam ipsius editionem consulerem, ex animo laetor. Nunc cum mea esse desierit, addam saltêm Apuleii alium, ad stabiliendam communem sententiam inprimis facientem, ex L. VIII. p. 202. ed. Elmenh. vbi canes venatici *solertis disciplinae memores* vocantur.

Ibid. §. 4. *Iphicrates Atheniensis, quum campestribus locis castra haberet, explorassetque, Thracas — nocte ad diripienda castra venturos, clam duxit exercitum* etc.) Immo vero *eduxit*, vt scribendum reor. *Duxit* locum hic habere nequit, vt patebit legenti, quae statim sequuntur. Supra c. 5. §. 31. *totum educente exercitum. Educere copias* Noster saepe, vt L. I. c. 5. §. 9. et 22. II. c. 1. §. 1. c. 5. §. 22. et 34. *educere agmen* I. c. 1. §. 7. cf. Index II.

C. 13. §. 7. *Antonius, quum ex Parthis sibi instantibus reciperet exercitum* etc.) Libri scripti mirifice, *ex parte fine, ex parte fine, ex partis illis, ex Parthis Siriae*: vnde non dubium est Oudend. quin *sibi* sit vitiosum. Scribendum itaque credit *ex Parthis fine fine inst.* Praeferam interim suspicionem simplicem *ex P. vi inst.* aut, si ratio lectionis corruptae *Siriae* habenda, *ex P. acriter*, vel impigre. Quamquam hoc nimis est hariolari. L. III. c. 9. §. 3. *acrius instare castellanis coepit.* II. c. 6. §. 10. *non esse pertinaciter instandum hosti fugienti.*

Ibid

Ibid. *Iustum iter reliquo die sine interpellatione confecit.*) Cod. Hillensb. *sine successione.* Pronum est inde refingere *s. vexatione*, cuius vocis glossa fuit *interpellatione*, in textum deinde, vt sexcenties alias, recepta. L. I. c. 8. §. 9. *vt citra vexationem suorum hostilia impediret consilia.* Ibid. c. 4. §. 5. *simulata vexatione traiiciendi.* vbi cf. Oudend. Verbum ipsum *vexare* hoc sensu adhibet subinde Noster: vide Indicem.

Ibid. §. 8. *Inducias ad sepeliendos, qui caesi erant, impetrauit.*) Vulgo legebatur *ad sepeliendum eos*, quod bene repudiasse videtur Oudend. Sed amplius turbant codd. veteresque editiones, exhibentes *sepeliendos eos*, *sepeliendos illi*, *sep. illic.* Quapropter, quod lateat, inquirere vir doctissimus iubet. Parui iussis, atque *sepeliendos milites, qui* etc. inueni, mihi certe inuenisse videor.

L. III. c. 4. §. 6. *Fiducia conditi commeatus proprio tritico abusos* etc.) MSS. omnes praeter vnicum Medic. pr. *vt fiducia*, deinde *abusus* quidam, quidam *abusis.* Oudend. legendum suspicatur, *ab* vel *ex fid.* Totum locum sic refinxerim, *vbi f. c. c. p. t. abusi sunt* etc. L. I. c. 5. §. 16. *quod vbi animaduerterunt Numidae.* L. II. c. 5. §. 32. *vbi res poposcit.* C. 1. §. 8. *quod vbi successit.* L. I. c. 2. §. 8. *vbi vidit — euolasse:* quod et ipsum in *vt* illic deprauatum erat ante Oudendorp. C. 6. §. 2. *Quod vbi factum est.*

C. 9. §. 8. *Philippus in obsidione cuiusdam maritimae vrbis, binas naues procul a conspectu contabulauit, superstruxitque eis turres: aliis deinde turribus adortus a terra, domibus propugnatores distringit, turritas naues a mari adplicuit, et qua non resistebatur, subiit muros.*) Claudicare verborum structuram, quiuis statim intelligit. Medic. pr. et Edd. Italicae, *a terra vel cominus domibus.* Medic. sec. *altera vel cominus domibus.* Oudendorpio *vel comminus* e glossa videntur irrepsisse in textum. Pro *domibus* autem, trigam coniecturarum proponit, *dum eminus*, i. e. longe a mari, *dum moenibus*, siue per moenia, *illis*, sc. turribus. Gronouius pro *domibus* coniecit *cominus*, Rubenius *dum ibi.* Ego quidem, si mei arbitrii res sit, Oudend. coniecturam alteram sequerer, verbaque ex membranarum Medicearum auctoritate sic constituerem, *adortus a terra, illa cauentes dum moenibus p.* etc. *illâ* sc. parte, vt aliquoties Noster: cf. Oudend. paullo ante ad §. 5. L. II. c. 5. §. 21. et I. c. 4. §. 4. L. I. c. 4. §. 9. *quî a Poro aduersa ripa caueretur.* L. IV. c. 7. §. 45. *Persae, quia — nil cauerunt.*

L. III. c. 2. §. 1. *nihil ab eo conatu cauentibus.* Possis quoque non inepte, *illuc conuersos.*

C. 11. §. 2. *Quum Phocenses obsideret, et intellexisset, eos — iam grauari belli incommodo.*) Leid. sec. *prope eos.* Scribendum ergo *et intellexisset probe, eos* etc. Terent. Eunuch. 4. 6. 30. *intellextin? probe.*

C. 14. §. 1. *Munatius interim rex, tanquam Caesarianus Tribuni cornicularius vigiles quosdam excitauit* etc.) Locus plane depositus, a quo interpretes cuncti manus ex desperatione abstinuerunt. Edd. vulgatae, *interrex.* Codd. *vicerex, interim rex, eius terrae interrex.* Dum meliora aliquando alii, coniecturas quasdam, disceptandas peritioribus, proponam. *Munatius turmae* vel *turmalium* (cf. L. II. c. 12. §. 2.) *princeps.* Vel *in primis audax.* Vel denique *tessera fretus*, ex mente Oudend. cui aliquid de tradenda tessera hic latere videtur. Cf. Dio L. XLIII. p. 230. viro docto laudatus, eandem rem memoriae prodens.

C. 16. §. 1. *Arcessitum ad se adlocutus est, dicens, fortissimum eum militem esse, quod antea ignorasset.*) Leid. sec. modo *ante ignorasse.* Mouet me ista varietas, vt putem, Frontinum dedisse primitus *f. e. militem, sese ante ignorasse.*

L. IV. c. 1. §. 21. *Duas alas et tres cohortes, quae ad castellum initio hostibus cesserant, extra vallum iussit tendere.*) Quid hoc refert, acute quaerit cl. Oudend. num *initio*, an deinceps hostibus cesserint, si tamen cesserunt prae turpi metu? Palatin. pro *initio*, habet *Micon;* Scriuerii vnus, *Inicon.* Mediceus vterque, *quae (qui* pr.) *Secum a. c. initio.* Itaque ex Tacito Ann. XIII. 36. eadem narrante, rescribere gessit *q. a. c. cum Paccio b. c.* vel, si corruptum hoc nomen, *Mutio*, vel *Numitio*, aut propius magis *cum Icio*, seu *Iccio*, coniectura ingeniosissima, nisi quod durius aliquanto dictum videtur pro *Iccio duce.* Quid multa? scribendum leuissima licentia credo *q. a. c. in acie h. c.* cf. Oudend. ad L. II. c. 5. §. 2. Ibid. c. 6. §. 10. *vt postea quoque facilius acie cederet. Fundi acie, pelli, superare, confligere, decertare* etc. sollemnes Nostro formulae.

Ibid. §. 27. *Galeatos et discinctos perstare in principiis iussit.*) Aliud latere in *galeatos*, quam arbitrere, bene Stewechius iam animaduertit, qui proinde *discalceatos* coniicit. Tennullius *exgaleatos*, Oudend. *gladio stricto d.* In MSS. praeter *galleatos*, quod repraesentant quidam, nihil praesidii. Forte fuit *caluatos*, i. e. caluos redditos, quibus

bus crines detonsi essent: qua voce vtuntur Cato de R. R. c. 33. et Plin. H. N. L. XVII. c. 22. Si cui minus hoc arriserit, consideret, quod ipse praetulerim, *glabratos*, verbum Columellae L. XII. c. 53. Notum est, infames mollitie habitos vulgo, qui pilos studiose vellerent, et dropace corpus laeuigarent, nec minus illos, qui veste discincta, laxiusque fluente, vterentur. Vtrumque igitur poenae genus optime infligebatur hic militibus ignauis, *quorum stationem hostis perruperat*, tanquam nepotibus delicatis, habituque militari indignis.

C. 2. §. 4. *Quadragiuta millibus hominum, iam inde a Philippo patre disciplinae adsuefactis* etc.) Medic. sec. et Scriuerii vnus, vocula auctiores, *tantae disciplinae*: vnde Scriuerius *sanctae* adscripsit margini. Melius reponi posse crediderim *antiquae*, vel etiam *intentae*.

C. 3. §. 1. *M. Catonem vino eodem, quo remiges, contentum fuisse, traditur.*) Post *remiges*, addere cod. Petrensem praestantissimum notat Oudend. *die transirent*, quasi voluisset, inquit, *diem transirent*, i. e. transigerent. *vitam transire veluti pecora*, Sallust. init. sed haec non a Frontini manu. Certe: sed quae sub istis verborum monstris latent, Frontini omnino manum produnt. Scilicet refingendum *quo remiges in transtris*.

C. 6. §. 3. *Alexander, quum hieme duceret exercitum, residens ad ignem, recognoscere praetereuntes copias coepit. Quumque conspexisset quemdam prope exanimatum frigore, considere loco suo iussit, dixitque ei: Si in Persis natus esses, in regia sella resedisse tibi capital foret; in Macedonia nato conceditur.*) Adscripsi locum integrum, quo facilius de suspicione mea, excitata verbis Curtii L. VIII. c. 4. eandem rem narrantis, possit cognosci. Sic igitur apud hunc Alexander: *Ecquid intelligis, miles, quanto meliore sorte, quam Persae, sub rege viuatur? Illis enim in sella regis consedisse capital foret; tibi saluti fuit.* Immo ecquid intelligis, lector, quam verba Frontini in fine prae istis langueant? Quam pulchre opposita sibi sunt illa *capital foret*, et *saluti fuit?* quam frigide contra *capital foret*, et *conceditur?* Quid multa? corruptum verbum *conceditur*, iure, nisi fallor egregie, arbitror, licet codices nihil plane varient, sed quid pro eo substituam, non habeo. Fuit aliquando, cum legerem *in M. n. sponte datur:* quod melius sane vulgato. verum nondum mihi ipse satisfacio.

C. 7. §. 31. *Praecedens interim aduentantis auxilii rumor — hostium consilia discussit.*) Cod. Petrens. *in auxilii.* Gudian. *aduentantes in auxiliis.* Ab in marg. *aduentis ausi.* Medic. pr. *adscientantis in auxilium.* Leid. sec. *aduentis auxilio.* Locum mendosum codicum ista varietas satis ostendit. Sed pronum, inde rescribere *aduentantis in auxilium*, nempe Catonis, de quo paullo ante sermo fuit, vel *aduentantis auxilio.* L. II. c. 5. §. 20. *quos auxilio his venturos sciebat.*



IN-

INDEX I.

CONTINENS EORVM NOMINA, QVORVM STRATEGEMATA A FRONTINO RECENSENTVR.

In quo ſciendum eſt, ſub vno nomine ſaepe varios intelligi homines, ex ipſis exemplis noſcendos. Maior numerus librum, minor caput deſignat.

S 5 *Caſſius*

Va-



IN-

INDEX II.

RERVM ET VERBORVM.

Primus numerus Librum, alter caput, tertius exemplum denotat.

Ab-

ſus

An-

B.

Bre-

Ca-

aduer-

dimiffa

E.

F.

Fi-

G.

H.

Hen-

I.

L.

M.

Man-

O.

Per-

Phar-

Pom-

ce-

S.

Scru-

T.

Te-

Vi-

X.

Z.



IN-

INDEX III.

Casteo

Dicta-

S.












3 2044 009 532 813